



Zd 96.

Barbet
46a coll. compl., 2 works in 1 vol.

1) 12°. [xxiv], 278, [118, 280] pp. engr. title
W. 1081

2) 12°. [xx], 752 pp.

George Fournier, S. J.
[Caen 1595 - La Flèche 1652]



GEORGII FOURNIER

E SOCIETATE IESV

GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

PER LITORA MARIS ET RIPAS FLUVIORUM.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Cæs. Majest.



FRANCOFURTI

Sumptibus JOANNIS BAPTISTÆ SCHÖNVVETTERI.

M. DC. LXVIII.



Poteſtas Typographo facta à R. P. Provinciali Provinciæ Rhenanæ ſuperioris Societatis Jesu.

CUm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Decreto omnibus, ac ſingulis Typographis, & Bibliopolis, ac aliis quamcunq; Librariam negotiationem exercentibus ſeriò, ac firmiter inhibeatur, ne quisquam ullos Libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel in poſterum edendos, intra S. R. I. Regnorum, ac Dominorum Suæ Cæſ. Majeſt. hæreditariorum fines ſimili, vel alio characteris genere, aut forma, ſive in toto, ſive in parte revidere, vel aliò recudendos mittere, vel alibi impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere clàm, ſeu palàm, citra Judicium, ac teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat, vel præſumat. Concedo ego Nicolaus Lutz, Societatis IESU per Rheni Superioris Provinciam Præpoſitus Provincialis (poteſtate mihi

 adid

ad id facta à Reverendo Admodum P. N. Ioanne Paulo Oliva, Præposito Generali) Ioanni Baptistæ Schönvvettero, Civi, & Bibliopolæ Francofurtensi, recudendi librum R. P. Georgii Fournier, cui titulus Hydrographica & Geographica orbis notitia. In cujus rei fidem has Literas manu mea subscriptas, & consueto Officii Sigillo munitas dedi. Bambergæ, 26. Iunii, 1667.

(L.S)

Nicolaus Lutz, Mpr.

INDEX CAPITUM HUJUS OPERIS.

LIBER PRIMUS.

Generales Orbis & Europæ divisiones tradit.

Caput I. *PRima Orbis facies.* 1
II. *Prima Orbis divisio in tres Noe filios.* 4
III. *Secunda Orbis divisio.* 6
IV. *Abrahæ Peregrinatio.* 9
V. *Vltima Orbis divisio in antiquum & Novum.* 11
VI. *De Oceano.* 12
VII. *Mare Hyperboreum.* 10
VIII. *Spitsberga.* 15
IX. *Balenæ ad capturam assectatio. Vrsorum Insula.* 17
X. *Grolandia.* 18
XI. *Islandia quibusdam Antiquorum Thule.* 20
XII. *Nova Zemia.* 22
XIII. *Europa.* 23
XIV. *Quot in Europa Linguæ cæterarum Matrices.* 24
XV. *Variæ in Europa Ditiones.* 26

LIBER SECUNDUS.

Continet Orbis plagam ad Septentriones sitam, hoc est, Scythiæ partem, & Regna Norvagiæ, Daniæ & Suediæ.

Caput. I.	MAre Glaciale.	33
II.	Mare Sarmaticum, Sarmatia, seu Scythia Europæa.	34
III.	Oby fluvius.	35
IV.	Album Mare.	38
V.	Mare Norvagicum, & quæstuosus in eo piscatus.	40
VI.	Scandia, vernaculè Schaanau vel Schaane.	43
VII.	Lapponia, Biarmia, Finmarchia.	45
VIII.	Norvagia.	47
IX.	Mare Balthicum.	50
X.	Daniæ Regnum.	51
XI.	Insulæ Maris Balthici.	54
XII.	Gothia.	58
XIII.	Suecia.	63
XIV.	Finlandia.	68
XV.	Novogardiæ Ducatus.	70
XVI.	Ingria & Esthonia.	71
XVII.	Plescoviæ Ducatus.	72

LIBER

LIBER TERTIUS.

Poloniam, Vandaliam, & Chersonesum Cimbricam describit.

Cap. I.	*Polonia.*	73
II.	*Livonia.*	77
III.	*Duna fluvius.*	80
IV.	*Curlandia, Semigallia, Samogitia.*	81
V.	*Sinus Venedicus, lacus Curionensis & Habus.*	82
VI.	*Niemien.*	84
VII.	*Lituania.*	85
VIII.	*Prussia.*	86
IX	*Vistula* le Veixel.	88
X.	*Vandalia.*	91
XI.	*Pomerania, Odera, Marchia Brandeburgica, Silesia, Varta.*	93
XII.	*Longobardia. Meckelburgensis Ducatus & Lubeca, Hamzeaticarum civitatum caput.*	97
XIII.	*Chersonesus Cimbrica.*	99
XIV.	*Ducatus Slesvicensis cum reliqua Iutlandia.*	101

LIBER QUARTUS.

Cap. I.	*Mare Germanicum.*	107
II.	*Germanorum Nomen & Mores.*	108

Cap. III.	*De Germanorum lingua.*	112
IV.	*De Germanorum Imperio.*	113
V.	*Albis fluvius: cujus olim accolæ Boii, Marcomanni, Semnones, Longobardi, Rendigni, Caviones, Angli, Hermanduri, Catti, Cherusci, Chauci*	117
VI.	*Bohemiæ Regnum.*	120
VII.	*Misnia.*	123
VIII.	*Saxonia.*	125
IX.	*Anhaltia.*	126
X	*Mansfeldia.*	ibid.
XI.	*Turingia.*	127
XII.	*Magdeburgum, & Halberstadium.*	128
XIII.	*Marchia Brandeburgica.*	130
XIV.	*Lauenburgum & Luneburgum Ducatus, cum æstuario Albis.*	131
XV.	*Westphalia.*	133
XVI.	*Visurgis, Bremensis Archiepiscopatus, Comit. Oldemburgensis.*	134
XVII.	*Mindensis Episcopatus, Brunsvicensis Ducatus, Buchavia, Hassia.*	135
XVIII.	*Amasis.*	137
XIX.	*Frisia.*	138
XX.	*Flevus lacus. Zutphaniæ Comit. & fl. Sala.*	139
XXI.	*Rhenus fluvius.*	141
XXII.	*Antiqui Accolæ Ripæ Germanicæ Rheni, ab ejus ostio ad Mœnum.*	142
XXIII.	*Ducatuum Cliviæ & Bereheriaci pars trans-Rhenana cum fluminibus Lupia & Roero.*	144

Cap,XXIV. *Lanus fl. Hassia Inferior, & Weteravia.* 147
XXV. *Mœnus fl.* 148
XXVI. *Episcopatus Bambergensis, & Herbipolitanus. Necnon Megethum sedes Magistri Ordinis Teutonici.* 149
XXVII. *Antiqui accolæ Germanicæ Ripæ Rheni à Mœno ad Lacum Brigantinum.* 151
XXVIII. *Necarus. Palatinatus Rheni, Ducatus Wirtembergensis.* 153
XXIX. *Durlacensis & Badensis Marchionatus. Brisgovia. Vrbes Sylvaticæ, Scaphusiæ Pagus. & Sueviæ pars.* 156
XXX. *Rhætia Vetus.* 159
XXXI. *Alpes.* 160
XXXII. *Rhæti Alpini, vulgò Grisones.* 163
XXXIII. *Rhegusini & Sangallensis Abbas.* 165
XXXIV. *Lacus Constantiensis & Cellensis.* 166
XXXV. *Helvetia.* 167
XXXVI. *Antiqui accolæ ripæ Gallicæ Rheni, Helvetii, Rauraci, Sequani, Tribocci, Nemetes, Vangiones.* 170
XXXVII. *Alsatia.* 172
XXXVIII. *Spira & Wormatia.* 175
XXXIX. *Moguntia.* 176
XL. *Treveri, Mosella, Leuci, &c.* 178
XLI. *Vbii, Gugerni, Coloniensis Electoratus.* 183
XLII. *Batavia.* 187
XLIII. *Belgii Confœderati Respublicæ.* 189
XLIV. *Hollandia.* 191

XLV.	*Mosa.*	194
XLVI.	*Insulæ Hollandicæ & Zelandicæ.*	200
XLVII.	*Belgium.*	201
XLVIII.	*Agnio, vulgò Aa.*	203
XLIX.	*Lilium fluvius.*	205
L.	*Scaldis fluvius.*	207
LI.	*Demerus fl.*	209
LII.	*Æstuarium Scaldis.*	211

LIBER QUINTUS.

Cap. I.	*Mare Britannicum, & insulæ in eo.*	213
II.	*Britannicarum insularum commendatio.*	215
III.	*Orcades.*	219
IV.	*Æbudæ.*	220
V.	*Hibernia.*	222
VI.	*Hydrographica Descriptio.*	227
VII.	*Scotia, Magnæ Britanniæ pars borealis.*	233
VIII.	*Incolæ.*	237
IX.	*Chorographia Scotiæ.*	240
X.	*Magnæ Britanniæ pars altera.*	252
XI.	*Angliæ Imperium.*	254
XII.	*Religio.*	258
XIII.	*Chorographia.*	260
XIV.	*Wallia.*	263
XV.	*Walliæ Comitatus, Flintensis, &c.*	265
XVI.	*Sabrina & Varii ad eam Comitatus.*	269
XVII.	*Denshira & Cornuvvallia.*	271
XVIII.	*Durotriges.*	274

XIX. *Suthria & Cantium.* 276
XX. *Tamisis.* 278
XXI. *Essexia, Suffolcia, Northfolcia, &c.* 280

LIBER SEXTUS.

Cap. I. DE *mari Gallico, & maritima, &c.* 285
II. *Galliæ fines & Divisio.* 286
III. *Sermo Galliæ.* 291
IV. *Francorum Regnum.* 292
V. *Galliæ ubertas.* 295
VI. *Galliæ prima Laus quod, &c.* 298
VII. *Picardia.* 300
VIII. *Præfectura Calitii.* ibid.
IX. *Comitatus Bononiensis.* 301
X. *Comitatus Pontieui.* 302
XI. *Summa.* 304
XII. *Comitatus Eusianus.* 306
XIII. *Caletorum Maritima.* 308
XIV. *De Portu Itio.* 310
XV. *Sequana.* 315
XVI. *Senones.* 317
XVII. *Campania, Matrona, &c.* 319
XVIII. *Northmannia.* 324
XIX. *Amnes Northmanniæ, &c.* 326
XX. *Cavæ Northmanniæ litora.* 328
XXI. *Insulæ juris Anglici, litori, &c.* 334
XXII. *Amorica Britannia.* 335
XXIII. *Liger, Velauni, Segusiani, Niverini.* 341
XXIV. *Elaver, Gabali, Averni, Boii.* 344

Cap XXV. *Bituriges Cubi.* Le Berry. 348
XXVI. *Aurelianenses, Blasienses, Turones.* 349
XXVII. *Vigenna, Lemovices & Pivones.* 352
XXVIII. *Andes.* 354
XXIX. *Meduana, Sartna, Ledus, &c.* ibid.
XXX. *Maritima Pectonum, Aunisiorum, &c.* 357
XXXI. *Aquitania.* 360
XXXII. *Garumna.* 372
XXXIII. *Garumni, Convena, Fuxenses.* 364
XXXIV. *Tolosates.* 368
XXXV. *Tarnus fl.* 369
XXXVI. *Agenni, Nitiobriges, Auscii Cadurci* 370
XXXVII. *Duranius & influentes in eum.* 372
XXXVIII. *Burdigalenses & Medulini.* 374
XXXIX. *Novem-populania.* 376
XL. *Aturus & Bigorra.* 377
XLI. *Gavi & Bearna.* 379
XLII. *Biscaya.* 382

LIBER SEPTIMUS.

Cap. I. *Hispania nomen, Vbertas, &c.* 384
II. *Varii Hispania populi, &c.* 386
III. *Vasconum antiqua sedes, &c.* 391
IV. *Navarri.* 392
V. *Ipuscoa olim dicta Vardulia.* 395
VI. *Biscaya propriè dicta.* 398
VII. *Cantabria vetus, Mare Callaicum, &c.* 399
VIII. *Astures & Regnum Legionense.* 400

Cap. IX. *Gallicia.* 402
X. *Regnum Portugalliæ.* 405
XI. *Durius & Castilla vetus.* 410
XII. *Tagus.* 414
XIII. *Castella nova.* 416
XIV. *Anas & Estremadura.* 420
XV. *Bætis, Andalusia, Granata.* 422

LIBER OCTAVUS.

Partem Hispaniæ & Galliæ explicat, quæ opposita est Mari Interno.

CAPUT I.

Mare Mediterraneum. 429
Cap. II. *Ibericum mare.* 431
III. *Murciæ regnum.* 435
IV. *Valentia.* 436
V. *Iberus & Alava.* 441
VI. *Aragonia & amnes in Iberum influentes.* 443
VII. *Calatonia.* 446
VIII. *Mare Balearicum.* 450
IX. *Mare Gallicum, Rhuscinonensis Comitatus, Montes Pyrenæi.* 452
X. *Gallia Narbonensis, seu Languedochium.* 456.
XI. *Rhodanus.* 462
XII. *Pennina Alpis & Valesii.* 463

Cap. XIII. *Lacus Lomanus, Chablasii, Vaudenses Gesii, Mons Iura, Genevenses.* 465
XIV. *Arua, Focunates.* 467
XV. *Araris, Sequani.* 469
XVI. *Burgundia Ducatus, & Principatus Dumbensis.* 473
XVII. *Dextera Rhodani ripa, Lugdunii, Segusiani & Helvii.* 476
XVIII. *Allobroges, Delphini, Isara, Centrones, Alpis Graia.* 478
XIX. *Caroceli, Gresinodum, Cavares & Vocontii.* 481
XX. *Provincia, Arausio, Avenio, Alpes Cottiæ seu maritimæ.* 484
XXI. *Maritima Provincia.* 487

LIBER NONUS.

Italia.

Cap. I. *Eius nomen, magnitudo, figura, & Natura.* 490
II. *Romani Imperii initium, progressus & finis.* 492.
III. *Romani Imperii amplitudo.* 495
IV. *Syllabus Provinciarum, urbiumq; præcipuarum Occidentis Imperii.* 497
V. *Syllabus Provinciarum, urbiumq; præcipuarum Orientis Imperii.* 500
V. *Copiæ & Præsidia circa limites, & in ipsâ urbe.* 502

Cap. VI. *De viarum magnis operibus.* 504
VII. *Antiquus urbis Romanæ decor.* 507
VIII. *Quomodo Italia in plures divisa Principes.* 510
X. *Qualis nunc Italiæ facies.* 513
XI. *Mare Italicum, Inferum & Superum.* 515
XII. *Majores insulæ Maris Italici, Corsica, Sardinia, Sicilia, Melita.* 517
XIII. *Sicilia.* 519
XIV. *Melita.* 521
XV. *Minores insulæ maris Italici.* 522
XVI. *Liguria, Comitatus Niceæ, Dynastiæ Monœcli & Finale, Respublica Genuensis.* 524
XVII. *Etruria.* 527
XVIII. *Litus Romanum.* 533
XIX. *Tiberis, Vmbria, Sabinia, Latium.* 535
XX. *Villæ aliquot insignes ad Tiberim: Laurentinum, Villa Plinii junioris in Tuscis.* 540
XXI. *Fons Clitumnus.* 541
XXII. *Villa Cæsarum ad Gallinas.* 542
XXIII. *Regnum Neapolitanum.* 543
XXIV. *Campania Felix.* 544
XXV. *Lucania & Brutia.* 547
XXVI. *Salentini & Apuli.* 551
XXVII. *Samnium.* 555
XXVIII. *Picenum, Domus Lauretana.* 556
XXIX. *Flaminia.* 559
XXX. *Padus.* 562

XXXI. *Man-*

Cap. XXXI. *Marchionatus Saluciarum & Pedemontium.* 564
XXXII. *Mons Ferratus.* 565
XXXIII. *Ducatus Mediolanensis.* 566
XXXIV. *Vallis Telina.* 568
XXXV. *Ducatus Parmæ & Placentiæ.* 569
XXXVI. *Ducatus Mantuæ.* 570
XXXVII. *Ducatus Mutinæ.* 572
XXXVIII. *Mirandula.* 573
XXXIX. *Ferraria.* ibid.
XL. *Athesis fl. Tirolum, Tridentum, Verona, Patavium.* 575
XLI. *Venetorum Respublica.* 577
XLII. *Forum Iulii.* 580
XLIII. *Istria.* 585
XLIV. *Illyrium.* 587
XLV. *Illyridis Maritima.* 588

LIBER DECIMUS.

Cap. I. *Græcia.* 592
II. *Græciæ nomen & Termini.* 593
III. *Præcipua Græciæ Regna.* 594
IV. *Albania.* 599
V. *Epirus.* 601
VI. *Achaia, seu meræ Græciæ Pars Sinui Corinthiaco apposita.* 607
VII. *Peloponnesus.* 611
VIII. *Meræ Græciæ, Pars altera.* 622
IX. *Thessalia.* 627

Cap. X. *Ma-*

Cap. X. *Macedonia.* 630
XI. *Thracia antiqua.* 633
XII. *Imperii Constantinopolitani initium, progressus & finis.* 635
XIII. *Turcici Imperii initia & progressus.* 636
XIV. *Chorographia Thraciæ.* 639
XV. *Hellespontus.* 641
XVI. *Constantinopolis.* 644
XVII. *Bosporus Thraciæ, cum reliquo litore Thraciæ ad ostium Istri.* 646

LIBER UNDECIMUS.

Cap. I. *Danubius.* 648
II. *Vindelicia, Alemannia, Suevia, Vallis Danubiana.* 650
III. *Baioaria.* 653
IV. *Ænus, Tyrolensis Comitatus, & Salisburgensis Episcopatus.* 657
V. *Noricum Ripense & Mediterraneum.* 658.
VI. *Pannonia.* 659
VII. *Archiducatus Austriæ: Anasus fl.* 661
VIII. *Moravia.* 666
IX. *Hungaria.* 667
X. *Fodinæ Hungaricæ ad Granum flu. sitæ.* 672.
XI. *Quæ à Grano amne ad ostium Savi, secundum Danubium sita.* 675

Cap. XII. *Dravus, Illyricum, Carinthia, Stiria.* 677
XIII. *Savus & Carniola.* 681
XIV. *Croatia.* 682
XV. *Sclavonia.* 683
XVI. *Bosna.* ibid.
XVII. *Mæsia, Rascia, Servia.* 684
XVIII. *Bulgaria.* 687
XIX. *Tibiscus cum ulteriori Hungaria, & Meriscus cum parte Transilvaniæ.* 688.
XX. *Dacia.* 695
XXI. *Transilvaniæ pars altera ad flumen Alutum.* 697
XXII. *Valachia.* 700
XXIII. *Moldavia, Danubii ostia; Bessarabia.* 702.

LIBER DUODECIMUS.

Cap. I. *Pontus Euxinus.* 705
II. *Podolia.* 707
III. *Kozaci.* 709
IV. *Borysthenes.* 711
V. *Regnum Scythiæ Parvæ, seu Tartariæ minoris.* 714
VI. *Scythiæ minoris Chorographia.* 720
VII. *Tanais, & Paulus Mæotis.* 723
VIII. *Circassi.* 726

Cap. IX. *Moschitæ, Colchi, Mingrelii.* 728
X. *Caucasus Mons. Iberia & Albania.* 729.
XI. *Araxes, Cyrus, Albania.* 732
XII. *Moscovia Imperium.* 736
XIII *Chorographia Moscoviæ, Amnes Moskua & Occa.* 742
XIV. *Volga.* 745.



GEO-

GEORGII FOURNIER,
E SOCIETATE JESU.
GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.
PER LITTORA MARIS & Ripas Fluviorum.
PARS PRIMA
Externum Mare complectitur.
LIBER PRIMUS.
Generales Orbis, Oceani & Europæ divisiones tradit.

CAPUT I.
Prima Orbis facies.

1\. ORBIS terræ ab initio rerum de nihilo conditus, sub aquarum mole per biduum delituit, *a* tertiáque tantûm die recedentibus aquis emersit; Neq; mirabili aquarum receptui signũ dare, aut buccina canere fabulosus Triton necesse habuit. Imperavit enim qui fecerat Deus, & ilico sublatis montium verticibus, vallibus contrà in altitudinem depressis, terra specus vastosque sinus & alveos in omnem aperuit partem, quibus ruentes deor-

sum

sum aquas exciperet ac redderet. Operæ pretium adfuit, unum in globum elementa duo confluxerunt, ut eodem nutu hominum generi servirent, & terra quidem pastum animantibus, homini larem ac victum, de suo tribueret; aquarum autem commercio ex omni ora adnavigabilis, suas marisque collectas opes, in sinum ejusdem hominis effunderet. Otiosæ porro esse non licuit; nam quæ dies liberam vidit, eadem vestitam floribus, herbis, arboribus, frugibus aspexit. Incolæ tantùm deerant: At postmodum accesserunt *b* animantes, ultimóque in agmine subsistens omnium Princeps & Dominus Adam inauguratus est, anno ante Christi æram 3916.

2. Amœnissimus terræ locus, Regiam præbuerat, si servare potuisset. Fuit is hortus Eden Paradisus voluptatis, quē in Insula Taprobana, Ceilan, Orientales constituunt. In Palæstina ad mortuum mare benè *c* multi, qui ajunt admisso flagitio primo, Parentes beatâ illâ mansione dejectos, in agro Damasceno & montanis Hebron vitam duxisse in ærumnis, hinc in Paradisum unde exciderant intuentes, inde in montem Calvariæ, unde ipsis salus æterna fuerat adpromissa. Plerique ad confluentes Tigrim & Euphratem. Ubicumque autem fuerit, ab Armenia procul abesse haud potuit: Hîc enim de quatuor Paradisi fluminib⁹ duo, Euphrates & Tigris certò oriuntur, eorúmque fontes non distant áb invicē stadiis 2500. ut vult Strabo, *d* sed parasangis tantùm 10. Quod si reliqui duo Phison & Gehon, ii sunt quos Geographi appellant Phasim &

Ara-

Araxem: illius autem origo à fonte Euphratis 15. parasangis, hujus verò ab eodem non pluribus distet quam sex vel octo, ut contendunt *e* qui ea se lustrasse loca dicunt, vix de loco Paradisi superest dubitandi locus: maximè cùm Armeniam, aut ipsi finitimas regiones primi Patriarchæ noscantur incoluisse. Accedit quod Phasis fertur in Pontum per Colchos, ubi nascitur aurum purum putum. Araxes verò evolvitur in mare Caspium, ad cujus littora Hieronymus constituit Eropes, vel ut legit Ortelius, Æthiopes.

3. Hominum genere propagato, civitatē primam Cainus ultra Paradisum ad Orientem cōdidit, & de nomine filii *f* Henochiam appellavit. Alias præter illam complures, ante diluvium ædificatas esse, ratio arguit, monumenta certè veterum nulla testantur. Imò divisionem gentium & regnorum aliquam, satis indicant temporum illorum superbi gigantes, propter scientiā rei militaris memoriæ cōmendati: Bella enim inter diversas gentes & de Imperio maximè gerūtur. Ut ut sit, mortuo Adamo, mundi & vitæ ejus anno 930. expleto, feria sexta, qua etiam de fructu vetito comedisse sentit Irenæus l. 5. c. 23. multiplicatis cum universa gente sceleribus, iratum numen, diluvio immisso, cum civibus urbes, cū hominibus & jumentis terrā obruit. Unus ex mundi naufragio, Noe cū familia incolumis enatavit. *g* Inclusa cum ipso in Arcam de alitibus & quadrupedibus singula saltem paria, ne species periret, servata sunt anno ab rerum exordio 1656. Porrò ad latus Caucasi, centū totos annos in arca fabricanda in oculis improborum posuit san

ctus Patriarcha verus Promotheus, huic monti propter pertinacem in opere constantiam quasi religatus.

a *Gen.* 1. b *Gen.* 2. c *vidè Adricomium.* d *Strab. l.* 11. e *Plin. l.* 5. *c.* 24. *& l* 6. *c.* 9. *Salustius apud Serv. ad* 3. *Æneid. & præcipuè Texeira hodoporiæ cap.* 5. f *Genes.* 4. g *Genes.* 8.

Cap. II.

Prima Orbis divisio in tres Noe filios.

1. SUBSIDENTIBUS aquis diluvii, hæsit *a* arca in ea Tauri montis parte, quæ Barin dicitur, & Armeniam Majorem à Mesopotamia separat versus Boream: unde nemini dubium esse potest, de regione, quam post diluvium Noe cum suis primam tenuit. Sed multiplicatis iterum ex uno capite, in tantam multitudinem hominibus, ut una regine coërceri non possent, divisionem orbis inter liberos suos, Noe aggressurus, prius ossa *b* Adami quæ religiosè conservaverat in arca, distribuit inter filios, calvariâ Semo tradita: tum orbem ita partitus est. Japheto tribuit ea *c* quæ à Mediâ in Septemtrionem & Occidentem vergunt usque ad Gades & insulas Britannicas; Chamo Africam, hoc est, ea quæ sita sunt à Rhinocoturis & Gadibus versus meridiem: Semo denique Palestinam ad Rhinocoturas & plagas Orientales versus Indiam, cunctos monens ne quis fratrum fines invaderet. Tum ipse cum filio Semo, ex Armenia redux in patriam

patriam antiquam, & loca Damaſco vicina, regnum conſtituiſſe dicitur, & Pontificatum, poſteà dictum Salem, hoc eſt, pacificum ab urbe ejuſdem nominis, in qua Sem per plures annos, ut volunt aliqui, regnavit & poſt eum Melchiſedech, qui pariter Regis & Sacerdotis functus eſt munere. Obiit verò Noëmus anno ante Chriſt. 1978. vitæ ſuæ 950. cum vidiſſet nepotes ad undecimam generationem.

2. Porro in aſſignatas partes priuſquam ſinguli immigrent, dum ingentem turrim in commune nominis monumentum moliuntur, induxit Deus in omnibus familiis oblivionem nativæ linguæ, id eſt Hebraicæ, præterquam *e* in Heber & Phaleg, qui non fuerant hujus ædificationis participes, & ſingulis proprias dialectos indidit. In ſtirpe Japhet, pro familiarum numero quindecim repertæ ſunt: *f* in ſobole Cham, una & triginta, in filiis Sem viginti ſeptem: harum ſubducto numero, duæ & ſeptuaginta linguæ novæ anteáque inauditæ, emergunt ab Hebræa diverſæ. Ita commercio vocis omnibus ablato præterquam Noe ac tribus filiis, qui ſpeciali privilegio omnes intelligebant, ut poſſent omnibus ex æquo conſulere, familiarum diſperſio pro idiomatum diverſitate, in omnes circumquaque provincias, *g* ſubſecuta eſt. Populi ſinguli ſuas ſibi res agere cœperunt, urbes moliri, & Magiſtratus præficere, qui creſcentem paulatim multitudinem in oppidis & pagis regerent. Hæc prima orbis diviſio tripartita contigit uno ab diluvio vertente ſeculo & alterius elapſo jam dimidio.

 a *Geneſ.*

a *Genes.* 8. *Ioseph. Antiqu. l* 1 *c.* 4. *Ortelius verbo Gordiaus.* b *Moses Barseph. de Parad. p.* 1 *c.* 14. c *Genes.* 10. *Iosephus. Africanus apud Eusebium in Chron. pag.* 10. *Cedrenus p.* 10. *Eustat. Antioch. Freculphus. Epiph. in Ancor.* d *Authores vide apud Genebr. lib.* 1. *Spond. Salianum. Baron. ad ann.* 196. *n.* 5. e *Spond ad ann.* 1931. f *August.* 16. *de Civ.* 6. *&* 11. *Epiph. de Mensur. & ponder.* g *Spond. ann. mun.* 1931.

CAP. III.

Secunda Orbis divisio.

1. DUM Noëmi posteri, per Orbem dissipati in adeundâ & occupandâ terrâ sibi assignatâ operã *a* navant, sextus filiorum Chusi & nepos Chami, Gigantæis moribus & staturâ insolescens, divisionem à proavo suo Noëmo factam neglexit, & omnibus imperare vehementer exoptans, qui Belus (quod Syris & Hebræis Dominum sonat) optat dici, primus Nembrod (quod ab Isidoro exponitur Tyrannus) appellatus est. Ad Turrim, Babel de linguarũ confusione dictam, collectis iis, quibus cum vitæ & morum societate communicabat, Babylonem civitatem cõdidit ad fluvium Euphratem in lat. 35. antiquissimi regni, vel potius primæ & teterrimæ tyrannidis sedem & caput; subditósque ne à se deficerent, à vero Dei cultu ad sacrilegam veneratione͂ Ignis & Solis *c* traduxit. Præcipuæ ditionis ejus urbes in Genesi referuntur secundum Babylone͂, Arad, quam sanctus Hieronymus interpretatur Edessam;

Edessam; in lat.g.37.m.30.ad Orientem Euphratis. Achad quam Nisibin in lat. g.37.m.30. ad occasum Tigris: & Chalanne quam Seleuciam g. 35.m. 40. aut Ctesiphontem 35. ad Tigrim arbitratur. Ponuntur omnes in terra Sennaar. Cum verò Nemrod 65.annos regnasset, ipsi successit Ninus ejus filius, qui constituto asylo ad statuam quam Babylone in templo parenti similem statuit, celeberrimo in loco; obtinuit ut Bel diceretur, quē postea Assyrii, Chaldæi & Israelitæ Baal, Belzebub, Belphegor: Græci Saturnum appellarunt, & ut Deum, imo deorum parentem coluerunt. Postea non contentus imperii modici finibus, bella finitimis, intulit: Assur filium Semi, qui Assyriam urbem, & Zoroastem qui Bactram in lat. 41. ad Fl. Dargidum qui miscetur Oxo, condiderant, multo labore domuit *e* & utrumque de possessione sua disjecit, ducto exercitu peditum decies septies centum millium, equitum ducētorum ac decem millium, curruum falcatorum decem millium ac ferè sexcentorum. Asiâque subactâ, quod fuerat in Babylonia exortum imperiū, transtulit ad ripam Tigris in lat. g.36. m. 40. in qua urbis Assyriæ pomœrium dilatavit, eámque de suo nomine Ninum seu Ninivem dici voluit, quæ Metropolis fuit Assyriorum Regni, quod ad mille circiter & trecentos perseveravit annos.

2. Per idem tempus, alibi quoque constituta regna sunt; præsertim in iis partibus, quibus postea Europæ & Africæ fuit nomen attributum. *f* Nam vix anni 12. effluxerant ab statuto in Assyriis imperio, cum regni Sicyoniorum jacta sunt

fundamenta. Est verò Sicyon urbs in Peloponneso, Isthmo & Corintho subjecta. in lat. g. 36. m. 50. in qua Ægialeus & ejus filius Europs regnarunt, & totius Græciæ, imo & Europæ antiquissimum regnum fundarunt, quod mille propemodum annis duravit ad tempora Agamemnonis, qui Sicyonios devicit.

3. In Syria similiter condita est Hebron, quæ antiquissima fuit urbium terræ Chanaam, in qua sepulti cum suis conjugibus memorantur *g* quatuor nobilissimi Patriarchæ Adam, Abraham, Isaac & Jacob. Fuitque postea Philistinorum Regia & primaria tribus Judæ, distans Hierosolymis passuum millibus circiter viginti ad meridiem. Et licet in Africa fabularum licentia corruperit origines, tamen his temporibus conditas in Ægypto Thebas, Memphim & Tanim, tradunt antiqui Chorographi: Sed quæ prior, incertum. Tanim vetustissimam contendit Berosus, & favet Scriptura sacra, conditámque *h* à Titantibus filiis Noe, septem annis post Hebronem. Hæc autem est in lat. g. 30. m. 50. & à qua, Ostium Nili Tanicum denominatur à Ptolemæo, in qua fuit Regia Pharaonis, in cujus campo, Deus mira per Moysen operatus est, & sepultus Hieremias juxta Regum sepulcra.

4. Alii volunt Memphim vetustissimam. Certe fuit amplissima urbs Ægypti juxta Heliopolim sita, ubi Nilus scinditur in Delta, in lat. g. 29. m. 50. sedes aliquando Regum Ægypti, ubi visebantur fastus Ægyptiaci Pyramides, aliáque opera, & degebant magicarum artium peritissimi.

ad quos Pythagoras & Plato profecti sunt, malentes aliena undecumque discere, quam sua imprudenter ingerere; hæc denique est quæ à Selino Turcorum Imperatore capta est, & in qua *i* extinctum Mamaluchorum Imperium, anno Christi 1517.

Neutri vero concedunt Thebæ, potentissima quondam civitas *l*, quæ portas dicitur habuisse centum, in quarum singulis memorantur *m* ducenti Custodes, excelluisse in equis & curribus, & à qua subjecta regio Thebais dicta. Fuerunt etiam tunc Arabum Chaldæorúmque regna; sed quæ de iis commemorantur ab Eusebio, fabulis sunt quam vero propiora.

a *Genes.* 10. b *Isidor. Ethym. l.* 7. *Hieron. de trad. Hebr. In Genes. Hugo à S. Vict. in Gen.* c *Hugo annot. in Genes. Isid. l.* 4. d *Euseb. in Chron. &* 8. *de præp.* 4. *Hieron. in cap.* 46. *Isa.* e *Diodor. lib.* 2. *cap.* 1. *Iustin lib.* 1. f *Euseb. in Chr. Pausan. in Corinth.* g *Lyr. Hug. Abul.* h *Num.* 13. i *Annal. Turc. Leuncl. Iovius.* l *Herodot.* m *Plinius lib.* 36.

CAP. IV.

Abrahæ Peregrinatio.

ANNO post diluvium 291. ab Heberis stirpe penes quam usus cognominis linguæ & vera religio constitit, ortum duxit Abrahamus ex Chaldæa regione, in Ur civitate, quæ putatur Urchoa Ptolomæi, in lat. g. 32 m. 40. ad occasum Tigris, & jussu Dei profectus est in Charam Mesopotamiæ; quam aliqui putaverunt Charas, in

lat.g. 36.m.10. ad ortum Euphratis, Craſſi clade nobilitatas: ut ut ſit, inde profectus ſemel, iterūque *a* in Chananæam, poſteaq; in Ægyptum, ubi ab regis libidine Saram ejus conjugem tutatus eſt Deus, vixitque tota vita hoſpes & peregrinus. Ipſi æquales fuerunt quatuor in Syria & Oriente Reges, quos ille de recenti victoria ſecuros nimis, repentino impetu oppreſſit, & Pentapolitanæ regionis præda ſpoliiſque exuit. Primus inter illos cenſetur Amraphel Rex Sennaar ſive Babyloniæ, quamvis bellum ſuo nomine non gereret, ſed Elamitarum Regi ſuppetias ferret: quod Joſephum alióſque movit ut Aſſyriorum ipſum eſſe Monarcham crederent. Secundo loco Arioch Rex Ponti, ſive Ellaſar in Cœleſyria. Tertio loco qui Elamitis, hoc eſt Perſis, imperabat Chodorlahomor totius belli fax & author. His accedit quarto & ultimo, Thadal Rex Gentium, hoc eſt, Galilææ ſuperioris, quæ Galilæa Gentium poſtea dicta eſt, quod maritima cum eſſet, atque portuoſa, negotiatores ex omni ora, peregrinoſque alliceret. Cæterùm adverſus quatuor illos, in aciem prodierunt Pentapoleos quinque Reges, quorum nomina non extant, ſed à Civitatibus quas regnabant, deſignantur. Nempe Rex Sodomæ primus, Gomorrhæ ſecundus, tertius Adamæ, quartus Seboin, & quintus Balæ Rex, quæ & Segor dicta eſt.

Superiorum finitimus eadem ætate vixit Melchiſedech Rex Salem, idemque ſummi numinis Sacerdos caſtiſſimus, qui redeunti ex cæde Chodorlahomor, Abrahæ obviam factus, Euchariſticum

cum Deo panis & vini Sacrificium obtulit, victori benedictionem impertivit, & ab illo de manubiis decimas accepit ann. ante Christum 1955.

a *Genes.* 12.13. b *Genes.* 14.

CAP. V.

Ultima Orbis divisio in Antiquum & Novum.

MEMORIÆ proditum à Strabone *a*, quosdam universũ genus hominũ in duas partes divisisse, videl. in Græcos & Barbaros, & suasisse Alexandro ut Græcos pro amicis: Barbaros pro hostibus haberet. Respondisse vero Alexandrum, rectius virtute & malitia eos dividi, multos Græcorum esse malos, & de barbaris laude dignos, ut Indos, Romanos, Carthaginienses, quorum in magna sunt admiratione Respublicæ. Itaque Alexandrum illis admonitionibus valere jussis, dixisse, quoscunque nancisci posset viros egregios, amplexurũ se & beneficiis ornaturum. Sane sapienter, nec alia videretur necessaria divisio. Quia tamen ex finium ignoratione sæpius sunt orta bella & ad distinctam cognitionem obtinendam, negotiáque tractanda non parum facit orbem in Continentes dividere. Ideo fuit à majoribus (nescitur quando) divisus orbis in tres partes, Europam, scilicet Asiam, & Africã. Quartam addiderunt *b* aliqui Ægyptũ, quod plures in ea urbes & populi reperiuntur, quàm in reliquis tribus. Græcos etiam separant alii *c* ab Eu-

ropa & Aſia. Ego totum Orbem in duas partes divido, Antiquum & Novum. Antiquum voco, quem Ptolomæus ſcripto & Tabulis illuſtravit, & Majores ut plurimum in Europam, Aſiam & Africam diviſerunt. Novo ſimiliter tres alias tribuo, ſcilicet Americam, terras Septentrionales, & terras Auſtrales, quas Argonautæ Europæi ſeculo proximè ſuperiori repererunt, ducibus Americo & Magellane.

a *lib.1.in fine.* b *Plin.l.5.c.9. & ex eo Ortelius & Cluverius.* c *Herodot.in Melpom.*

Cap. VI.

De Oceano.

OCEANUS eſt ingens illud pelagus, & totius aquæ præcipuum quaſi corpus, quo univerſus orbis, velut inſula cingitur, & ejus aquis tanquam pila enatat. Sic dicitur à Græco ὠκέως quod ſumma claritate fluat: *ὠκεανὸν λέγεσθαι ἀπὸ τοῦ ὠκέως νάειν.* verba ſunt Euſtachii in Iliad. ξ. Mare verò eſt membrum ſeu brachium univerſi illius corporis æquorei. Utrumque varia ſortitur nomina. Primò à Provinciis quas alluit; ſicque dicitur Sarmaticum, Norvagicum, Germanicum, Gallicum, Santonicum, Aquitanicum, Cantabricum, Callaicum, Phœnicium. Secundò ab Inſulis; unde vocatur Britannicum, Balearicum, Carpathium, Ægæum, Cyprium. A Gentibus, Balticum, Germanicum, Auſonium, Dalmaticum, Liguſticum, Tuſcum. Ab oppidis Adriaticum, Argolicum, Corinthium, Tyrium. A Ca-

A Casibus hominum vel Jumentorum, Saturnium; Myrtoum, Hellespontìcum, Icarium, Equarium; A memoria Regis, Jonium. A bovis transitu vel angustiis, etiam meatibus boum perviis Bosporus. A moribus Accolarum, Euxinus ἄξενος appellatus. Ab ordine fluendi, Propontis. A qualitate aquæ, aëris, vel soli aquis substrati, Pigrum, Amalchium, Mortuum, Album, Rubrum, Bothnicum, Pulmoneum, Jecoreum, Hyberboreum.

Cap. VII.

Mare Hyperboreum.

AB ultimi Septentrionis carceribus, benè longum stadium Deo auspice ingredior. Neque aliunde potius debui quàm ab illa Oceani parte, quæ sub ipsis Trionibus & Arctoo jacens, mundi vertice, Hyperborici, Septentrionalis & Arctoi maris appellationem sortitur. Nam hic vertex nobis semper sublimis nostras navigationes moderatur: at illum sub pedibus styx atra videt, manesque profundi.

Hyperboreum mare, si ambitum spectes nobis per gradus 30. polo adjacentes effunditur: si nomen à Boreâ traxit, quoniam ex parte situm est ultra montes Riphæos, ex quibus in subjectam Europam Boreas debacchatur; neque opus est ejusdem nominis insulam Sicilia majorem in partibus illis fingere, quod aliqui fecerunt. Nam saluberrimum cœlum, justissimos incolas, eósque humanæ vitæ modum absque

adversa valetudine excedentes tribuere, ut in figmento facile fuit, suadere non ita: melius haud dubiè, qui non ex fabulis, sed ex rei locique naturâ, Leberzée, hoc est, Pulmoneum, Jecoreum & Pigrum mare, Amalchium, hoc est, lingua Scythica congelatum, Morimarusa seu Mortuum dixerunt *a*, quod cœlum inerti frigore nusquam non rigeat, & perpetuis obnubilatum pruinis, maligna luce & creperâ vix unquam albescat. Neque enim semper quotidianus Solis ortus plagam illam nova luce reparat, neque largis & erectis facibus, ut habitationes nostras accendit, sed per quatuor, quinque, sex menses continuos, vel deprimitur infra horizontem, vel totidem extat supra, prout variè mundi cardo attollitur. Cum verò obliquis tantum & debilibus admodum radiis, illam mundi partem attingat, hinc fit ut ea pars Oceani, maximè quę lambit litora, cum pigra sit & gravis, nec ventis impellatur, aut fluctibus attollatur, penè tota ad multas leucas concrescat, sua licet quovis die naturali sentiat incrementa & decrementa (veniliam affluxum, salatiam refluxum dixit Varro) propter æstum, qui ab austro hîc insurgit: quinetiam nautæ ad immanes eas glacies, non secus quàm ad insulas appellunt, & in eas cum descendunt, ab nulla re sibi timent, præterquam à fulgore nivium & glacierum, qui sic officit luminibus, ut plerosque (quorum novi aliquos) obcœcet.

Saturnium aliqui seu Chronium appellant à Sidere, quod iisdem locis dominari credunt, quàm verè, ipsi viderint: *b* fabulæ pudet quæ Saturni

turni virilibus exſectis eóque projectis,fœcunditatem huic adſcribit Mari, cum præter Elephantes marinos & ingentes Balenas omnino glabras, nec ullis inſtructas pinnis,vix ulli piſces reperiantur à gradu ſeptuageſimo quinto, ad ipſum polum. In mari hyperboreo præter Islandiam & aliquot inſulas,Spitsberga,Nova-Zemia & Grōlandiā navigationibus patuerunt. Inſulæ verò ſint, an terra cum Americanis & Aſiāticis regionibus cohærens & continuata, incertum adhuc. De hoc mari multa ſcripſere Tacitus, Plinius, Dionyſius,Euſtathius, Feſtus Avienus,quæ refellere eſt abuti otio. Soli Himilco & Pitheas,quæ experti ſunt in eo mari, & experimur quotidie, vera retulerunt,quamtumvis fidem ipſis deneget Strabo : vide quæ de ea re fuſius ſcripſi in Hydrographia,l.5.c.3.

a *Adamus Bremenſis. Strabo. Plin. lib.4.cap.* 13.
b *Euſtathius in Dion. Alexand.*

CAP. VIII.

Spitsberga.

ANNO 1596. Kemskertius Batavus per Hyperborei maris pruinas & glaciem, ad Orientale pelagus aditum quærens, priſcis incognitam regionem aperuit, quam de præacutis montium verticibus, æterna nive obſitis, Spitsbergam appellavit. Exinde Galli,Batavi,Hamburgenſes,piſcationē Balenarum valdè quæſtuoſam illic exercent : nam frequentes ibidem reperiuntur,& prępingues,& quę in adipem ferme

ſolvuntur,aliquę pedum 200. *Anno* 1634. Houſſonus Navarchus Dieppenſis,ex unica centum & viginti cados olei expreſſit,cujus vel ſola lingua, ſex & viginti profuderat. *Alterius* in proboſcide intra os ipſum quod omninò caret dentibus, ſexcentæ pinnæ barbulis fruticantes numeratæ ſunt. Mirum verò quam huic ſit belluæ arctam guttur, certè cum in interiori alvo ſi quando aperiatur, nulli piſces reperiantur; ſed tantum aranearum quibus hoc mare inficitur & interdum nigreſcit, pugilli 5. vel 6. facile mihi perſuadeo craſſius hoc aquæ elementum ipſis ſufficere pro omni cibario. *Anſeres* rubros alit regio,quos ex deciduis Scotiæ arborum vermiculis tantum naſci hactenus creditum. Muſcus & herbulæ quæ inter glareas ènaſcuntur alunt urſos & capreolos præpingues aliquando, aliàs malignè vix oſſibus hærentes. Nihil autem in eo ſolo corrumpitur non ligna, non pingue piſcium, non cadavera hominum ante annos 30. hîc ſepulturæ mandata. Junio menſe portus adhuc glacie clauſi ſunt. Nimbi verò & vapores ſæpius tanta mole incubant, ut ex prora puppim cernere haud liceat : aliàs ſudo cœlo pars maris in umbrà Montium conſtituta, horis tribus ita gelu concreſcit,ut majora tormenta bellica per illud poſſis devehere. Cornu Monocerotis hîc ab *Anglis* repertum ne mirere, in hoc enim Oceano frequens Monoceros piſcis. *Ad* Boream Norvagiæ à 77. gradu ad 83. porrigitur.

CAP.

Cap. IX.

Balenæ ad capturam affectatio. Ursorum Insula.

UBi appetente solstitio æstivo, Spitsbergam appulerunt nautæ, quando per tres quatuorve menses isthic dies est continua, eorum unus in eminenti rupe litoris excubias agit, donec aliqua balena, spiraculo, quam duxit interius, ut se refrigeret, aquam, evibrato jactu difflet in aëra; tum dato signo plures in cymbis expediti proximè appropinquant belluæ, & telum, hastili cui funis adhæret infixum, summo nisu quā possunt altè ipsi imprimunt, & illico totis artubus incumbunt remis, ut se ocius proripiant, extremum vagi funis ducentes manu. Bellua vulnere saucia, quasi fugiens telum quod ipsi adhæret, ima petit Oceani: miras aquarum turbationes excitat, redit in altum, emergit, volvitur in omnem partem, indigatione percita, donec post unam & alteram horam, exhaustis viribus, & effuso sanguine demortua enatat. Redeunt Nautæ & ovantibus similes, prędam fune subducunt in litus, mox stantes in Monstrum, ascia dissecant in frusta illius pingue seu lardum, quod in aheneum caldarium magni modii conjiciunt, igneque supposito copiosum ex eo oleum exprimunt; Idem fit & in Gronlandia, & in Ursorum Insula, Hæc gradum 74. m. 30. obtinet inter Spitsbergam & Finmarchiam, itinere quasi medio. Longum 12. pedes, Ursum Batavi hic occiderunt, inde nomen Insulæ.

Cap.

Cap. X.

Gronlandia.

VASTA est regio Americanis plagis vel conjuncta, vel ab iis tantum freto Danis disjuncta circa gradum latitudinis Borealis 60. Appulsus ad eam Ericus Rufus anno Domini 982. Grölandiam dixit, hoc est, terram viridem, quod gramen & illud pascentes capreolos in ea reperisset. Sinum ad quem appulit de suo nomine Erricsfiorden dixit, & in eo pagos Brattalyd & Stokanes extruxit. Leifus Erici filius sacro fonte ablutus in Norvagia, studio Olai Truggeri Norvagiæ Regis, Grölandos ad Fidem convertit. Divisa aliquanto postea in Orientalem & Occidentalem, in illa paroëcorum regiones 12. constitutæ, in hac tantum quatuor; Omnes Norvagis tributo obnoxiæ sunt factæ anno 1123. sequenti proximo, rogatu Regis, Arnhaldus à Lundensi Episcopo Scaniæ factus Episcopus Gronlandiæ, Sedem posuit Gardiæ; Cui undecim successores tribuunt Annales ad annum scilicet 1389. quo Henricus quidam præfuit, qui Neoburgi in Fionia comitiis dicitur adfuisse; cui etiam successerunt alii ad annum 1416. Sed illa Nostratibus nautis, qui Spitsbergam petunt, planè incomperta sunt, qui dum ad eas partes appellunt, ut ex Balenis oleum exprimant, nihil non vastum & glacie obsitum hîc reperiunt. Qua verò occasione hæc fuerit olim à Norvagis intermissa navigatio, incertum. In pestilentiam dictam nigram referunt aliqui, quæ olim Norvagiæ magnam intulit

intulit vastitatem; alii ex coacervata glacierum copia, quæ impedita adeo ea reddidit littora, ut vix ea præterquam à parte qua Libonotum Borealem spectant hodie, quamvis & id subinde difficulter, detur contingere. Quando Guillelmus Baffin huc se contulit sub annum 1616. incolas adhuc reperit, qui pectora tundebant. In Gronlandiæ littoribus quæ proxima sunt freto Danis, repérirtur Monoceros piscis, Nathual Islandis dictus, bove haud multo major; qui non secus quam Balena duplici spiraculo admissam aquam ejaculatur in aëra, è cujus ore prominet illud sive cornu, sive dens per totam Europam in summo habitus pretio, quod contra venena cujusvis noxæ medicamentum sit præsentis opis. Porrò non per Symphysin nascitur è fronte, sed per Gomphosim superiori mandibulæ inseritur, eoque tanquam lancea Balænulas, vitulos, & ursos candidos, & similes pisces, quibus vescitur, transverberat, & cum ipsis Balænis interneciva init prælia. Ubique solidum est præterquam circa radicem, è qua nascitur recens cornu aliud quod majori insitum tandem vetulum & prægrave trudit. Sic verò prædurum est, ut cote Barbari illud subigant & exacuant in cultros & enses, qui non minus præscindunt, quam si essent Calibei. Inde etiam Danus Navarcus anno 1636. retulit in patriam arenæ magnam copiam, quæ colore & pondere aurum referabat.

CAP.

Cap. XI.

Islandia quibusdam Antiquorum Thule.

ISLANDIA glacialem terram, Thule Insulam vel ſcopulum è Mari extantem Danico idiomate & Norvagico ſonat: *a* & vero in circuitu Islandiæ, nulla ſunt vada aut ſyrtes, quæ tamen in acceſſu Britannicarum Inſularum ſunt frequentiſſimæ: mediam ſecat Circulus *Arcticus*, à quo minutis tantum quadraginta ſex diſtat Holem ſedes Epiſcopalis. Porrigitur penes longitudinem ab ortu in occaſum, quadraginta milliaria ſeu minuta Geographica, ſecundum latitudinem 170. à gradu circiter ſexageſimo quarto ad ſexageſimum octavum, Schalholt ſedes eſt Epiſcopalis, Baſſaſtadii reſidentia Præfecti à Rege Danico. Incolæ atri ſunt capilli, breves & membris compacti, vicatim habitant: Domus è lapide unius contignationis omnes, & lateribus tectæ, ſuppellex terſa & copioſa, ipſos dentes & gingivas fricant urina, ut à putredine ſervent. Veſtes è panno nigro vel leucofeo non ſecus ac Scotorum. Iis qui habitant interiora Inſulæ, potionem præbet ſerum aut fontes Cerealis liquoris dulcedinem habentes: panis vicem præſtant piſces vel comminuti in modum farinæ, vel toſti & inuncti butyro, cujus tanta apud eos copia, ut variis in locis reperias ciſtas ex odorifero ligno confectas triginta vel quadraginta pedes longas, quatuor verò vel quinque

que altas, plenas butyro; illoque victu constantem valetudinem ad quadraginta supra centum, imo ad ducentos annos noscuntur sæpius protulisse. Nunc qui littora accolunt, & vinum & frumenta norunt, quas ad eos deferunt, qui cum ipsis in portu Hafnefordio mercaturam faciunt sevi, adipis, butyri, pellium, sulphuris, piscium & salis igniariæ concretionis quibus abundant.

2. *A*d eam colonias duxerunt Norvagi, Dani, Scoti, Bremenses: Hi in ea nongentesimo circiter salutis anno civitatem condiderunt, & eam in tetrades à singulis mundi cardinibus denominatas diviserunt, variásque leges sanxerunt, inter quas erat una, quæ vetabat medicos alere, nisi ætate vel morbo sine ulla sua culpa essent inopes. Receptam sub annum octingentesimum trigesimum quintum ab *A*nsgario Hamburgensi *A*rchiepiscopo, cui suas vices instante Ludovico Pio, Gregorius quartus commiserat *b*, Christi fidem servarunt illibatam, donec Christiernus tertius Daniæ Rex ad *A*ugustani dogmatis perfidiam eos compulit, anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo. Montes in ea plurimi: In his vertex Montis Helcæ æternis nivibus tegitur, radices verò perpetuis ardent incendiis; propius sex milliaribus nemo impunè accedit. Ibi sceleratorum animas torqueri persuasum incolis, voces, gemitusque frequenter auditi fidem faciunt. Spectra etiam sese aliquando offerunt congressibus notorum hominum tam manifesta, ut tanquam viventes excipiantur ab ignaris mortis illorum data dextera, nec deprehenditur

error

error, priusquam disparuerint umbræ. Fata principum, quidve remotius in orbe peragatur, ab iisdem frequenter rescivere.

Fluvii Salmonibus refertissimi sunt. Volucrum aquatilium immensæ nubes litora operiunt. Perdices albæ, Corvi candidi, ut & Falcones, hique ad aucupium laudatissimi reperiuntur. Boves amphiviæ solo & amnibus communes.

a *Pontanus, Arnsgrinus Islandus. lib.*1. b *Pontanus in Chorog. Dan.pag.*752.

CAP. XII.

Nova Zemia.

TRACTUS est rigente cœlo, perpetuáque damnatus hyeme, à Samoïdis Moscoviæ populis freto & Insula Vaigast diremptus. Dum ad Chinas iter illac aperire tentant, novam Zemiam, hoc est, novam viam, Nautæ dixerunt. Et verò post emensum diebus quinque maris sinum, cujus aquæ vix ullam habent salsuginem propter magnos, qui in eum ex Moscovia, & Tartaria fluvios evolvuntur, ajunt deveniri ad fretum aliud, quod spatio dierum 50 quibus glacies solvuntur, si transmittatur, devenitur ad mare, quod Tartariam rigat, & Chinam. Ut ut sit, fretum Vaigast subest gradui 69. m. 40. qua parte dirimitur à Moscovia: Toto penè anno illud occludunt glacies, quæ dum solvuntur, tonitru & cœli fragores referunt, si non superant. Inter Insulam verò & Novam Zemiam aquæ vix extant aliquot pedes, unde nec possunt evehi naves præterquam medio æstu. Porrò per illud æquor

ſtratum glacie & per Inſulam Vaigaſt è Nova Zemia cùm incolæ plures trajiciant quotannis in Moſcoviam, ut cum Samoïedis, & Tartaris mercaturam faciant, ut certis conſtat relationibus, non eſt quare dubitemus de tranſitu & origine Americanarum gentium, cum in his partibus Europa & Aſia exiguo tantùm freto à Nova Zemia parte Americæ ſeparentur, nec opus ſit navibus, urſis & animantibus cæteris, quæ per glaciem incedentes perveniunt, in Spiſtbergam, Urſorum Inſulam & plures alias à continente disjunctas, decies majori ſpacio quam nova Zemia à Moſcovia diſtet & Tartaria, vel Spitsberga à Gronlandia, & Grolandia ab America.

Cap. XIII.

Europa.

TERMINOS habet ab Aquilione & occaſu Externum Mare, ſeu Oceanum, ab oſtio fluminis Obi ad Herculeum fretum: à meridie internũ mare quod Mediterraneũ dicitur: ad Ortũ Mari Ægeo, Helleſponto, Boſporo Traciæ, Ponto Euxino, Phaſi & Araxe fluviis, Mari Caſpio ad fluẽta Volgæ, Riphæis montibus & Obi flumine definitur: quãquam hujus oſtio mare Caſpiũ cũ Boreali Oceano cõmitti & Aſiam ab Europa ſejungi, malè ſibi perſuaſum antiqui habuerunt. Ab Europe Sicyoniorum Rege, nomen habuiſſe; malim dicere quã ab Europa Agenoris filia; quidam

dam ab Europa Thraciæ regione Bosporo appoſita, vel ab ejuſdem nominis Provincia, quæ ad Orientem ſinus Finnici jacet, eóque & lacu Ladoga intercipitur: horum opinioni vicus Europæ ſuffragatur, cujus authorem Japhetum Noëmi filium Finnones jactant. *A*byſſini, Turci & *A*ſiatici plerique omnes Franchiam, Judæi & Orientales aliqui, Chriſtianorum regnum nominant.

*A*fricam *A*ſia minorem eſſe conſtat, eandemque Europa tripla majorem, ſi locorum ſpatia ſpectantur; Nam in Europa incolarum numerus dimidia parte vincit *A*fricanos. Illic enim vaſtæ ſolitudines, hic autem nihil incultum; *A*lpium juga, imo & Riphæi Montes excoluntur. Sunt qui putant inter Europam, *A*fricam, *A*ſiam & *A*mericam eſſe proportionem eam, quæ inter numeros 1.3.4.7. reperitur. Pergunt, ſi Terrarum orbem dividas in partes 30. earum 5. obtinebunt Chriſtiani: ſex Mahumetani: novendecim Ethnici.

Cap. XIV.

Quot in Europa Linguæ ceterarum Matrices.

Linguas Matrices dicimus, inter quas nulla eſt cognatio, nec in verbis, nec in analogia: ſed quæ per omnia inter ſe diſcrepant, & ex quibus multæ dialecti tanquam propagines deductæ ſunt. Viri docti tales numerant in Europa, aliqui undecim, alii ſexdecim:

1. Go-

1. Gothica, cujus usus in Orcadibus & Islandia interiori.

2. Finnonica, qua Finnones & Lappones utuntur.

3. Livonica, qua soli Lotavi, hoc est, Livones in agris degentes loquuntur.

4. Cauchorum, qua Frisii Orientales.

5. Teutonica, cujus idiomata sunt Norvagica, Suedica, Danica, Germanica, Belgica, & Anglica.

6. Hibernica, in Hibernia & parte Scotiæ.

7. Britannica in Gallica Britannia, & in Cornubia.

8. Cantabrica, ad Maritima Pyrenæi.

9. Arabica, in Granatæ Montibus asperrimis dictis Alpuxaras, & passim in Turcia.

10. Latina ex qua Italica, Gallica, Hispanica.

11. Græca maximè in Peloponneso.

12. Epirotica seu Albana in Montibus Epiri, ubi gens studiis asperrima belli.

13. Illirica, in Insula Wegglia ad ortum Istriæ.

14. Sclavonica, cujus propagines Ruthenica, Polonica, Boëmica, Dalmatica.

15. Hungarica in Hungaria, & Ingra regione Moscoviæ.

16. Lazygienna in parte Boreali Hungariæ inter Danubium & Tibiscum, qua olim *Hunni* & Avares.

17. Tartarica Præcopensis inter Borysthenem Mœotim & Tanaïm, qua etiam utuntur Cosaci.

Sunt tamen qui ad radices quatuor præcipuas omnes revocent, ſcilicet ad Latinam, Græcam, Teutonicam, & Sclavonicam; quarũ ponunt exemplum in his quatuor vocibus, DEUS ΘΕΟΣ, GOTT, BOGE, quarum ſignificatio eadem. Imo Latinam à Græca deducit Halicarnaſſæus. lib. 1. Characteres quorum uſus in eadem Europa, quinque ſunt præcipui cæterorum Radices: Latini, Græci, Hieronymiani, Ruthenici & Gothici. Quod autem inter Characteres & Linguas aliæ ſint aliis longius latiuſque diffuſæ & diſſipatæ, hoc accidit vel propter ſcientias & diſciplinas populorum, ut patet de Græcis, vel ob potentiam, & Religionem, ut de Romanis.

CAP. XV.

Variæ in Europa Ditiones.

TRIBUS hodie Imperatoribus Europa ſubeſt: decem Regibus: Rebus-publicis novem, Principibus quadraginta duobus.

IMPERIA SUNT ISTA;

Roxolanorum, in Sarmatia Europea ſeu Ruſſia, cujus Metropolis Mosküa, ejus latitudo gr. 55. m. 15. ad fluvium Moskam ſita, qui in Ockam fluit, & cum Ocka in Volgam; Volga autem in mare Caſpium evolvitur.

Romanorum, cujus Metropolis quondam Roma ad Tyberim g. 41. m. 56. Nunc Vienna in Auſtria, g. 48. m 18. ad Danubium, qui Euxino mari miſcetur.

Tur-

Turcorum, cujus Metropol. Constantinopolis in Thracia, vernacule Stambol, 43. ad Bosporum, Pontum inter & Propontidem.

REGNA DECEM.

Suediæ, Metropol. Holmia, vernac Stocholm, gr. 59. m. 15. Mari Baltico apposita, ubi maritimis aquis Meler lacus committitur.

Daniæ, Metropol. Hafnia, vulgo Coppenhagen, gr. 55. m. 46. in Zelandia Insula sinus Godani principe.

Poloniæ, Metropol. Gracovia, vernac. Krakou gr. 49. m. 50. ad Vistulam, qui in mare Balticum influit ad urbem Dantiscum.

Hungariæ, Metrop. Possonium, vernac. Presbourg, gr. 48. m. 25. ad Danubium.

Bohemiæ, Metrop. Praga, g. 50. m. 10 ad Muldaviam, qui in Albim elabitur.

Angliæ, Metrop. Londinum, vernac, London, gr. 51. m. 40. ad Tamisim.

Franciæ, Metrop. Lutetia, Paris, gr. 48. m. 49. ad Sequanam, qui in Mare Britannicum evolvitur.

Hispaniæ, Metrop. Madritum, Madrid, g. 40. m. 50 ad rivum Mançanares, qui in Tagum abit, ut Tagus in Oceanum Atlanticum.

Lusitaniæ, Metrop. Olysippo, vern Lisbôa, gr. 38 m. 54 ad ostium Tagi.

Hamaxobitarum, seu Tartariæ Minoris, sedes Chami, Baccasari, in Taurica Kersonenso.

RESPVBLICÆ IN GERMANIA TRES.

Hanzeaticarum urbium caput Lubeca, vern. Lubec., g. 54. m. 18. ad Travenam.

Confœderatorum Statuum Hollandiæ, Haga Comitis.

Helveticarum Urbium una inter præcipuas Berna g. 46. m. 36. ad Arulam, quem Rhenus excipit.

IN ITALIA TRES.

Genua, Genoua grad. 43. m. 20. mari Ligustico adjacet.

Luca, gr. 43. m. 21. Serchio flumini proxima quod in mare Ligusticum abit.

Venetiæ g. 45. m. 23. ad intimum sinus Adriatici recessum.

IN TVRCIA, TRES.

Epidaurus Ragusi 43. in Dalmatia, ad mare Adriaticum.

Magnoti, gr. 49. m. 35. in extremo Peloponnesi versus meridiem, urbs præcipua Magni in lat. g 35. m, 6.

Circassi degunt in montibus, qui inter Mæotidem paludem & mari Caspium excurrunt: Et illi quidem Helvetiorum more, exteris stipendia merentur, modo Persis, aliàs Turcis. Urbs præcipua Coppa, gr. 47. m. 35. ad ostia Magni Rumbitæ in Mœotim.

PRINCIPATVS XLII.

IN POLONIA, TRES.

Dux de Sluzko 53. ad amnem cognominem qui

qui in Pripetium abit, hic verò in Boryſthenem.

Curlandiæ & Semigalliæ, Dux ſedem habet Mitoviæ, vern. Mittovv. gr.56.m.37.ad Bulderanum, qui in Balticum mare fluit. Caput verò Ducatus Curlandiæ, Goldinguen, gr.56.m.47 ad Vidanum.

Pruſſiæ Ducatus, Metrop. Regius Mons, vernac. Koninsberg, gr. 54.m.40.ad Prægolam qui in Habum lacum influit.

IN GERMANIA, AD MARE BALTICVM, TRES.

Pomeraniæ Ducis, Metrop. Stetinum, vernac. Stetin, g.53.m.28.ad Oderam.

Mechelburgenſis Dux, ſedem habet Guſtravvi, gr.54.m.8.ad fluvium Nebel, qui cum Varno miſcetur Mari Baltico ad Warnemundam.

Holſatiæ & Sleſvvicenſis Ducis domicilium Gottorp. gr. 35.m.16. in ſinu interiori maris Baltici.

AD ALBIM, SEPTEM.

Saxoniæ Ducatus, caput Dreſda, gr.51.m.7.ad Albim; Electoratus Wittemberg, gr.51.m.54.

Princeps Anhaltinus, domicilium habet Deſſavv, 52. ad Confluentem Muldam in Albim.

Mansfeldiæ Comes ſedem habet Mansfeldiæ, gr.51.m. 43.ad Fluv. Vipper, qui in Albim currit.

*M*agdeburgenſis Archiepiſcopi ſedes primaria, Meydburg, g. 52. m. 18 ad Albim.

*M*archio Brandeburgicus, ſedes ei Berlinum, gr. 52. m.28.ad rivum Spree, qui in Havel, & Havel in Albim fluit.

Luneburgensis Ducatus, gr.53 m. 5 ad Elmenam fluv. qui in Albim desinit. Modo Cellæ, gr. 52.m.28.ad Alleram modo Hildesemii,in g 52.ad Inderst,qui in Vigurgim labitur, Dux moratur.

Dux Lauenburgensis Saxo,g 53 m. 2 sedes ei Ratzburg, propè Lubecam ad Wagninum.

AD VISVRGIM ET AMASIM, SEX.

Dux d'Oldembourg,gr. 53.m 44.ad Huntam, qui in Visurgim labitur.

Archiepiscopus Bremensis,gr.53.m 39.ejus sedes,Bremerfortd.

Dux Brunsuicensis, gr 5. m. 5. ad fluvium Oker, sicut & Arx ejus præcipua Wolfembuttel gr 52. m 3.

Landgravius Hassiæ Cassel,grad. 50.m. 40.ad amnem Fuldam.

Abbas Fuldensis, Fuldæ, g.50.m. 36.ad Fuldam,qui in Visurgim evolvitur.

Comes d'Emden, grad. 53. m. 26.ad Amasis ostium.

AD RHENVM ET SCALDIM; DECEM.

Abbas Sangalensis, g. 47. propè lacum Constantiensem.

Wirtembergensis Ducatus Stutgard,grad.48. m. 5.ad Necarum.

Comes Palatinus,Heidelbergæ,g.49.m.18.ad Necarum.

Dux

Dux Franconiæ, Herbipoli, Wirtzbourg, gr. 49. m. 45. ad Mœnum.

Elector Moguntinus, g 50. degit ut plurimum Achaffemburgi. gr. 49. m. 50. ad Mœnum.

Lotharingiæ Dux, Nancæi, gr. 48. m. 40. ad Murtam, qui ad Mosellam abit, hic verò ad Rhenum.

Trevirensis Elector, grad. 49. m. 50. ad Mosellam.

Coloniensis Elector, Bonnæ, m. 51. ad Rhenum.

Cliviæ, Montium, Juliacensis, & Nemburgi Dux, Dusseldorpii, gr. 51. m. 12. ad Rhenum.

Comes Flandriæ, Bruxellis ad Sennium, gr. 50. m 50. qui in Scaldim.

IN GALLIA VNICVS.

Princeps Auriacus, Arausium, g. 43. m. 30 ad fluvium Argenteum, qui in Rhodanum fluit.

IN ITALIA, OCTO.

Dux Sabaudiæ, ejus Metrop Chamberi, 45. ad l'Essum amnem, sedes Augustæ Taurinorum, vernac. Turin, gr. 44. m. 16. ad Padum in Pedemontio.

Dux Placentiæ, Piacenza, gr. 44 m 34 ad Padum, qui & Parmæ. g. 44 m 26. ad fluvium Parmam, qui postea cum Baganza fluvio in Padum desinit.

Dux Mantuæ, grad. 44 m. 55. in lacu qui per amnem *Menzo* in Padum fluit; eidem paret

Ducatus *Montisferati*, cujus præcipua munitio Cazalium, in lat. g. 44. m 28.

Comitatus Tirolis, g. 46. m. 16. ad Athesim, qui Venetias inter & Padum in Adriaticum abit.

Dux *Mutinensis*, vern. *Modena*, g. 14. m. 16 ad rivum, qui cum Panaro fluvio in Pado recipitur.

Urbinas, vern. Urbino, g. 43. m. 30. ad rivum, qui in Fogliam lapsus, in Adriaticum effluit.

Florentiæ, vern. Fiorenza, gr. 43. m. 24. ad fluvium Arno, qui in Tuscum mare labitur.

Melitensis Ordinis Princeps, qui vulgo summus *Magister*, in primaria *Melitensis* Ordinis Insulæ Civitate, g. 34. m. 15.

AD DANUBIUM, SEX.

Vaivoda *Moldaviæ*, sedem habet Soczanæ, vern. Czukau, 48. ad Stertum, quem Danubius recipit.

Vaivoda Valachiæ, Tirisci, vern. Tergovvisko, 46. ad Jaloniezam, qui in Danubium mergitur.

Princeps Transilvaniæ, Cirmii, vern, Hermanstad, 47. ad fluvium Cibin, qui in Salvatam, & cum eo in Danubium fluit.

Dux Bavariæ *Monachii*, vern *München*, ad Isaram, m. 48. qui postea in Danubium funditur.

Neuburgi, gr. 48. m. 42. ad Danubium; qui & Cliviæ, de quo superius.

Cosaquorum Generalis, in Cireches Insula Boristhenis, quæ ad ostium Boristhenis supra Oczacham.

GEO-

GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

PARTIS PRIMÆ.

LIBER SECUNDUS,

Continet Orbis plagam ad Septentriones sitam, hoc est, Scythiæ partem, & Regna Norvagiæ, Daniæ & Suediæ.

CAP. I.

Mare Glaciale.

ALTUM pelagus nunquam gelu constringi pridem docuerunt Galenus & Macrobius, & nunc docet experientia. Tantum litus ad aliquot millia, & fluviorum, qui in Septentrionem evolvuntur, aquæ dulces, hyeme concrescunt, & vere solvuntur: hinc est, quod ex litoribus abruptas moles, Insulis majores Æquatorem versus rapi vident, qui in Novam Franciam quotannis transmittunt: hinc etiam Oceani partem illam, cujus litora glacie revincta sunt, Mare Glaciale dicimus; illud autem in Europa, ab ostio fluminis Oby sumens initium, ad Insulam Thule, indéq; ad ostium Maris Baltici excurrit, & ambitu suo complectitur Mare Sarmaticum, seu Petzoræ, Mare Album & Mare Norvagicum.

Cap. II.

Mare Sarmaticum, Sarmatia, seu Scythia Europaea.

BOREALIS Oceani pars est, quæ Sarmatiæ olim, hodiè vero Moscoviæ Provincias Obdoriam, & Condoram, ab ostiis Oby fluv. ad Mare Album alluit. Alii nomine mare Petzoræ vocatur, propter Petzoram fl. qui eodem Pelago sorbetur.

Sarmatiam editiorem omnibus terris esse ostendunt flumina ibi nata, quæ in omnia orbis maria decurrunt: amplitudinem limites in omnẽ partem longè maximi. Nam mare Sarmaticum, Granduicus & Finnicus sinus media linea conjuncti, Suevicum mare, Vistula fl. mons Carpates, Hierasus & Ister fluvii, Pontus Euxinus, Phasis & Araxes amnes, mare Hyrcanum, fluvius Rha, montes Rhiphæi & flumen Oby vastissimam regionem claudebant: Itaque regnum Poloniæ, Imperium Russiæ, Tartaria Cremea & Circassii erant intra Sarmatiæ fines. Hominibus verò inter se nulli fines, quod nec urbibus, nec certa sede tenerentur, sed ut invitabant pabula, aut cogebat hostis, habitabant in castris, suáque secum omnia efferebant in plaustris, corio imbriũ hiemisque causa tectis, ipsis etiam feminis, ut Amazonibus, virile pectus & adusta mamma, quibus *a* venari, equitare, jaculari, puellarum pensum: ferire hostem, detrahere spolia, adultatum erat stipendium.

a *Mela lib. 3.*

Cap.

CAP. III.

Oby Fluvius.

DE Kitayſco lacu ampliſſimo, fluvius Oby Europæ terminus, dictus antiquis *a* Carambucis, prorumpit: ab Oriente & in Septentrionem labitur, Siberitas, Lucomorios & Samoïedas alluit, & in Obdoria regione, quæ ab eo nomen traxit ſuum, ad promontorium Lytarmin, vulgo, caput Oby, ſex oſtiis glacialem Oceanum, è regione Elixonæ inſulæ quam Batavi appellant Novam Zemblam, ſubit, poſt emenſum à fonte trium menſium iter. Tantæ latitudinis eſt, ut juxta oppidum Oby 80. verſtas Ruſſicas pateat, vixque biduo, quamvis auræ obſecundent, trajiciatur. Non longè ab oſtio, Slatabbabæ mulieris infantem geſtantis ſignum ex auro antiquiſſimum viſitur. Omnes accolæ vagi ſunt, ferina victitant, & pelles Duci, vectigalis nomine, pendunt. Abhinc annos aliquot, Ruſſi compactis trabibus, terráque oppletis arces quaſdam ad flumen excitarunt, illucque ex Poloniâ & Ruſſiâ proſcriptorum & perditorum hominum deductæ coloniæ.

2. Samoïedæ Ruſſis Samogeds, hoc eſt, ſeipſos comedentes, advenarum conſortia fugiunt, piſcibus, avibus & feris abundant, frugum, paniſque, nullam habent notitiam, ſagittas ſilice præmuniunt, ſpinæ piſcium ipſis ſunt pro acubus & animalculorum nervi pro filo, hiſque veſtes ſibi conſuunt è Rangiferorum pellibus,

corpori maximè convenientes : genua non antrorſum complicant, ſed ad latera, & feruntur tanta pernicitate, ut nullus Europæorum curſitantes poſſit aſſequi, exteros dum ſalutant ad ipſam propè humum caput demittunt; Idola colunt ſibi ſimilia.

Ab ortu, medio amne Taëz conjungitur Oby fl. cum Jeniſcea fluvio ampliſſimo, qui certis anni temporibus latè exundans, agros fœcundat Tingœſiorum. Hi populi ſenſa animi gutture, quàm linguâ melius exprimunt; ſuntque ultimi eorum, quos novimus ad Orientem. Nam hactenus amnem Piſida, qui ipſis limes eſt, tranſmittere auſus eſt nemo, licet præter eum ex adverſo hinnitus equorum, & Campani æris ſonitus audiãtur, ex Cathaya, ut creditur regione, aut ex terra de Giezo. Ab Occidente eidem fl. Oby circa gradum latitudinis Borealis, 66.m.20. miſcetur Yrtis fl. qui Tobol excipit amnem, cui appoſita urbs ejuſdem nominis, quæ Metropolis eſt Siberiæ, & commune Moſcorum & Tartarorum emporium, ex quo per urbem Soil Camſcoy pelles & tributa omnia è borealibus partibus collecta, in Moſcoviam devehuntur. De Lucomoriis (genus hominum eſt in montibus diſſipatum ac ſylvis) ſtupendum pro rſus in Moſcovitico commentario pag. 82. Sigiſmundus refert: illi enim 27. Novembris mori videntur, vel quod potius eſt, more ranarum vel hirundinum obrigeſcunt, & proximo vere, circiter Aprilis 24. ſolutis membris, denuò nova luce recreati reviviſcunt; hoc ipſum Henrico III, Galliæ Regi, quo tempore in

re in Polonia regnabat, à viris Principibus fideq; dignissimis confirmatum narrat Senertus. Tom. 3. Pract. medicæ lib. 3. ubi de longa abstinentia disputat.

3. A faucibus Oby fl. ad sinum Album per millia passuum circiter 900. litori Russiæ, & Septentrionali Oceano obtenduntur juga quædam Riphæorum montium, in quibus varii populi, quorum primi Petzoræ, qui nomen à fluvio traxerunt: hic fluens ab austro arcem Papinovvgorod rigat, & juxta opidulum Pustioziero propter commercia pellium & crystalli utcumque celebre, sex ostiis in mare Glaciale devolvitur ad latitudinem, g. 68. m 30. Augusto mense primum constringitur; neque ante medium Majum gelu solvitur. Utramque fluminis oram perpetuo Jugo vallant montes inter Europam & Asiam medii *b* quos antiqui Riphæos & Hyperboreos dixerunt, Athenæus montes Obyos, alii Alpes: Russi Ziemnoipoias, vel Kamenypoias, hoc est, terræ cingulum lapideum vocant, nive perpetua rigent, cedros proceras alunt, nigerrimos omnium cibellinos, albos gyro-falcones aucupio laudatissimos. In tantum latitudinis assurgunt, ut decimo septimo die verticem vix teneas; Incolæ simplices, vesci pane haud sciunt, Christiana fide sub annum 1519 imbuti feruntur.

Petzora transmisso, Ingra & Condora regiones occurrunt. Incolæ victu & ingenio superioribus haud absimiles, neque urbes neque pagos habent; Ex Ingra Hungaros prodiisse ferunt, qui locorum vastitate pulsi ad Mæotidas paludes

confederunt, indéque in Pannoniam transierunt; fidem facit utrisque, etiamnum sermo communis. Sinui prætenditur Insula Cologoya, in qua anserum infinita multitudo, qui æstate implumes sunt.

a *Vide Authores apud Cluverium in Germania. l.* 1. *c.* 1. b *vide Cluverium. ibidem.*

Cap. IV.

Album Mare.

AMplissimum maris sinum qui ab Oriente sub Arctoo circulo, à Scandinavia Sarmatiam dirimit Bella more, hoc est, Album mare Russi appellant. Largæ nives, & quas illuc invehunt Moscoviæ flumina glacies, locum nomenclaturæ dederunt. Ostium illius patet tres leucas, per medium syrtis ad leucas 20. in boream excurrit, in qua cæci & frequentes scopuli. Dicitur Granduicus, itemque sancti Michaelis aut sancti Nicolai sinus, nec non & Soloneskoi à clarioribus litorum emporiis. Præcipuos ex Lappia condit fluvios Warsigam & Ombay Salmonum feracissimos: ex Russia verò Duinam & Ongam

Duina Russis binarium sonat, quod ex amnibus Jug, & Suchana junctis coalescat. Vologhdam, Ustingham & Duinam Moschoviæ provincias, parisque nominis ac numeri urbes perluit, quibus arces Colmogram & Pinegam accensere oportet. Parallelo, g. 59. m. 10. Vologhda subjacet;

jacet: Ducis *Moschoviæ* thesauri in ejus arce servantur aliquando. Ustingha Emporio celebris situm habet in lat. g. 10. m. 30. Post leucas 24. solùm adeò aëre & austerum Duina permeat, ut ex eo sal excoquatur. Succedit ad gr. lat 64. m. 30. arx Colmogra in insula, & in adversa ripa castrum Pinega, ubi fluvius in æstuarium diffunditur, & post minuta 56. in mare Album ostiis sex infunditur. Ad ostii Borealis ripam in gr. 65. Sancti Michaëlis, ad australem verò in gr. 64. m. 45. sancti Nicolai, oppida sunt, inclyta emporia, ex quibus Moscoviticas merces, Europæi ad suos in omnem oram frequentes vehunt.

A sancto Nicolao versus occasum 90. milliaria Russica fluvius Onega distat, & eundem in sinum mergitur; Nonnullis placet amnem hunc infra oppidum Cargopoliam cum flumine Volock committi, quod in Filandicum mare labitur, juxta Vaman oppidum, sicque cum Baltico, mare Album conjungi, sed repugnant alii. harum quoq; regionum incolę panem nesciunt, ferina victitant, Zebellinorum, nigrarum vulpium, & alborum ursorum pelles in pretio habent. In intimo sinu australi insulæ sunt aliquot, quarum præcipua Solouuski, Æde D. Nicolai Abbatia, salinis & harengorum piscatura celebris.

Cap.

CAP. V.

Mare Norvagicum, & quæstuosus in eo piscatus.

A Maris albi termino per Scandiæ flexuosa & Norvagiæ scopulosa litora, ad Godanũ usque sinum, Norvagicum mare excurrit. Illud Russi vocant Mourmaskoi, & Norvagos Mouremans. Plerisque in locis litora scopulis & rupibus asperrima sunt, & pedes montium ita cavernosi, profundi & obliqui, ut funibus immissis quorsum tendat eorum hiatus difficile cognosci possit. Ad saxa litorum nativis adhærent fibris spongiæ frequentes, in quibus sensus inesse apparet: quia ubi avulsorem sensere, contrahunt sese, multò difficilius abstrahuntur, & avulsæ relinquunt in petris veluti cruoris vestigium. Sunt etiam marimi Arietes, sunt & Catuli qui natantem hominẽ facilè mergunt, nisi demersi auxilio Raia superveniat, quæ grassatores abigit, hominemq; ut enatet pro viribus urget. Hic etenim sicut & in omni alio mari piscoso vix ullus est alius piscis Cartilagineus frequentior. 1. Quod etsi uno partu unicum ponat ovum ovis galliнarũ persimile in albugine, vitello & testa; in utero tamen interdum numerabis centum, quæ in dies perficiuntur & eduntur: Deinde quia vix reperias piscem, qui tam lato sit oris rictu, ut raiam possit vorare: Denique quia horret aculeis, maxime in cauda, in qua nonnunquam triplex est aculeorum ordo, præ-

do, præter acumen extremum, quod pestiferum est, & quo posteaquam sese arena vel alga obtexit, pisciculos adnatantes figit, & majores etiam radio caudæ implicatos, confodit: & hinc est cur illud acumen semper piscatores præscindunt, & grande malum alicui imprecaturi, Raiæ caudam augurantur in Oesophago. Nunquam verò oræ piscariæ vel sinus Persici uniones, nunquam Indici maris Ambara, Æthiopici pulvis aureus, Mediterranei Corallium, vel maris Baltici Succinum, emolumenti mortalibus tantùm attulerunt, maximè iis qui piscatorio quæstu vitam tolerant: quantum morhuarum & harengorum qui exercetur in mari hoc subviridi, quod Hollandi propterea vocant Haringsee, quod inter Orcades, Islandiam & Norvagiam medium est. Etsi enim Octobri & Novembri mensibus, continentis & insularum litora rigeant glacie; ab ipso tamen hiemali solstitio tepescit mare, & nebulosa cœli densati caligo, in frequentes pruinas solvitur, quibus ita fœcundatur aqua, ut in ea passim videantur pisces ebullire, qui præterea atro limo, qui aquis plurimus hic congeritur, ita delectantur, ut si desint pisciculi, eo utantur pro cibo. Modicæ igitur barcæ circiter quingentæ, in quarum singulis Lintrarii tres, prodeunt quot-annis ex Islandia, qui hamatis lineis à brumali ad æstivum solstitium, piscationi morhuarum operam dant, tam sedulam, ut ex eorum præda onerentur naves propè quingentæ tùm Anglorum, cùm Batavorum, qui pro singulis, quæ pedem non multum superant, assem, pro iis, quæ duorum

rum

rum ſunt pedum duos pendunt ipſis. Sed fidem ſuperant, quæ dicturus ſum de harengis, numerum Romano ore non licet eloqui,characteribus expreſſum accipe 1480000000. tot harengos quovis anno ſoli Batavi à feſto D. Joannis ad Natalitia Chriſti expiſcantur, partim in hoc mari, partim in Britannico; Hic numerus ſi videatur tibi immanis, minorem tamen juſto colliges, ſi attendas quot-annis in eum finem ſolvere ex Hollandia 1400. circiter naves, quas Losbos dicunt, præter grandiores 40. probe armatas, pro aliarum tutelâ: deinde quod ſingulæ referant domum 20. ut minimum (ſunt enim quæ 45.) onera (vocant leſt) quorum unumquodque continet dolia 12. hoc eſt, millia harengorum 12 Ter autem ut plurimum ex mari Norvagico onuſtæ domum redeunt, ter item ex Britannico; denique in hoc numero Anglorum, & Francorum naves non comprehendo, quæ ut minimum ſunt quingentæ. Hîc propterea interdum à piſcatoribus extrahuntur hirundinum maſſæ, quæ ala ad alam & pede ad pedem roſtelliſque implicatæ ſunt, quæ cantus quos poſſunt ſuaviſſimos, ſub principium autumni edunt, dum ſe colligunt, & in mare dant ſeſe præcipites, quæ ſi in æſtuaria deportentur caloris acceſſu reſolutæ volare incipiunt. Hæc porrò inexhauſta piſcium copia & frequens venatio efficit, ut vix ullus ſit uſus panis apud eos, qui oram hujus maris accolunt.

CAP.

Cap. VI.

Scandia vernacule Schaanau vel Schaane.

ABEST à Scythia diei curſu, ampla regio, Græcis dicta Balthia, Romanis *a* Scandia & Scandinavia, populariter *b* Schaanau, hoc eſt, amœna regio. Nihil in ea magnum, dixit Solinus, præter ipſam. Malè, quin potius, hæc illa eſt fœcunda populis terræ vagina, quam Plinii tempore Hellevionum gens quingentis incolebat populis, & ex qua prodiere Sueci, Northmanni, Vandali, Gothi, Veſtrogothi, Oſtrogothi, cæterique orbis terrores & irati numinis vindices. Peninſula eſt inter 55. & 71. latitudinis Borealis gradus ſita, quæ ad occáſum & Aquilonem Oceano finitur; ad meridiem & ortum Baltico mari, ſinu Finnico, Lagoda & Onega utroque lacu, amne Povenetz, Iſthmo Maanſelke trium milliarium germanicorum, & Pinſiokkhy fluvio, qui per lacum Vigoozero in mare Album defertur. Eoam partem hodie Sueci tenent, Norvagi occiduam, ad gradum pene 68. ubi vorago Maelſtrom. reliquam peninſulam Lappones Perpetuus illos immenſi montis tractus ab invicem dirimit: Plinius Seuonem vocat Rhiphæis jugis haud minorem: Incolæ Schars, Sula Dofrafiel & Dofrinas alpes totius Europę montes altiſſimos, quibus pares ſubjectę ſpecus, in opacos abeunt receſſus, per quos aquarum

rum abyſſi eo impetu ruunt, ut admotæ aures vel fragore obſurdeſcant, vel obrigeſcant frigore.

Urbes pauci incolunt. Adoleſcentes animi gratia immenſas nivium moles in morem caſtrorum conformant, portis & propugnaculis diſtinguunt, aquis ędificationem crebro inſpergentes, quæ frigore ſic induratur, ut tormentorum æneorum iteratis fulminibus minime diſſiliat: frequenter verò accidit, ut clavi quibus affiguntur ſeræ, revellantur præ frigore. Venationi operam navaturi, pedibus ligna ſupponunt lęvigata, & ad formam arcus anterius inflexa longa, 9. vel 10. pedes, pelle Rangiferi cervi ſubducta, ſicque cum incredibili celeritate, baculi quem manu tenent opera, ſurſum, deorſum, rectà vel obliquè in omnem partem ad libitum feruntur, & tortuoſa gyratione per inacceſſa montium cacumina, feras aſſequuntur, & quamvis omni pernicitate præcipites agantur, conſiſtunt tamen cum libet, quod Rangiferorum pili ſint ejuſmodi, ut inſtar echinorum ſe erigant.

Hîc variæ animantes quæ calorē & æſtum ferre nequeunt: Ejuſmodi eſt in genere volucrum Onocrotalus, anſere non minor, qui repleto aquis gutture aſinum rudentem imitatur. Ejuſmodi eſt inter piſces Ziphius, omnium maximus, qui Phocas etiam deglutit. Ex quadrupedibus Alcem ſeu majorem Cervo Rangiferum jubatum habent haud quaquam ſolivagum: Nam turmatim incedunt, *c* cornua gerunt ampliſſima, cervinis tenuiora, ſed pluribus diffuſa ramis. Ad domeſticos uſus carnis, butyri, & lactis copiam ſufficiunt,

ficiunt, *d* sunt qui quadringentos alant, quos ad tibiæ cantus ex agris revocant, curribus juncti leucas 30. Germanicas decurrunt horis 12. absque cibo. His putatur instructus Aureliani currus, quando de Gothorum Rege triumphavit; certè in hanc diem Rangifero cicuri insidet nova nupta, quando eam deducunt parentes in casam sponsi.

a *Plin. l. 6. c.* 13. b *Adamus Bremensis.* c *Olaus. l.* 11. *&* 17. d *Pontanus in descript. Firmachia & alibi passim.*

CAP. VII.

Lapponia, Biarmia, Finmarchia.

LApponia Borealium provinciarum extrema à sexagesimo septimo gradu latit. ad septuagesimum primum extensa, tribus nunc paret Principibus. Rutheno pendunt vectigal Pyheniemi Lappones, Suedicè dicti Trinnes, ab ostio maris Albi ad Castrum Vardhusiæ, Finmarchiis proximum, per montes silvas & lacus Biarmiæ dissipati: Dano parent Scritofinni Lappones ab extremo Europæ promontorio Nordcap ad Nordvagiam, vagi per Finmarchias: Ad Suecum pertinet Lapponiæ pars Australior apposita mari Botnico. Certi tamen fœderis Pontanus meminit *a* quo Russus maritimum vectigal cessit Sueco, & Suecus Norvagiæ Regi, cui propterea piscium decimas & aliquid pecuniæ pendunt omnes, qui exterioris maris litora accolunt. Ab initio Maji ad finem Augusti continua hîc dies est,

eique

eique æqualis nox reſpondet in brumali ſolſtitio. Valles ſi ſementem acciperent fruges non negarent, ſed inexhauſta piſcium, ferarum, & nucum avellanarum copia minuit deſiderium panis, quem tamen aliqui ex medulla ſummarum pinuum conficiunt. Regio in propria dominia non eſt diſtincta, ſed qui primus tractum terræ occupat, ejus uſum retinet, donec conſumptis in quotidianos ignes arboribus, aut ferris aliò ſe conferentibus, eò ſe pariter conferat; ſuos olim ſicut & univerſa Norvagia habuerunt regulos, quos Fieldekonga vocitabant: *b* æſtate panno viridi, brumali tempore pellibus omnes involvuntur, niſi qua vident. In hordas conveniunt certis diebus, quibus Sacerdotes adſunt, qui infantes baptizant, & fidei articulos proponunt. Plerique æſtivo tempore in maris litore quæſtum faciunt ex piſcatura aſelli majoris, balenarum, paſſerum, & ſalmonum. Qui in inſulis degunt, vagi non ſunt, ſed ſuas habent Eccleſias, nec Finnicè loquuntur, ſed omnes Danicè, vel Germanicè; Exterior ora cingitur prærupto litorum labro, per quod Salmonum feraciſſimi amnes Ponoy, Orlogones, Jochena, Tiriberi, Kool & Pitſingh, initio ſtriduli & ſpumantes ob inſitas alveis cautes poſtea placidi evolvuntur in æſtuaria, ad quæ conferunt ſe exteri ob frequentes ſalmones, & commercia quæ exercent cum incolis, qui in tuguriolis degunt. Generalis piſcium apotheca Ooſter-haven in peninſula Kegor; omnem oram circumſtant crebræ inſulæ, hîc ſex, alibi ſeptem; paſſim per litora in promon-

promontoriis erecta ſtant crucis ſigna, tuti appulſus indicia.

a *Pontanus in deſcriptione Finmarchiæ.* b *Pontanus.*

CAP. VIII.

Norvagia.

PLinio dicta Nerigon, Adamo Bremenſi & Crantzio Nothmannia, vernacul. Norrige; continetur inter paralellos, 68. & 57. habitationes admodum raræ ſunt, ex aſſamentis domorum parietes conſurgunt & teguntur ceſpite. Incolæ probi, ſine fuco, exterorum amantes, algoris, inediæ, & laboris patientiſſimi, in omni arte fabrili exercitatiſſimi, nec alia gens effuſius indulget convictibus & hoſpitiis.

Hinc ad exteros exportantur pelles pretioſæ, aſelli piſces, pix, trabes, mali, ædificandiſque navibus & tectis materia plurima.

Regnum eſt hæreditarium Daniæ, ante duo ſecula, per connubium quod cum Huquino Regina Margareta iniit, nexu indiſſolubili unitum. Dividitur in 5. provincias, quibus nomen à præfecturis ſeu munitionibus Wardhus: Trunten, Bergen, Aggerhus & Bahus. Wardhuſia ultimum Europæ oppidum eſt, quod 300. circiter domos numerat, ſitum in inſula in lat. g. 70. m. 46. cujus ambitus milliare unum Norvagicum cum dimidio complectitur, munitur caſtello, in quo ſedem habet, qui Rectoris titulo provinciæ præficitur, anchoras ad orgias 10 demittunt, qui

qui ad illud appellunt. Præfectus jus dicit toti Finmarchiæ, & litori ad fines Russiæ.

Hinc post milliaria 40. reperitur ostium fluvii Teno, nautis Tanebaii, in quo piscatorum tuguria, & ad mare vicus Ommega; Extremo Scanziæ angulo prætenditur insula Maggeren, quæ definit in celebre caput NoortCap in lat. g. 71. m. 30. litus occiduum innumeris asperum est rupibus & insulis, quarum præcipuæ Suro, Tromsond, Saniem, Loffoët, inter quas vorago Maëlstroom, g. 68 m. 10. per quam transire Nautis impossibile, nisi summâ malaciâ, cadentibus ventis acquiescat mare; veterum Tartarus & maris Umbilicus non nemini videtur.

Secundæ præfecturæ nomen ab Nidrosiâ vulgò Trunten, g. 64. m. 7. Regni Metropolis Nidero flumini apposita sedes olim hîc fuit Archipræsulis, qui Norvagiæ, Islandiæ, Gronlandiæ & Orcadibus præerat, & in diem hanc supersunt rudera Cathedralis Basilicæ Divo Olao sacræ, cui vix alia in orbe Christiano similis fuisse à nonnullis creditur: Regium adhuc habet præfectum & Episcopum, mercimoniisque perquam celebris est. Huic præfecturæ accensenda, quæ in Sueciâ, Angermaniæ contermina est, pecore & pascuis præpollens Jamptiæ ditio.

Berga urbs Latinis & Græcis nota, in lat. g. 60 m 16. editis montibus cincta, Teutonicæ societatis emporio & portu amplissimo ornata, in quo naves magni modii sine periculo ad ipsas prope ędes evehuntur. Hinc exportātur pretiosæ pelles, & induratorum piscium, quos Stouckvisch appellant,

pellant, vis infinita, quorum laudatissima captura est, in Januario, dum frigus superest quo indurentur. *A*rcem ibi præfectus habet Bergershusiam, cui & oppidum subest Starvãgera, ubi sedes Episcopi sicut & Bergæ. Passim in his litoribus ferrei annuli clypeo majores infixi quibus nautæ funibus immissis firmant navigia, quod profundius dehiscens mare anchoras non admittat.

Thule, inquit Pomponius, Bergorum litori apposita, ubi Sol longo tempore circa horizontem velut occasurus versatur, cùm vix tandem occidat. Inde colliges hoc de insulis dici, quas hodie Schetlandiam & Hitlandiam vocamus: jacent enim sub eodem cum Bergensi parallelo; ad ejus litus nulla insula propius accedit, vixque illis Sol occidit in solstitio æstivo.

Alloæ oppidum, g.59.m.28. arcem sibi propinquam habet Aggershusiam, 24. supra Bahusiam milliaribus. Ad curiam Alloæ, ex universa Norvagia graviores lites devolvuntur, ibique jus dicitur præsente arcis præfecto, qui veluti Norvagiæ totius Gubernator habetur; est & sedes Episcopi. Hinc celsissimi navium mali, asseresque & tigna in omnes oras evehuntur; sunt & in his partibus fodinæ argenti, cupri & ferri, & in his magnetes laudatissimi. Masterlandia Regno Daniæ proxima est in scopulo peninsulę collocata, cui & alia duo Oppida Congelia, & Vddevallia adjacent arcem communem habentia, Bahusiæ nomine, quam ad fines Suecorum in rupe excelsa ad Trolettham fluvium ædificavit Norvagiæ Rex Haquinus IV. circa annum Domini. 1309.

CAP. IX.

Mare Balthicum.

ET si nomine proprio Belt appellent indigenæ, *a* tam cingulum sive baltheum, quàm mare illud quod inter Fioniam & Zelandiam insulas labitur: communi tamen appellatione jam ob omni ævo, Balthicum Mare dictus est sinus hic totius Europæ post Mediterraneum maximus, sive quod Balthiam, hoc est, Scandiam à Sarmatiâ & Germaniâ separat, sive *b* à Wisegothis Balthis, id est, audacibus, sive quod in modum balthei longo tractu per Scythicas regiones tendatur, ut dixit Helmoldus. Codanum sinum dixit Mela ab insula Cadanonia, quam ait magnitudine & fœcunditate aliis antestare; alii quod instar Caudę extra Oceani quasi corpus per incurva terrarum divortia recedat. Certè Codam dixit Varro pro Caudâ; Gothanum aliqui dicunt, quod Gothorum regnum ambiat ex omni parte. sunt qui deducant ab Idolo Vandalorum Godan, quod eorum lingua Deum bonum significabat, Oostzee seu mare Orientis vocant Nautæ, respectu Occidentalis Oceani, vel quod ii qui è Dania Orientem, & Terram Sanctam olim petebant, hoc mari ferebantur in Russiam, ut constat ex historia Erici Eigodi Regis Daniæ, vel quia etsi æstus in eo nullus sentitur, feruntur tamen aquæ continuo fluxu, ab Oriente versus Occidentem. Venedicum plerique dicunt *c* à Venedis Germaniæ populis quos alluit. Volunt

lunt alii Veneden antiquitus dictos lacus & Paludes, ab iis autem populos circumpositos, Venedorum, Venetorumque appellationem sortitos esse. Majoribus minoribusque insulis crebrò in fretum cogitur, & subinde flexuoso anfractu sese proripiens, tres quatuorve sinus præcipuos aperit per milliaria seu minuta Geographica circiter 100. cum nusquam 120 latiùs pateat. Bothnicum multi vocant, *d* quod Suevorum lingua Both Terram aquis non multum extantibus substratam significet, Suevicum item mare dictum Tacito, vel à populis Suevis, vel à flumine Suevo, quod in illud mare se exonerat.

a *Pontanus* b *Iornandes.c.29. Adamus Bremensis. l.* 1. *c.* 1. *Mela. l.* 3. *c.* 3. *Plin.l.*4.*c.*13. c *Ptolem.l.*8. *tab.* 8. *Tacit. Plin.* d *Olaus. l.* 17.

Cap. X.

Daniæ Regnum.

EX sinu Codano & gente Danscionum, quam Ptolemæus *e* ponit in Scandia oriundi quos Gregorius Turonensis, Jornandes, Procopius & ab iis consequens ætas Danos appellavit. Incolas in hanc diem Dannemans, plerique dicunt quasi homines Abjetinos ac piceis in silvis, quibus abundat regio, enutritos, ut sentit Junius: Alii *f* viros Aquatiles seu Fluviales explicant: æquiùs qui viros honestos egregiosque, hoc est, è grege hominum selectos interpretantur, proceri enim sunt Dani Norvagique & capillo ut plurimùm albicant aut flavescunt. Cimbris

bris jam à Catulli & Marij temporibus, Reges fuerunt *g* Bojerix, Bolerius, Teuthobochus, & ante eos Utridomarus, qui à Boreali hac plagâ profectus transmisso Rheno Gallias vastavit. Ibidem regnavit qui Carolo Magno negotium fecit non parvum Gotricus, cujus posteri cùm defecissent circa annum 1448 Christianus primus ex Oldemburgica familia Frisiæ, quæ nunc rerum potitur, ad Regnum evectus est.

Ad Christi fidem conversi sunt ab Ansgario Hamburgensium & Bremensium Episcopo, cui & successoribus suis anno salutis 835. cum vices suas Gregorius IV. instante Ludovico Pio commisisset, eumque Apostolum *h* Danorum, Sueonum, Norvagorum, Farriæ, Gronlandorum, Helsinglandorum, Islandorum, Scrichfindorum, Sclavorum, & omnium Septentrionalium, & Orientalium Nationum constituisset, in illud opus diligenter incubuit per annos 34. & Regem Daniæ Ericum ad fidem traduxit, qui mox Religionem *i* Christianam per universas Regni sui oras jussit promulgari, & insignem Slesvici Ecclesiam extrui. Christiernus verò III. abdicatâ Religione avitâ, inauguratus à Joanne Bugenhagio, quem Lutherus ad eum miserat, Episcopos qui septem tota Dania erant, ex Senatu cui ab omni ævo interesse & præesse consueverant, removit *k* & prædia eorum omnia suo fisco addixit anno 1537. eademque præstitit in Norvagia.

Porro quæ fuerit olim regni Danici amplitudo, quæ potentia, requires ex *Saxone*, & Jonâ.

Daniæ, inquiunt, Reges, Hiberniam octies, Angliam decies debellarunt: Scotiam armis occuparunt, Russiam totam vectigalem fecerunt octo vicibus, Saxoniam quindecim: Sclaviam quatuor supra viginti. Livonia, Curlandia, Æstonia, Borussia, Polonia, Danis cesserunt. Suecia duodeviginti præliis attrita est. Subacta Norvagia duobus & triginta, Danorum Regibus fidem juravit, hodiéque juratam servat. Solidi partes Imperii hujus nunc sunt Norvagia, Chersonesus Cimbrica, Codani freti insulæ & Gothiæ litus occiduum. Regis tessera Regnorum tredecim imagines continet. Tres Leopardi viridis coloris Daniæ regni insignia sunt, in solo croceo: Leo cum bipenni Norvagiæ sceptrum indicat: corda novem in rosea planitie Gothorum notat Imperium: Sclavos & Vandalos Draco: tres coronæ unionem Daniæ, Norvagiæ & Sueciæ significant: Gothlandiam exhibet Agnus Christi gestans vexillum, cui inscripta in solo rubro crux candida: Bini Leones Ducatus Slesvicensis insignia habentur. Coronatus piscis Islandiæ insulam præsignificat: urtica Holsatiæ, Cygnus coronatâ cervice Stormarię ditiones ponit. In medio horum qui positus est eques cataphractus Dithmarsos præfigurat. Comitatus d'Oldemburg, crux alba, Delmhorst Trabes geminæ referunt. Tesseram coronat torquis aureus ex Elephantis castella tergo ferentibus, & calcaribus interpositis contextus, appensâ inferiùs effigie Dei genetricis solaribus radiis circumdatæ, cum orbe aureo tribus clavis insigni & lite-

rario emblemate inſcripto quæ ſymbola ſunt antiquæ pietatis & æqueſtris dignitatis. Rex magnam pecuniæ vim cogit quotannis ex vectigalibus freti Danici, ex ſilvis tigniariis, ex pice, pecoribus & piſcibus: & verò teſtantur rerum memoriæ Europæorum Regum legatis in comi cōgreſſu differentibus aliquando de potentia ſuorum Regum, uno aurum, alio aromata & gemmas, alio denique frumenti ac vini copiam arrogantiùs prædicante, Danum ſubjunxiſſe, ſi potentiſſimi Europæ Regis gazæ & latifundia venum exponerentur, tam grandi pecunia vix poſſe emi, eum lignearum lancium numerum qui neceſſarius eſſet, ut in ſingulis ſinguli ponerentur piſces, qui in litoribus Daniæ quotannis captantur. dictum ſanè & acutum & jocoſum. Habent indigenæ populari lingua jus ſcriptum à Valdemaro I. & auctum à ſucceſſoribus. Inter Dynaſtas nulli Duces, Comites aut Barones, ſed nobiles tantùm appellantur.

e *Mela. lib.* 3. *Ptol. Europa. tab.* 4. *Gregorius in Theudoberto. Procop.* 2. *rerum Gothic.* f *Pontanus in Chorog. Daniæ. c.* 2. g *Vide Florum, Oroſium, Euſebium.* h *Ita in ejus actis.* i *Pontanus hiſtoria Dan. l.* 4. *pag.* 98. *&* 102. k *vide Spondanum anno* 1537.

CAP. XI.

Inſulæ Maris Balthici.

OMnium Princeps eſt Selandia Melæ Codanonia, 72. minuta in longum, 48. in latum

tum extensa, Civitates 13. arces 12. parœcias 347. numerat. Absque stercoratione segetes omnis generis copiosas, ager fundit. Hinc profecti qui Provinciæ Belgii, Zelandiæ nomen dederunt. Umbilicum Insulæ, Roschildia urbs tenet, cui nomen à fonte, qui in editiore loco ebulliens, per declive molendinorum rotas 7. propellit, priusquam effundat se in Isoram sinum maris ingentem & piscosum; hîc sedes regia Danorum, jam à Suenone Rege, qui primum Insulæ Episcopum Gerebrãdum ordinari curavit sub annum Christi 1012. in cujus Ecclesia præpositus circa annum 1200. floruit Saxo grammaticus in sæculo Barbariæ obsito Danicæ historiæ scriptor egregius. Hodie quoque Regum mausolea locũ illustrant. Ad subsolanum Hafnia est, vernac. Coppen Haven, Axillus Vidus Daniæ Archiepiscopus, quem Saxo Absolonem vocat, ad arcendos piratas, Castellum hîc posuit Axelhumps, quod piscatorũ casis & negotiantium frequentia auctum nunc Absoloniam urbem aliàs Mercatorum portum appellavit Saxo; Exinde huc, Reges sedem regni transtulerunt. Christianus I. anno 1478. ornavit Academiâ, cujus proventus Fredericus II. sexaginta thalerorum millibus adauxit: Alii Reges privilegiis ornarunt, & firmarunt propugnaculis. Nunc celebrantur in ea primarium urbis templum Divæ Mariæ sacrum, in quo inaugurantur Daniæ Reges, Portus in quoad passus quingentos tuta navibus statio, Armamentarium instructissimum ab bellum terra, marique gerendum, pons sublicius, Bursa Mercato-

rum, viridarium Regium, Turris præcelsa ad Astronomiæ studia nuper ædificata. Hafniæ ab Oriente adjacet Amagria insula sex millia passuum longa, quatuor lata, omnium fœcundissima, & leporibus plena; duæ in ea Parœciæ, una Indigenarum, altera Hollandorum, quorum huc traducta Colonia sub auspiciis sororis Caroli V. consortis thori Christiani secundi.

Aquilonem versus ad fretum, est Helsingora oppidum, quod Christianus quartus cingi muris curavit. Parens verò ipsius Fredericus II. firmavit Croneburgo, arce quam ex ipso maris fundo ingentibus saxis & fistucatis roboribus eduxit, æneis tormentis munivit ad introitum, aut egressum navium inhibendum tecta cupreis obduxit laminis, cubiculis porticibusque exornavit & vestivit tapetiis, in quibus intexti Reges Daniæ suo quique ordine referuntur. E regione Helsingoræ in ora Scaniæ cernitur Helsimburgum munitio altera; inter utramque fretum vix latum medium milliare Oresunda dictum, quod in modum auriculæ rotundioris sit inflexum. Naves omnes vela complicare, anchoram jacere ac constitutum à Rege telonium pendere, tenentur Helsingoræ: Possunt tamen minora navigia Zelandiam inter & Fioniam transmittere, modò vectigalia consueta pendant in oppido Niburg ad Orientem Insulæ Funen sito.

Huena Insula exigua quidem terræ moles, at rerum maximarum gloria Illustris, in qua fundato Uraniburgo Matheseos Princeps nobilissimus Tycho Brahe Astronomiam instauravit. In

eleva-

elevatione poli gr.55. m. 54. Saltholmia insula producendo fœno destinata. Monæ insulæ civitas Stega, Regia Elmelund, altissimíque montes ex quibus creta effoditur, nomen faciunt.

Falstria min. 12. excurrit, oppida duo & totidē arces regias habet. Inde frequens & brevis in Germaniam trajectus septem mill.

Vernemunda frumenti copiam vicinis oris suppeditat.

Lalandia frumenti feracissima quatuor oppida & multas nobilium ædes habet, ipsi nomen ab humili depressóque situ.

Langelandia est min. 28. oppidum ejus Rutkoping: ibidem arx Regia probè munita, Parœciæ 16.

Tassinga Niburgo Fioniæ oppido adversa, minuta 4. non superat; Ad Ransovios pertinet & Rosenkransios.

Alcen Tacito Eliza, Anglis Slesvicensibus proxima, sicut & Aria, Sundervvid, Barzœ; parent omnes Duci Slesvicensi.

Fioniam vehementior Baltici maris incursus à Juttia angusto quasi porthmo, separat, ab amœnitate nomen trahit, quod vernaculè pulchrum sonat, cerealibus donis opulenta est, nec non armentis boum, equorum & cervorum, in præfecturas 24. discreta, sunt in ea rusticana templa 264. civitates 8. arces variæ, amnes novem & triginta, promontoria duo nautis cavenda. Ottomensi autem vulgò Ottensehe Episcopatui 90. Insulæ ad meridiem sitæ, habitabiles pleræque subjacent. Neoburgi olim Parlamenti Danici

ſedes fuit, nunc ad eum ſtat in ancoris prætoria navis ad quam vectigalia penduntur.

In Orientali maris plaga Inſulæ ſunt Borholmia, ubi urbs Santvvyk & Pagi 32.

Olandia in qua reperiuntur equi canum more in circulis ſaltitantes & dominis blandientes. Juris eſt Suecici.

Gotlandia cujus longitudo 72. m. lat. 20. porrigitur · frumentum, caſeum, butyrum, pelles, proceras erigendis malis abietes, copioſam calcem & lapides ad ſtructuram utiles abundè producit: hic primùm tabulæ Hydrographicæ à nautis delineatæ, in quibus adnotata vada, quæ debeat evitare navarcus, & qua via in portum ferri: fuit enim hic Visbya oppidum olim nobiliſſimum totius Septentrionis emporium.

Oſilia Plinio Oſericta ſinui Livoniæ ad occaſum objecta 56. m. in long. 28 in lat. patens caſtrum habet Arnsburgum Suedico præſidio munitum, numerus incolarum ad quatuor millia, præter nobilium familias fermè triginta.

Cap. XII.

Gothia.

GOthia meridionalem Scandiæ partem occupat, ſpatiis arctam illam quidem, ſed incolarum geſtis rebus celebratiſſimam. Hinc enim profecti primi illi Gothi, qui tranſmiſſo freto vicinam oram Balthici maris tenuerunt ad oſtia Viſtulæ, poſteaq; in Scythiam tranſgreſſi, ad Euxini

xini Ponti litora consederunt: quorum qui ad Orientem longius recesserunt Ostrogothi, id est, Orientales Gothi, qui ad Occidentem Wisegothi, hoc est, Occidentales Gothi, nomine ex Scandinaviæ vernaculo sermone petito, dicti sunt. Multis deinde cladibus à Magno Constantino affecti invaserunt Romanam ditionem, Valentem Imperatorem deleto exercitu combusserunt: & Theodosio mortuo, Alaricus ex Balthica stirpe cum Wisigothis suis in Italiam superrupit, Romámque expugnavit. Ejus successores in Gallia & Hispania Wisegothorum regna fundarunt. Quid eorum posteri, quid Ostrogothi egerint vide apud Jornandem, Paulum Diaconum, Sozomenum, Adamum Bremensem, & alios. Ait Procopius noluisse Gothos, ut liberi sui literas discerent, ipsúmque Theodoricum literarum expertem fuisse, quod existimaret quos ferulæ timor invasisset, gladios & lanceas parvi facturos. Quod autem Socrates & Sozomenus videntur asserere VVlphilam Gothorum Episcopum, qui primus literas Gothicas invenit, ac sacram Scripturam in eorum linguam convertit, eosdem quoq; ipsum omniū primum ex Gentilibus reddidisse Christianos, vel ex eo arguuntur, quòd ipsorum Episcopus Theophilus subscripsisse Niceno Magno consilio reperiatur. Quomodo verò ipsa Gothia & Suecia Christi fidem susceperit circa annum Christi 955 quo Rex Olaus baptismo lustratus est à Sigfrido Eboracensi Archiepiscopo, vide apud Joannem magnum, lib. 17. & Olaum

lib.2. Qui Gothorum irruptiones & victorias diligentius perpenderit, fatebitur non ſine gravi cauſa dictum ab Imp. Carolo V. ut habet Levinus Lemnius, univerſam penè totius Europæ nobilitatem è Scandia & Gothia fuiſſe propagatam.

Gothiam à Norvagia dirimit Trolheta fluvius. Hunc lacus Vener 130. minuta longus & latus, unicum reddit cum quatuor & viginti ſorbeat. Lacum urbes variæ coronant. Prima tenet Scara Epiſcopalis, & olim Regum ſedes, *b* Fundatorem ejus Scarinum æqualem Abrahæ, imo & ſuperiorem Gothici Annales faciunt. Arx Leckio in rupe ſita eſt, in qua puteus altus 200. pedes, ſaxo duriſſimo inciſus flamma trecentis porcorum lateribus enutrita, Abbatia Vernen. Regum Mauſoleum ad alteram leucam ſervat.

Palatii Aranes, quod Arctoæ plagæ miraculum fuit, rudera quædam in ipſo lacu etiamnum apparent. Gotheburgum ipſique proximum Elsburgum emporium & arcem Sueciæ celebrē, Trolhetha præterfluens, tanta rapiditate in Codanum ſinum præcipitat, ut aquarum ſtrepitus ad 20. indè minutum audiatur. Parte alia inter Sueciam & Gothiam Motala fluit medius. *c* naſcitur ex lacu Veter, alluit Lincopen Epiſcopalem urbem, & ad emporium Norcopen in Eoum mare influit. Orientalem ab occidua Gothia Veter lacus dirimit. Ad illum fuit celebre quondam Monaſterium Vaſten, quod fundatricem habuit S. Brigittam Nericæ Regionis, quæ ad plagam borealem lacus jacet olim dominam. Nunc in Go-

in Gothia sunt Provinciæ sex. Vestro-Gothia, Hallandia, Scania, Blekingia, Smalandia, Gothia Orientalis. Hallandia Scania, Blekingia sunt Juris Danici. Alias Sueci possident.

Hallandia agrorum fertilitate & nobilium habitationibus prædita est, piscibus abundat, cignis, & anatibus, boum & æquorum agminibus, litus asperum est scopulis. Urbes præcipuæ sunt Varburgum insigne propugnaculum Danorum, sed tantùm milliaribus distans Elceburgo arce Sueciæ, & Halmstadium vallo & fossis communitum à Christiano IV. finitur verò celebri promontorio Hallands-Ass, quod exteri Col appellant. Scania ab incolis Schone dicta, quod Danici Regni amœnissima sit regio: patet in longum milliaribus 18. in lat. 12. Viris armata, frugibus opulenta, dives mercibus. Inter urbes eminent Helsingoburgum, Saxoni, Helsinga, sita ad fauces Danici freti. In lat. gr. 56. m. 4. urbs porrigitur secundùm litus, urbi imminet arx ampla, in cujus medio turris quadrata imprimis edita, quam duplex ambit murus, exterior ad ortum & aquilonem fossa cingitur profunda, latus autem occiduum præruptum est, suáque natura inaccessum; in urbis medio templum eminet Dei-paræ sacrum, in quo plures viri Nobiles & Illustris stemmatis, sepulti, ut innumera testantur eorum insignia. Mercatus hic celebres sub medium quadragesimæ & Dominicâ Palmarum. Coronia vernaculè Landscroon 56. maritima civitas ab Henrico VIII. Daniæ Rege condita sub annum Christi 1413. ubi portus vastarum etiam navium

capax. Christianus III. Ingelholmiensem mercatum huc transtulit, estque celeberrimus circa solstitium æstivum, arcem præterea ædificavit eo loci, ubi antea fuerat Carmelitarum Cœnobium. Lundia vernac. Lundon 56. 5. milliari unico distat à mari. Archiepiscopalis sedes in ea fuit constituta anno 1104. Parœcialia templa habet 22. Cathedrale D. Laurentio sacrum posuerat Sueo, qui obiit anno 1017. perfecit S. Canutus anno 1085. Tria sunt in eo memoranda, hypogæum, altare, & horologium in quo equi cataphracti horæ cujusque pulsum ictibus se invicem petentes indicant, & tabula ingens, in qua per varios indices annus currens, mensis, septimana, horæ, dies tam fixi, tam mobiles, & Planetarum ad se invicem habitudines, jam ex antiquo monstrantur. Succedit in ipso litore in lat g. 55. min. 48. Malmogia, anno 1320 condita, Scaniæ propemodum totius nunc Metropolis, propter mercimonia: & in ipso Scaniæ angulo Falsterboa vicus ob harengorum capturam olim celeberrimus.

Blekingia Germaniam respicit, incolæ gaudent pascuis, & negotiationes exercent cum Lubecensibus, & Rostochiensibus; civitates præcipuæ Trulleburgum, g. 55. m. 40. Ustadium, Santhamera, Ahusium, Celsburgum, & Helholmia, quam aliqui putant esse Lathræ oppidum antiquissimum, ubi Regia aula, comitiáque antiquitus habita: alii existimant esse Seburgium in Zelandia. His annumerandæ Rotlembya ad fines Sueciæ sita, & Christianopolis in lat. g. 56. m. 20.

à Chri-

à Christiano IV. non ita pridem, in ipso limit munita.

Cap. XIII.

Suecia.

1. SUeciam Regnum orbis antiquissimum patria domesticáque Chronologia venditat, quæ Scarinum gentis undevigesimum Regem, Abrahæ temporibus superiorem facit. Verùm fabulæ quis credat? Penes indigenas diutissimè regia potestas fuit. Asciti postea Duces Mechelburgenses; inde Sueciæ Daniæque regna conjuncta sunt, rursúmque ab invicem sejuncta. Donec Gustavus ex antiquâ Regum Sueciæ prosapiâ oriundus, Sceptrum Sueciæ primus ex Danorum potestate subduxit, & ad posteros transmisit. At Sigismundus dum adjungere studeret Polonicum, quod electione acceperat, hereditarium amisit, quod in Carolum ejus patruum Sueci proceres anno millesimo sexcentesimo quarto transtulerunt. Carolo successit Gustavus II. qui Moscoviam, Poloniam, & Germaniam victoriis peragravit

2. Suecia nunc in Gothiam, Sueciam, Finlandiam, Ingriam & Æstoniam dividitur. Patet à 58 ad 68. gr. lat. Borealis. Separant illam à Norvagia, Trolhetta fluvius, & Seuones montes: Veter lacus cum Motala fluvio à Gothia: à Finlandia mare, fluviusque Kimi, qui intimo sinui Bothnico miscetur. De Gothiâ egimus: de Sueciâ nunc dicendi locus. Valent ingenio Sueci: La-

ci: Latinè, Germanicè, Gallicè plerique loquuntur. Patriis quondam utebantur literis, quas dixere Rumas, exteri Gothicas literas appellant. Anſgarius Corbeienſis monachus, Ludovici Imperatoris curâ, illuc miſſus gentis Apoſtolus, ejusmodi literas modis omnibus abolere ſtuduit: quod & aſſecutus eſt, ſuffectis in locum latinis elementis: periere quidem priſca regni monumẽta cum literis; ſed nefarias ſuperſtitiones aliter ex animis hominum convellere non licebat, quandiu in ſcriptis legerentur. Penes Epiſcopos Senatoria regni dignitas antiquitus remanebat. Arces plurimas ditionéſque ampliſſimas iidem tenebant. Auguſtana confeſſio omnibus exuit & ademptis regium fiſcum locupletavit.

Contra externi hoſtis irruptiones Suecia probe munita eſt, quem inacceſſis montibus, aut ſcopuloſo & importuoſo mari facile arcet. Regionem ipſam partim capita montium aſperant, partim fluentes & ſtagnantes aquæ, locis innumeris abruptam relinquunt. Bothnia verò partéſque aliæ quæ ad Boream excurrunt, copioſis adeò nivibus obrutæ ſunt, ut in illis natare hoſtes neceſſe habeant. Et interim Skidhkarlis Lapponibus jugulum præbere. Illi enim vel hirſutis pellibus tecti, vel panno ex ferarum ſiccatis nervis contexto, filiſque ſtanni tenuiſſimis picto, obviam fiunt, ſoleiſque ligneis, quibus per altitudines montium feras inſectantur egregiè ſubnixi advolant, irruunt, parvâque manu exercitus numeroſſimos internecione delent. Anno certè

mille-

millesimo quingentesimo nonagesimo, suis illis in soleis expediti sexcenti rustici, Ruthenorum decem millia fuderunt.

Sueci domestico utuntur milite. Pedites è selecta juventute decumatos conscribunt, qui præter numeratum à rege stipendium, prædia immunia possident. Equites alit nobilitas, pro facultatum ratione, conferentibus singulis; sed & qui propter majores & locupletiores fundos, primum gradum inter plebejos obtinent, ipsi plerumque ad immunitatem agrorum consequendam, equo stipem merentur.

3. De fisco & usitatis coronæ proventibus, sibi aulæque suę necessaria Rex comparat, quod & antequam inauguretur facturum se jurat, nullumque vectigal subditis, impositurum extra causas, quæ definitæ sunt. Ubi autem illæ occurrunt, tum verò per singulas Diœceses de sententia Episcopi, & selectorum procerum, sex, totidemque plebejorum, decernitur quantum Regi pro temporis & facultatum ratione populus pendere debeat.

Carnibus æquè ac piscibus abundat regio, tritici atq; frugum major esset copia, si inutiles silvæ convellerentur. Egentior est Bothnia, ex abietis pinúsque corticibus panem incolæ conficiũt, quem stomacho utilem prædicant, certè haud malignè nutrire experientia compertum est. Butyri, sebi, pellium, resinæ copiam, malos & trabes abiegnas, induratos pisces, atque in illis salmones luciósque septem-pedales ad exteras nationes exportant. Nusquam æris, ferríque venas opulentio-

lentiores reperias; Nusquam gentium homines tam domi, quàm militiæ, ferri tractandi sciẽtiores. In Dalecarlia ferrum aquâ mutant in præstantissimum æs. Arbores habet Suecia omnis generis, ipsæque salices producunt nuces avellanas.

Suecia in Sueoniam propriè dictam, & Nordlandias distinguitur. Sueciæ Provinciæ sunt Sudermania, Nericia, Dalecarlia, Vestmannia Vplandia: Sudermania, meridianæ Melleri ripæ adjacet, longitudinem habens ab occasu, in ortum quinque dierum. Emporium præcipuum Nicopia, cui ars addita Ducis sedes. Lacui apponitur Torsilia oppidum mercimoniis florens, & Strengones etiam Episcopali sede.

Nericia præter metallorum venas omnis propemodum generis, instrumenta ferrea, & coquinariorum vasorum apparatum reliquis Provinciis subministrat. Oppidum unicum habet Oreboam.

4. Dalecarlia gentem nutrit duratam gelu, armisque exercitam, quæ subest Arosiensi Episcopo; distinguitur in Osterdaliam, Vesterdaliam, & Sondaliam. Vestmania fertilis est & abundat metalli venis; celebria in ea municipia, Arbogiæ, & Copingiæ. Urbs præcipua Arosia, Vesteraos vulgò dicta sede Episcopali & arce conspicua.

Uplandia terminatur lacu Mellero, Saga amne, Dalecarla fluvio, & mari. Solo gaudet haud infœcundo. Sub annum Christi millesimum & sexagasimum, contra Moscorum incursiones

fiones ad oſtium Melleri lacus, in mare influentis, ædificationi arcis locum inſula præbuit, ubi hodie Stocholmia primaria Uplandiæ, & totius regni civitas, regum ſedes & emporium longè celeberrimum; Suburbia duo babet, Auſtrale in peninſulâ Toren, Boreale in Attudia; utrumque cum urbe junctum ſubliciis pontibus verſatilibus, quorum opera ex mari in lacum, & viciſſim naves ultrò citróque commeant. Sita eſt in latit. gr. 59. m. 15. Urbes reliquæ ſunt Enecopia ad eundem lacum, Sittuna ad ripam Salæ amnis. Sicut & Upſalia, Archiepiſcopatu, arce, & Academia inſignis, in latitudine gr. 59. m. 45. regni olim Metropolis, ſita in meditullio Uplandiæ.

5. Sequuntur Nordlandicæ Provinciæ, Geſtricia, & Helſingia, & inter utramque ſilva Gedemodt. Producit Geſtricia præter ferri fodinas, etiam frumentum, habétque civitatem unicam Gevaliam opportuno loco ad ſinum maris ſitam. Helſingia dicta olim Sundhede, oppidum habet Hudingſuualiam. Middelpadia Helſingiæ eſt proxima, huic Boream verſus adjacet Angermannia, cujus pars Auſtralis à mari Finnico verſus occaſum æſtivum protenditur: Borealis quã & ſicut Meridionalem à prærupto illo ac ruinam quaſi minitante Seulæ monte ſilva dirimit, ad mare ſimiliter excurrit; Civitas ei unica Hernoſandia dicta: Botnia verſus Lapponiam, & Ortum ſe quàm latiſſimè exporrigit, habétque ſinum ingentem, qui Nortbothniam à Veſtbothnia ſeparat.

Sequi-

Sequitur Lapponia, quæ agros nullos habet, ſed pabula tantùm in convallibus. Quidquid montuoſum eſt, Varama dicunt, unde fortaſſis vocabulum Biarmiæ detortum, ad Suecum pertinet, ſicut & Lapponum hordæ ſex vulgo dictæ.

Lappmark de
- Uma. g. 64.
- Pitha. g. 65. m. 20.
- Lula. g 65. m. 35.
- Calis. 66.
- Torne. 66.
- Kymi. 66.

Emporium Torne alioqui nominatiſſimum, incolis & advenis gratiſſimum reddunt ſuaviſſimo concentu volucres, quas illo tractu multorum dierum perpetua lux fovet.

CAP. XIV.

Finlandia.

ALienæ dominationis expers Finlandia ſuos Reges ad annum uſque 1150. retinuit. Tunc enim Henrici Regis Suediæ armis ſubacta primum, & ab Henrico Upſalenſi præſule ad Chriſti fidem perducta eſt. Partem nihilominus aliquam ejus ſemper, aut Novogardiæ Dux, aut Ruſſorum Imperator occupatam uſq; ad annum 1617. tenuit, quando Moſcoviæ Dux, in gratiam, ut ferebat, auxilii quod à Carolo contra Polonos, ſecundis aliquot prœliis ferociùs exultantes opportunum valde acceperat, re verâ autem Guſtavi Regis victoriis territus, ultrò ac ſpotè Eſthonia, Ingria & Carelia ceſſit, ad lacum Ladoga, cujus par-

jus partem quintam, quæ Orientem ſpectat, ſibi tantùm reſervavit. Linguâ Finnones peculiari utuntur, in qua nullam dictionem B. D.G. inchoant, nullam duplex conſonans; Generum diſcrimen nullum agnoſcunt; Unicum articulum, ſe, de ſexu utroque uſurpant. Quæ à præponendo nomẽ apud nos trahunt præpoſitiones apud Finnones poſtponuntur. Pueros in Suediam educationis & linguæ causâ tranſmittunt; nam adulti ad exteras linguas ediſcendas penitus inepti. Finlandia pulchram terram ſonat, glebâ fertili gaudet, Salmonum & Luciorum piſcatione inexhauſtâ, aucupii & venationis incredibili copiâ; ſed Alcium inprimis, quæ per Nievam rapidiſſimum fluvium ex Ruſſiâ in Careliam primo vere trajiciunt, Autumno Ingriam repetunt. Abo civitas Epiſcopi ſedes. Wiburgum emporium celebre eſt, arce cõſpicuum, quæ non ſemel à Ruthenis obſeſſa, contra majores centenis armatorum millibus copias ſtetit inexpugnabilis. Campi vel ſtagna, fluminibus in eos diffuſis, vel reſiccatis planiciebus omnis generis culturam, fructúſque ferunt.

Sunt porrò in Finlandia Provinciæ ſeptem, Caiania: Tavaſthia: Finlandia: Nylandia: Savolaxia: Corella: Europa. Quarum Metropoles: Caianeburgum, in lat. 65. . ad lacum Ula: Tavaſthus, 6 18. ad lacum Cumo: Abo, 61. 33. ad oſtium Amarochi: Wiburgum, 60.36. in extremo ſinus Finnici: Niſlort, 61. 50. ad fluvium Voxen: Kekolm, 61.2. ad lacum Ladoga: Nottevvrgum, 59.50. ad oſtium Ladogæ in Nievam.

Lado-

Ladoga lacus Europæ maximus 30. leucas Germanicas longus, latus duodecim, Vitulos marinos, & Phocas alit. Plurimus ibi harengo major pisciculus reperitur Ladog appellatus, qui & lacui nomen suum tribuit.

a *Olaus l 4.c.ult.*

CAP. XV.

Novogardiæ Ducatus.

IN eundem sinum cum Ladoga lacu flumen Wolcho mergitur, ortus ille quidem ex lacu Ilmem, qui amnes recipit Scholonam, & Louvat: hic Wiel Kielucki 55. 30 alluit urbem & arcem ligneam. Admittit insuper & salsum amnem, qui Russ oppidum rigat olim amplissimum, & à quo Russiæ inditum nomen putant aliqui; nunc verò pagum. Cum castello Starra Russa 57.30. Aquam suas in ædes oppidani derivant, ut ex ea salem coquant. Ex lacu emersus Wolcho Novogardiam magnam præterfluit, Russis Nougrodvveliki urbem Archiepiscopalem, 58. 25. caput principatus, qui totius Russiæ olim primarius fuit. Sunt in ea civitate Monasteria septuaginta, lateritiis muris planè firmissimis septa, rotundísque ornata turribus, quæ tegulis æneis opertæ sunt, cum ædificia reliqua ex ligneis trabibus assurgant, ex quibus ipsummet vallum cõpactum est, & viç stratç: capitũ hodie 20. millia vix numerat. Ex ea urbe Joannes Moscoviæ Dux quando eam à Lituanis obtinuit an. 1479. eduxit 300, currus, auro, argento & gemmis graves.

ves. Eidem amni Lovat apponitur Ladoga Rurici primi Ducis Novogardiæ regia anno 861. hæc porrò Russia tempore Adami Bremensis, *a* vocabatur à Danis Ostrogard, quod ut habet ille in Oriente posita omnibus bonis abundaret, sicut & Chunigard quod ibi sedes Hunnorum primò fuerit: quorum Metropolis fuit civitas Che.

a *Adam. Bremen. l.* 1. *c.* 1.

Cap. XVI.


Ingria & Esthonia.

Æstiorum Taciti videtur nomen conservatum in Esthonia, quam aliqui dividunt in Harriam, & Virriam, quæ Hirrorum & Virrorum vocabulo putantur notæ Plinio, alii in Ingriam, & Esthoniam. Revalia Metropolis est Harriæ, seu Esthoniæ: Narva Ingriæ seu Virriæ: utraque Suedici Regni Provincia est, amne Nieva, sinu Finnico & Narva fluvio comprehensa. Urbes præcipuæ Capuria 56. 45. ad litus maris munita; Narva regionis caput ad ostium fluvii Narvæ extructa 59. 20. sicut & Javonogorod arx proximo in Isthmo, quem rapidissim⁹ fluvius cingit, ædificata in saxo, muróque ac turribus vallata Joannis Basilidis Imperio Revalia 59. 6. urbs Episcopalis ad oram maris sita. Tota regio solo fertili, piscosis amnibus venatione & aucupio locuples; fœdere Moscovitico superioribus annis Suediæ adjuncta est.

Cap. XVII.

Pleſcoviæ Ducatus.

AMpliſſima, ſuíque juris Provincia erat, antequam Baſilidi anno 1509. proderetur. Urbium Princeps Pleſcovia, & , quod in Ruſſia rarum, muro cincta , in lat. gr. 57. m. 40. Alluitur amne, qui fuſus ex Plesko lacu poſt ſex millia, Czucko, & Peibas geminos lacus ingreditur. Illac facilis eſſet in mare Balticum navigatio , niſi ſcopuli propè Ivanogorod & Narvam prohiberent. Pleſcovia civitas in quatuor partes diviſa eſt, ſed à Baſilide, cives in Moſcoviam traducti, & in locum eorum Ruſſi ab eodem ſuffecti ſunt In eundm lacum ab Occidente fluvius Beca, vern. Embeck volvitur, Derptem, ſive Torpatum alluit urbem Epiſcopalem Livoniæ, quam 1558. anno Moſchus ſuæ ditioni adjunxit. Lacus Peibac 44. millia patere dicitur



GEO

GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

PARTIS PRIMÆ.

LIBER TERTIUS,

Poloniam, Vandaliam, & Chersonesum Cimbricam describit.

CAPUT I.

Polonia.

SERVIRE ignavorum animalium est, & sub jugum mitti: non sortimur libertatem, sed ommuniter accipimus: illam ex æquo nobis ̨ rationem natura primum ingenerat non disàri beneficio: ex alterutra quantùm detraxeris, antùm sustulisti de homine. Generosos illos spiitus ab ipso ortu hauriũt Poloni nobiles, Sarmaarum & Vandalorum germen liberum, quibus recariâ vitâ mors, quævis potior, libertas & vita odem semper loco fuerunt sita. Nusquam noilitas honoratior, nusquam liberalibus disciplinis magis exculta, nusquam potentior: quos ipsa reavit, Regibus jura præscribit: in clerum & noilitatem statuere potest nihil. Electô ad Varoviam sub pellibus potestatis modum, & ampliudinem proceres arbitratu suo definiunt, atque einceps cum ipso non secus ac fratres agunt. Mitię munus non nisi nobilibus, & iis qui ex oppi-

D dorum

dorum honestiore sunt loco, permittitur. Numerosi ex æquo & locupletes ad ducenta equitum millia conveniunt à vectigalibus immunes ad regis obsequium, absque stipendiis parati. Nostra ætate Uladislaus cum 170. millibus Turcis occurrit. Patrium est huic genti, quo magis inter nobiles servetur æqualitas, *a* nō indulgere structuris lapidum, vel fidere munitionibus præsidiorum: ne vel regnum ad posteros absque electione Rex transmittat, vel protervus aliquis petulantius agat, præsidio confidens loci alicujus munitionum opera firmati: tantùm paritate æquabili, justitiâ, & pietate munitos se volunt. Neque opibus modo & viribus proceres, sed etiam consiliis, Regnum tuentur, quibus solis in Senatum aditus patet. De cætero in plebejos & vulgus imperium plusquam regium obtinent. In mensa exteris parùm videntur urbani, quòd eodem poculo omnes bibant, nec utantur mantilibus, sed ad mappam communem digitos abstergant.

2. A vocabulo Pole, Slavis planitiem, & venationē significans, nomen indidisse Poloniæ putatur Lechus Croata, qui ante 700. annos illic consedit, & Vandalis ejectis Gnesnam ædificavit ad ortum amnis Vartæ in lat. gr. 52. m. 20. Ab eo varii principes gentem rexerunt ad annum 965. quo fide Christianâ initiati sunt: Diu nobiles sub initium Evangelii gladium ex parte stringebant. Anno millesimo Boleslaus Cabrius Poloniæ Rex primus, & Romani Imperii socius pronunciatus est ab Othone II. Imperatore, *b* qui ipsi pro insignibus Regiis coronam dedit, sceptrum,

ptrum, lanceam D. Mauritii, & Clavum Domini, quæ in Ecclesia Cracoviensi conservantur. Lutheri virus, omnibus fermè hęresibus in eam apeuit aditum. Quidam Rutheni ritum Græcum sequuntur, sicut & Armeni suum. Judæi hîc quoque tolerantur, imò, & Mahumetani quidam in Lithuania, omnibus tamen semper prævalet Catholica Religio, propter egregios hujus gentis Episcopos. Inter parallelos 47. & 57. continetur. Limites statuunt ad Boream Duna, ad Ortum Borysthenes, ad Austrum Tytas fluvius & montes Sarmatici, ad Occasum Venedicus sinus, & ab Oderæ ostio, linea ad eosdem montes ducta, quâ Silesiæ, Moraviæque finęs attinguntur. Porrò licet Aristocratiæ, quàm Monarhiæ proior dominatus videatur, regios tamen successores Nobilitas nunquam excludit. Unum quiem Ladislaum, suffecto Venceslao Bohemo, ulsum de solio audivimus; sed & ipse etiã posteà estitutus est. Rex partitum quadrifariàm regnũ uotannis lustrat, eumque interim, cum univer- comitatu singulę partes mensibus ternis alunt. nesnensis Archiepiscopus summi Pontificis in rmatiâ legatus, & Regni Primas, interregni mpore legationes externas pro suo jure audit, mitia indicit, electum regem appellat, & diamate inaugurat Cracoviæ. Dividitur Poloa in Majorem & Minorem; illa Germaniæ, ec Russiæ, atque Hungariæ contermina est. Ilm Gnesna sedes olim Regnum à Lecho circa num Christi 550. constituta ad aquilarum nim, unde & nomen Gnesna & Aquila candida ntis insigne: hanc Cracovia Regni hodie caput

nobilitat. Diœceses 12. & Palatinatus 34. ambæ complectuntur. Cracoviensis,& Vilnensis Palatinatus alios intervallo relinquunt. Palatinatus autẽ in Castellanatus,& hi inCapitaneatus seu præfecturas 82.tribuuntur, omnibusque generales duo militię Duces præsunt, qui ex decreto Senatus,cum res postulat,copias conscribunt. Patre nati Palatino honoris gratia dicuntur Palatinides. Regni feudatorios censent Duces Pomeraniæ, Prussiæ, Livoniæ seu potius Curlandiæ,Valachię & Moldaviæ, quanquam postremi duo etiam Turco obsequium præstant. In Cancellaria Lituanicâ Rhuthenicis characteribus omnia conficiuntur. In Polonicâ Latinè omnia tam sacra quàm prophana tractantur, sed & ex plebeiis ac rusticis vix unum aliquẽ reperias,qui Latinè non sciat: omnes Græcam linguam detestantur ob Schismaticos Græcos. Preciosis vestibus induuntur nobiles. Si quis eorum moriatur,priusquam ducat uxorem,affines funus ejus cohonestant purpurati. Cœli temperatio tenuis,sed hyems aspera est; Regio plana,palustris,nemorosa. Solum vel tritici feracissimum, vel pascuis uberrimum:butyri & carnium ingens copia: mellis & ceræ non alibi major vis. Apum uvis sylvæ nigricant:picis & resinæ ibidem collectæ quæstus non vulgaris. Interiora vicis magis,quàm oppidis habitantur: latrocinia penè ignorat, & tanta securitas est, ut hibernis mensibus,etiam singuli tenuibus vehiculis, & uno quidem duntaxat, aut altero jumento immensa itinerum spacia conficiant.

In Ma-

In Masoviæ Sylvis equus niger, ferus, Cervino cornu reperitur: ibidem & bos ferus, quem urum seu bisontem vocant. Aucupium genti largum, piscatio locuples, potio ex melle, & tritico delicata, & sana, vini desiderium non relinquit etiam bibacissimis hominibus, qui hîc dies integros in tabernis ducunt. Sanè percontanti domino unde veniant, si respondent se pro ejus salute hilariter potasse, subridens ille gratias agit, & plerumque largam mercedem reponit. Servos enim ad comitatum duntaxat & mensam permultos habent.

Cultu ad arbitrium Gallico, Italico, Germanico, Turcico, omnique alio utuntur promiscuè, sagittas & hastas oblongas in bello gestant; & clypeos Hungaricos, qui totum hominem equo insidentem operiunt.

Curribus in gyrum dispositis castra, ut arcem muniunt. Procerum liberi, non potentioribus modò, sed etiam tenuioribus in ministerium traduntur, ac sæpenumerò quis in famulatu juvenem habet, cujus olim apud parentes liberalis ministerii operam ipse posuit.

a *Krantzius Wandaliæ l.1.cap.3.* b *Krant. Wand. l.2.c.30.*

Cap. II.

Livonia.

Livonia incolis Liefland inter fluvium Narvam Finnicum, & Livonicum sinus amnémque Memel comprehenditur 90. mil. Germanica,

longitudinem,50.latitudinē metiuntur. Sarmatæ per Tartariam fusi ad mare compulsi à Scythis, hîc consedêre. Non unius fuisse linguæ populum patet ex linguarum diversitate: In hanc enim diem Estones, Livones, Letti, & Curoni per agros fusi, habent *a* in linguâ commune penitus nihil. Bremenses Germani commercium frumenti, ceræ, & pellium habentes cum incolis, arces & oppida, quæ hîc videmus, ædificarunt, in quibus tantùm usus linguæ Saxonicæ. S. Meinardus regularis Lubeca profectus cum mercatoribus circa annum Christi 1200. Evangelii sementem in ea primus fecit. Eidem vitâ functo in Episcopatu Bertoldus Cistercienfis Abbas successit, à quo initium habuit sacra militia fratrum Ensiferorum, quibus ab Ecclesia concessum, ut tertiam agri partem obtinerent, quo defensionem & propagationem fidei Christianæ susciperent. Teutonicis fratribus juncti postea sub annum 1237. tributo & obedientia magistrum ordinis coluerunt, donec anno 1513. Alberto Brandeburgico ordinis Magistro numeratâ grandi pecuniâ, obedientiæ vinculo soluti sunt. Rigam regionis Metropolim, communibus auspiciis Archiepiscopus, & Magister regebant. Propriam uterque monetam signabat, sed arcem Magister obtinebat, licet in urbe Venda sedem haberet ordinis primariam. Demum hausto Lutheri veneno militaris ordo sensim defecit. Anno 1557. Magister, & fratres in Archiepiscopum insurgentes eum in vincula conjecerunt. Sigismundus Poloniæ Rex injuriam suam interpreta-

pretatus, ultionem paravit, Antiſtitem in thronum reſtituit, ac poſt ejus mortem, quas arces urbeſque tenuerat, propinquitatis jure occupavit 1558. Moſcus Baſilides, Dorpato capto, magnâ ditionis parte Livones exuit, Magiſtrumque perpetuò carceri mancipavit. Poſtmodum Eſthoniam (pars eſt Livoniæ ad ſinum Finnicum) ejúſque arces & primariam urbem Revaliam, Suediæ Rex Joannes tertius ex Baſilidis manibus extorſit. Anno demum 1562. Gothardus Kecler Magiſter ordinis in arce Rigenſi, coram Palatino Vilnenſi Poloniæ Legato, in gratiam Regis Poloniæ ordinem, crucem, Magiſteriumque abdicavit, ſigillum ordinis, Apoſtolicas literas, Claves urbis & arcis, in manus legati tradidit. Legatus autem Regis nomine Gothardum creavit Curlandiæ & Semigalliæ, quæ ſunt Livoniæ partes, Ducem hæreditarium. Die ſequenti, urbe arceque traditis, Livoniæ Proregem conſtituit. Hodie Livoniam ad fluvios Dunam, & Indricam Suecus poſſidet. Oleo & vino Livones carent, frumento, lino, cerâ, melle, piſe, pecore, armentis, equis abundant. De Lycanthropia gentis, vide Olaum, lib. 18. cap. 45.

Urbes Livoniæ Epiſcopales fuerunt Dorpatum, Derpt, ad oram fluvii Becæ, inter duos lacus in Mediterraneis in lat. gr. 58. m. 30. Revalia ad mare Finnicum in lat. 59. Abſelia, ad litus occiduum 59. 30. Et ad oſtium ſinus Clylipeni, Latris inſula, quæ putatur Oſilia inſula & urbs. 58. 30. in parte occiduâ inſulæ. Hanc cum arcibus munitiſſimis Arnemburg, & Sonnenburg equites crucigeri, Daniæ Regi tradide-

runt. Riga Livoniæ Metropolis sita in gr. 57. m. 45. ad Dunam fluvium, Bremensium Germanorum putatur colonia.

a *Krant. Wandalia. l. 6. c. 9.*

CAP. III.

Duna fluvius.

EX lacu Duna in principatu Bielkia ortus, amnem Obsekam postmodum excipit. Bielkiam, & Wieliz urbes municas Russiæ protulit, rivum deinde alterũ admittit ex lacu & arce Toropez manantem, pagos & oppida vario circuitu oberrat, inde abit Witepsk caput Palatinatus cognominis & tutissimum totius Lithuaniæ propugnaculum adversus Moscos. Hinc & Polociũ rigat civitatem Lithuaniæ Episcopalem hæresum spinis, & Græco schismate obsitam, nec non arces Duneburg, Kakenhausen, & Dalen, quas in Livonia Suecus obtinuit; ac demum 130. milliaria Polonica emensus à fonte, mare Balticum ingreditur altero infra Rigam milliari ad castrum Dunamundam. Ibi evehendas invehendásque merces nautæ explicant, & redemptori portoriũ numerant. Dunæ Salmones multorum ora celebrant; certis præterea amni temporibus, dum effunditur non secus, quàm Nilus, arenosas fœcundat gurgite glebas, unde siliginis & leguminum vis infinita.

Bielkia Russię principatus, sui juris Principem quondam habuit, qui tamen magnis Lithuaniæ Ducibus Jagellonis filiis tributum solvebat. Ab

illis

illis Basilius Princeps Bielskiæ ad Basilium Russię Ducem defecit, totumque Ducatum ejus potestati subjecit. Jam Russiæ Dux inter alios insignes primariósque titulos hunc sibi asciscit. Civitatum Princeps Biela cum castello ad ripam fluminis Obseka in vastis silvis 60. mill. Polon. à Moscua abest. Arcem & portum magni toto hoc litore nominis Riga Livoniæ Metropolis *a* habet, cui proxima arx Dalen, & Kerkolm castrum ordinis ad ripam Dunæ.

a *Krant. in Wandal. l. 6, c. 10.*

Cap. IV.

Curlandia, Semigallia, Samogitia.

Transmissio Dunâ, Curlandiæ & Semigalliæ Dacutus occurrunt. Ducum sedes Mitoviæ ad fl. Bulderanum, qui in mare Balticum abit, 30. min. ab ostio Dunæ. Caput Ducatus Curlandiæ est Goldinghen ad Vidanum amnem, qui in Balticum influit supra Windan, ubi portus commercio dives, & Batavorū appulsu frequens.

Livoniæ meridiem versus ultima pars Samogitia dicitur: incolæ per sylvas dissipati vicatim cœperunt habitare anno 1572. quo Sigismundus Poloniæ Rex tria singulis attribuit agri jugera, per Jacobum Lascou, qui & ipsos Deum unum colere docuit primus: nullæ adhuc ipsis urbes, sed humiles casæ, in quibus agrestis turba cum pecoribus suis, nullâ macerie sejunctis, degit: Ardet in medio focus: animantium cornibus utuntur ad pocula, terram quamvis firmam ac tena-

 cem,

nacem, miniméque arenosam non ferro aut vomere, sed ligno proscindunt: Excavatæ silvarum arbores mel album longè optimum, ac penè sincerum, exiguâ certe portione ceræ mixtum, sufficiunt. Pusillos admodùm equos alit regio, oneribus, quæ maxima ferunt, pares nemo nisi expertus credat, bellicosi procerique sunt indigenæ: Pleriq; ad 100. annos vitam producunt; sunt adhuc ad auguria propensi, neque desunt, qui serpentes, ut Deos penates domi nutriant colántque. Episcopo sedem capituloque Worna commodat; regionem gubernat Starosta, Palatini & Senatoris dignitate inclitus, tradiámque à Poloniæ Rege præfecturam, quandiu vivit, more Vaïuodæ retinet. Lituanus, ut plurimùm, ad hoc munus deligitur, Tribunal in oppido Roscien esse solet. Puellæ Zonis præcinctæ sunt, quibus appensa Crusmata & tintinnabula: de nocte præterea incedunt nunquam sine lumine, ut vel eas parentes semper videant, aut quid agant intelligant, vix nubunt ante 30. ætatis annum, nec priùs, quàm multa ipsæ texuerint, quibus sponsum munerentur.

CAP. V.

Sinus Venedicus, lacus Curionensis & Habus.

STagna omnia & loca aquis exundantia, Belgico sermone Ven dicuntur *a* etiam nunc, eodem verbo jam olim usos, & Gallos & Italos, probant Venetiæ, cum Amoricæ, tum Italicæ, hinc

hinc etiam dicti Venedi frequentes illi è Dania emissi populi, qui ad Prussię lacus & paludes amplissimi sinus Vistulam excipientis consederunt. Sunt autem hic lacus præcipui duo, nempe Curionensis & Habus: Curionensis, qui & sinus Curlandicus dicitur; 60 circiter mill. ab oppido Memel ad montem Regium patet. Habus verò Dantiscum usque à Monte Regio per totidem pertingit mill. Uterque latus sex, non multò secus, uterque fusus secundùm mare, & ab eo angustis solùm duab⁹ insulis disjunctis, quibus Neringa nomen, uterque recens mare passim dicitur. In ostio Curionensis oppidum est Memel, in extremo Habi, Dantiscum: in medio mons Regius, emporia illius oræ celeberrima. In Curionensi qui Ducalem Prussiã alluit, sunt ostia Niemenis fluvii per Livoniam decurrentis. Ad Habum celeberrimorum Poloniæ fluminum Prægolæ, & Vistulæ panduntur ostia, inter utrũmque stant ad litus Prussiæ urbes Regiæ. Brausberga urbs modica nec ignobilis, nec inelegans & cœlo salubri, propè Fraumburgum seu Varmiam; ubi sedem Episcopus, & Collegium Canonici habent, in Basilica arcis more munita. Hîc Matheseos instaurator nobilis Copernicus vitam duxit, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, ubi & observationes suas instituit, quemadmodum lib. 4 sui operis cap. 7. testatur. Situm definit ad ostia fluvii Istolæ sub meridiano Cracoviensi, in quo eodem Macedoniæ Dyrrachium seu Epidaurũ esse tradit Meridianus ille nobis est 43. latitudo verò secundùm Tichonem, gr. 54. m. 22. in eadem ora

videtur Elbinga ad ostium fluvii, ejusdem nominis. Habus verò in mare influit ad arcem Locstetæ in extremo Neringæ Curionensis extructã.
a *Georg. Braun in Lovanio.*

Cap. VI.

Niemien.

MAximus Lituaniæ fluvius dictus Niemien Polonis: Mamel Germanis, is putatur quem Marcellinus lib. 22. vocat Chronium, & verò in lat. 53. oritur ex lacu Chrono in Ducatu Sluskensi, qui 30. m. Polon. in longum, totidemque in latum patet. Dux quidem Regi Poloniæ subjacet, thesauro tamen & gaza cum potentissimis Italiæ, Germaniæque Principibus contendere potest, in Raziviliorum est familia, idémque, ut plurimùm est Sluscensis Dux, Palatinus Vilnensis, & campi ductor Lituaniæ. Inde digressus Niemien varios Palatinatus præterluit, & inter alios Novogrodensem, atque Belsensem: Novogrodo magnitudine, Romam superari ferunt. illi enim milliaria septem Germanica tribuunt, huic autem sena duntaxat cum dimidio concedunt. In Belsensi Palatinatu reperitur lacus Crinice dictus, haud amplus, ille quidem, sed profundus, qui altero vel tertio quoque anno fluctus cum mugitu attollens, funditus propè exhauritur, vicini montis cavernas subeuntibus aquis, indéque post aliquot dies refluentibus. Porrò ex amnibus innumeris, qui cum Niemene aquas commiscent, præstat cæteris Vilna, qui ejusdem secum nominis

nominis urbem alluit, in lat. 55. 20. Lituaniæ Metropolim. Cracoviæ æqualem, si ambitus spectetur: nam alioqui ligneis fermè ædificiis universa constat. Palatini primi, nec non & Episcopi sedes est, influit verò Memel fluvius in Curionensem lacum, qui mari Baltico ad oppidum Memel committitur.

CAP. VII.

Lituania.

VAstissima est Regio, quam fluvius Memel mediam quasi secat, longa, ut creditur 260. eu. Germ. lata 80. silvis adeò horrida & paludibus stagnans, ut vix à mercatoribus alio tempore, quàm Hyberno frequentetur, nam paludibus alta glacie, tum concretis nivéque superfusâ ommodum iter panditur, quod tamen velut in lto mari siderum aspectu metiuntur. Mira novalium fœcunditas, ex unico grano spicæ interlum 130. existunt firmæ, adeò ut eques vix in segetem penetret. Sed, malum! ad maturitatem messis ægrè pervenit; Itaque siligo unà cum spiis commolita, non nisi panem atrum commolat. Currus absque ferro compactos, & nulla inguedine oblitos passim videas, unde quoties nulti simul aguntur, exurgit mirus querulorum xium concentus. Animalia omnis generis pulla, gens in universum misera, raræ urbes: coloi quinos dies dominis laborant: Dominicus um sequenti domesticis rebus & privato labori crilegè conceditur. Cautiores quique in ab-

ditis ſilvarum, ſubterraneos ſpecus effodiunt, & arborum corticibus veſtiunt, in quibus frumenta, carnes, & ſupellectilem recondunt, ne dominis vel hoſtibus pateant. Veſtitu vili, ut plurimùm cinericio teguntur: Sermo ut Polonis Sclavonicus. Si quis capite damnetur, jubente domino verberibus adigitur, ut ſe ex infelici arbore, penſilem faciat, & laqueo gulam frangat. Ajunt matronas annuentibus maritis, concubinos habere, quos connubii adjutores vocant, Pellicatum viris probro dari. Anno 1386. Jagellus ducta in uxorem Heduigi, quæ de ſtirpe Polonica ſuperſtes erat ultima, ex duce Rex inauguratus eſt his conditionibus, ut Chriſto daret nomen, ut ſuos ad fidem perduceret, ut Poloniæ Lituaniam ditionem ſuam uniret. Ita ritu Chriſtiano initiatus Uladislai nomen accepit; ſed Lituania ſeculo tantùm proximè ſuperiori ad Poloniam acceſſit.

CAP. VIII.

Pruſſia.

EXcurrit ſecundùm mare Balthicum, & Habos lacus, ab oppido Memel ad Dantiſcum mil. Polon. 58. patet 50. A Riphæorum montium incolis, qui hîc putantur conſediſſe, Boruſſiæ nomen accepit. Ad annum uſq; 12?6. Idola Pruteni coluerunt: tunc enim Conradus Maſoviæ Princeps è Regio Poloniæ ſtemmate crebras gentis defectiones pertæſus, pulſos Hieroſolymis Teutonicos equites contra Prutenos acci-

accivit, data in mercedem Culmensi ditione, præter spem Prussiæ post domitum hostem inter victores partiendæ: verum Hermandus à Salicen quartus ordinis Magister 20. millibus Crucigerorum fratrum stipatus, Conradum & Prussos regione Culmensi ejecit, & qui eum subsecuti sunt ordinis præpositi 72. arces extruxerunt, & civitates 62. ædificarunt, ut in obsequio Prussos & in fide Christi, quam susceperant, firmos & constantes retinerent. Crucigerorum porrò sive Teutonicorum equitum ordini 7. sacerdotes, & Laici 24. initiũ dederunt Hierosolymis in Hospitali Sanctæ Mariæ. Pallium album cruce nigrâ conspicuum gerebant. In sacco straminis pleno dormiebant. Nulli nisi germano aditus patebat. Nullus barbam tondebat loricâ indutis & gladio accinctis sacerdotibus celebrare Missam concessum erat. Præpositi sedes Hierosolymis primùm fuit: Inde Ptolemaidem, mox Venetias, postea Marpurgum translata, Mariæburgi demum in Prussia, ad annum 1525. stetit, qui ordini supremus fuit sub Alberto Marchione Brandeburgico Teutonicorum equitum Magistro 24. & ultimo. Is enim post Lutheranorum virus epotum Sigismundi Regis armis Mariæburgo exul, in has conditiones descendere coactus est: ut extincto ordine Teutonico secularis Princeps, & Cracoviæ eques auratus fieret, Prussiam haberet integram, sed in feudum Regis Poloniæ, ad quem desideratâ ipsius & fratrum sobole rediret. Quod, ut maturè prohiberet anno sequente Daniæ Regis sororem conjugem

gem accepit. Nunc in Regalem, & Ducalem Prussia dividitur. Illius caput Mariæburgum, hujus Regiomontum. In parte Regia præter Mariæburgum, Toronia, Culma, Varnia, Gedanum censentur. Ducalis 120. aureorum millia annuo reditu numerat. Solum frumenti ferax, sed ob paludes multis locis invium. In saltu Hercinio qui Prussiam pervagatur, Alces reperiuntur, onagri, bubali. Apiumque innumera alvearia succinum flavum in litore maris abunde colligitur. Mons Regius sive Conixberga gr. 54. m. 45. tribus oppidis arce magnifica, & emporio inclita, ut Basilicam, & sedem. Episcopalem Sambiensem taceam, quæ olim à sexto ordinis Magistro ad ostium Prægolæ, vulgò Prægel ædificata, hodie Duci domicilium præbet, & Memel arcem situ manúque firmam. Qui in Germaniâ erant Teutones, Magistrum postea crearunt, qui ut plurimùm fuit ex domo Austriaca, qui ordinis & Magisterii sedem posuit in urbe Mergentheim, in valle Tauber in Franconia.

CAP. IX.
Vistula le Veixel.

VIstulæ fons est in montibus Sarmaticis, qui Hungariam à Poloniâ dirimunt circa grad. 49. & m. 23. Fuit olim Garmaniæ limes ultimus; sinistram ejus ripam incoluerunt aliquando Gothini, Logiones, & Lugii; dexteram Bastarnæ, Peucini, Venedi, Estii & per Gutones, effundebatur ad Electeridem Insulam in mare Suevicum;

vicum: hodie mediam secat Poloniam; Alveum ejus circumstant Ozviecimum caput Ducatus cognominis, ubi arx lignea argilla circumlita ad ostium *Salæ* in Vistulam in lat. 49. m. 48. & Zatoriæ Ducatus Silesiæ Polonicæ, ubi arx alia similiter lignea: mox aliquot fluminibus receptis auctior altus & navigiorum capax ingreditur Cracoviam, *Cracovv*, Poloniæ minoris caput, & regum domicilium, quod muro duplici vallóque ambitur, & ab arce in scopulo eminenti Vavel sita defenditur. In territorio ejus Bochniam habet, Vieliziam & fodinas ad 80. schalarum altitudinem depressas, ex quibus columnæ, massæ, quæ salis ter mille pondo graves eruuntur. Sandomiriam Lazuli & argenti venis claram, positam in lat. gr. 50. m. 25. ubi Vistula amnẽ Sanum *le Sán* excipit, qui Jaroslaviam in lat. gr. 49. m. 48. & aliquot Russiæ nigræ castra alluit. Steziezam castrum, supra quod fl. Rystrzca effunditur, qui Lublinum, g. 51. m. 13. urbem rigat, quam Armeni, Turci, Græci, Germani, & Moscovitæ nundinarum causâ quotannis frequentes adeunt. Ibi laudatissimus Rex, qui anno 1434. obiit Vadislaus, post reportatam de Prussis victoriam, & conversa ad fidem 30. paganorum millia, Triumphum Mariæ excitavit. Templum est eo nomine erectum in loco, ubi perpetuum ignem ab incolis pro numine adoratum extinxit, Clerúmque copiosum ibidem statuit, ut in locum ignis perpetui, chorus perpetuus succederet.

2. Varsaviæ comitia habentur, caput est Masoviæ. Plocia oppidum vetus, ac nobile Plocien-

ſis totius regionis in Maſovia Princeps in lat. gr. 52 m 28. ſupra quod Hypanis vernac. *Ruth* fluvius influit, alluens Leopolim antiquis Carrodunum in Baſtanorum ſolo in lat. gr. 49. m.17. nunc caput Ruſſiæ nigræ, ubi Turcicis mercibus emporium celebre. Uladislavia g. 52. m 36. Torunium gr. 52 m. 48. urbs Palatinatus Culmenſis in qua totius Pruſſiæ judicia exercentur; frequentiſſimis nundinis gaudet, atque primariâ nobilitate undique cingitur. Culma gr. 53 m.8. Pruſſiæ quondam, & Maſoviæ jus dicebat Grudentum. Mariemburgũ arcem olim equites Teutonici extruxerant, & de patronę ſuę nomine appellarant. Polonis hodie eſt præſidio adverſus finitimos. Derſavia gr. 54. m. 6 Gedanum alio nomine. Dantiſcus urbs Pruſſiæ totius primaria emporio; frequentiâ, & navigationum oportunitate in primis nobilis: Inter alia urbis ornamenta, pulveris nitrati mola memoratur, horologium, & admittendis, emittendiſque navigiis longus quatuor millia paſſuum alveus, propugnaculo, bellicíſq; machinis ad oſtium bene firmatus. Viſtula tandem ſupra Mariæburgum bifariam ſectus, inſulam Zulanam efficit, & nomen deſerit. ac ſiniſter quidem alveus Leniunca, dexter Nogatus appellatur. Hic in Habum tribus oſtiis ille duobus partim eundem in lacum, partimque in mare infra Gedanum ſeſe exonerat. Vandalum permulti flumen hoc vocant, ſive quod Vandali Sarmatiæ populi à fontibus ad oſtia illud accoluerunt; ſive quod in eo Regina Vanda ſubmerſa periit. Circa Gedani oſtium,
& in

&c in toto ſinu Venedico ad ingruentem vento-
rum, & tempeſtatis motum certi homines à Prin-
cipe conſtituti mare nudi ſubeunt, & faſciculos
piſcium, aliaque maris purgamenta ad litus co-
gunt, ex quibus pueri electrum ſeparant, & ad
Principem deferunt. Illud menſe Julio profun-
dere abietes, quæ in litoribus Suediæ imminent
mari, conſtans eſt fama. Ab hoc electro inſula,
quæ Habo prætenditur, vocatur Electridis. ver-
nac. *de Naringe.*

CAP. X.

Vandalia.

VAndaliam dixerunt majores *a* totum eum
Baltici maris tractum, qui ab ultima Livo-
nia, vel ut minimum ab Oſtio Viſtulæ ad Cim-
bros, & à fontibus Viſtulæ per immenſa ſpatia
ad Viſurgim patet. Imò Krantzius l. 2. Vandaliæ
c. 2. à Pomerania ſeu mari Germanico ad Medi-
terraneũ eam extendit, & ipſis Ruſſos, Bohemos,
Pannones, Dalmatas, Hiſtrios, & omnes, qui Scla-
vonicâ utuntur linguâ, adnumerat. Unde hoc no-
men, & unde primam Vandali duxerint originẽ
non ita certum. Eſt in Cimbricæ Cherſoneſi
parte boreali urbs, quam Saxo Vendelam nomi-
nat, & in hanc diem Vendyſſel dicitur. Proco-
pius Vandalos Gothicam gentem aſſerit. Si-
mile verò ex Gothis & Rugis, qui ex Scandia in
Germaniam tranſmiſerunt, eos, qui ad maris li-
tus & depreſſiora loca conſederant, Venedos &
Vandalos dictos, quod antiquitùs Galli, hodie-
que

que Germani Veneden, Belgæ Venen appellent depressum omne solum, molle ac herbidum: Vandal autem aquosas valles cujusmodi ferè omnis est ille tractus, lacubus & flaviis passim intercisus. Ut ut sit, populosa natio, nomen sæpius mutavit suum, & qui communi nomine Vandali, proprio & peculiari deinceps Sclavoni, Sclavini Slavi (hoc est, verbosi, sive quod multa loqui esset gentis vitium, ut habeat Ænæas in sua Bohemia, sive quod eorum lingua sit abundans verbis, & latè diffusa) Antes, Vinithi, Vinuli, Vindi, Silingi, Veneti, Heluri, Varnavi, Hermunduri, Longobardi, Obotriti, & mille aliis nominibus, reperiuntur dicti pro regulorum, & familiarum varietate.

Anno Christi 406. à Stilicone evocati Suevi & Vandali Gallias depopulati sunt, *b* anno verò 409. Pyreneum transgressi Hispanias occuparunt Gallæciam Vandali & Suevi obtinuerunt; Silingi Bœticam invaserunt. Anno deinde 427. evocati à Bonifacio, octoginta eorum millia Duce Geizerico in Africam transmiserunt, *c* eamque paulatim subjecerunt sibi. Anno 439. Carthaginem occuparunt, & in ea regnarunt ad tempora Justiniani, quando Duce Belisario extinctũ est Vandalorum regnum anno 96 post occupatam Carthaginem, & 108. post eorum ingressum in Africam. Porrò amplissima olim Europę Regio nunc antiquum nomen nusquam conservat, præterquam in Ducatu Mechelburgico, in quo exigua terræ moles vix patens ad 40. mille passus, cujus oppida sunt Gustrovv, Plaue & Malchin ad lacus ejus-

jusdem nominis sita, proprio nomine dicitur Vandalia: tantus enim est gentis contemptus, ut nemo, nisi quem lingua prodat, se fateatur originis Wandalicæ. Titulus tamen gentis remansit *d* apud Principes, qui morientes proxima successione illum transmiserunt ad Duces Magnopolenses, quibus ea hodie paret terra, quæ Vandaliæ nomen retinet.

Vide Crantzium, Cythræum, & Helmoldum in Chronico. b *Idat.Oros.* 7.*cap.* 40. c *Prosper. in Chronico Victor. Vtic. l.* 1. *Procop.* 1. *Iornand. de reb. Ger.* id est. d *Crant.Vandalia lib.* 7.*cap.* 42.

Cap. XI.

Pomerania, Odera, Marchia Brandeburgica, Silesia, Varta.

POmeraniæ Ducatus solo fertilissimo, inter Gedanum & Rostochium per minuta circiter 240. expanditur propter litus maris, quod naturali muro firmatur. Inde nomen. Vandali enim Paa meren terram maritimam vocabant. Hîc etiam succinum legunt incolæ. Anno 1125. Bambergensis Episcopus Otho Christianæ fidei rudimentis Pomeranos imbuit. Ducatus plures Regio continet, puta Cassubiæ, qui Vistulam inter & Oderam secundum mare porrigitur, urbs præcipua Colberga *Colberg*. g. 54. m. 18. ad ostium amnis Radduidi sita. Pomeraniæ, quæ Metropolim habet Stetinum, Stetin, g. 53. m. 26. ad Oderam emporio celebre, juris ac fœderis Hanseati. Vandaliæ in iusulis Julina & Usedonia, quæ

præten-

prætenduntur oſtio Oderæ. Fuit verò Julinum nunc Volinum, g.53. m 54. Vandalorum nobile emporium uni Conſtantinopoli cedens in Europa. Volgaſtenſis, ſeu Bardenſis à Maritimis urbibus Volgaſt, g.54. m.12. & Bart. g. 54. m.30. dictus eſt : inter quas ad ipſum litus eſt Gripſvvaldum, *Gripſvald*, g. 54. m. 15. gymnaſio clarum. Stralſunda, *Stralſund*, grad. 54. m. 32. hinc mari, inde aggeribus probè vallata, incolis & mercatoribus frequens, Bardenſis Ducis olim ſedes, quàm Valeſtinus totum annum fruſtra obſedit. Modico freto ſecernitur ab Inſulâ Rugiâ, *Rugen*, cujus perimeter eſt milliariorum 21. Pomeraniæ eſt horreum, nullos habet lupos, nullos patitur glires, ſuiſque finibus civitates quinque continet. A Griphonibus Sarmatiæ Europeæ Regibus Pomeraniæ Duces orti ſunt, ut nonnullis placet.

2 Odera Ptolemæo Viadrus, Plinio Guttalus, Cluverio Suevus è Moraviæ & Sileſiæ finibus manat, haud procul Olmuſio : huic nomen dederunt aucupes, qui caſas avibus ſpeculandis captandiſque conſtitutas Odri appellant, ſunt enim etiam ad fontem Oderæ non paucæ. Provincias rigat Sileſiam, Marchiam, & Pomeraniam, & poſt 320. minuta ad 16. m. infrà Stetinum in lacum recentem, ſeu ſinum aquæ dulcis Friſchaff dictum, 40 m. longum defertur, unde per inſulas Vandalicas abit in mare Balticum triplici alveo: unius aquæ vireſcunt, alterius caneſcunt, tertij navigatio perpetuis tẽpeſtatibus infeſta eſt. Dextrum Divenoam, ſeu Diepenon dictũ,

Voli-

Volinum oppidum præterit, nec procul inde ad Caminum Balthico infunditur mari. Medium Suine, seu Suene vulgus, Suevum verò Ptolemæus nominat. Sinistrum à Pani flumine propè Ankelam à se recepto Panis appellatur, & infrà Wolgastum mari aperto propè Vsedonem miscetur mari.

Quarto post Stetinum milliari nova Marchia Brandeburgica incipit, ubi Costrinum *Custrin.* g. 52. m. 36. munitissimum. Lubust. g. 52. m 30. Episcopalis civitas. Principem locum tenet Francofurtum, *Francfort*, g. 52. m. 25. ad Oderam, gymnasio, emporio & iterato per singulos annos ad nundinas conventu nominatissimum. Crossen, g 52. m. 6. Ducatus, anteà Silesiæ, nunc Marchionum Brandeburgensium.

3. Sequitur Silesia, dives & ampla regio, sylvæ Herciniæ quondam portio, nunc sub Ducatus titulo 16. Principatus complexa. Poloniæ Regibus universa paruit, ad annum 1300. quo in Bohemiæ Regum fidem se tradidit. Urbes præcipuæ sunt Glogovia, Groosglogavv, g. 51. m. 44. cognomine major. Urbium princeps Uratislavia, Breslavv, g 51. m 10. ab Uratislao Bohemo condita anno salutis 96, . ex ruinis Budoris Quadorum, Episcopalis & Metropolis, publicis privatisque ornata ædificiis. Nissa, Neisse, g. 5. m. 27. & ipsa Episcopi sedes. Glatz in finibus Bohemiæ & Silesiæ, Comitum stirpe extincta, ditionum Bohemiæ Rex obtinuit. Cœlum frigidius aliquantò, vinum dat modicum & austerum. Hîc passim sub autumnum, sicut & in Poloniâ

Bohe-

Bohemia & Moravia in cisternas & puteos hi-
rundines dant se præcipites; reperiunrur etiam
quercus cavæ hirundinibus plenæ.

Varra fl. Cromoloniam, Cromolovv, g. 50. m.
21. satrapię Cracoviensis oppidum, per Siradien-
sem, Siradie, gr. 51. m. 32. satrapiam secundo-ge-
nitis Poloniæ Regis aliquando assignatam, &
majorem Poloniam labitur. Ibi Posnaniam,
Posna, gr. 52. m. 25. urbem Cracoviæ æmulam
octavo fermè à Gnesna, gr. 52. m. 27. milliare, &
Landisbergam, Landsberg, g. 52. m. 41. præter-
fluens ad Custrinum oppidum in Oderam è Sile-
sia occurrentem influit. Notessius denique fl.
apud Crusviaciam Cuiaviæ oppidum è Golbo
lacu existens per majorem Poloniam versus oc-
casum Hibernum meat, & infrà Drenum, Dre-
sen, gr. 52. m. 40. Marchiæ arcem, in Vartam
illabitur. Inter Vartam & Notesiũ antiquissimas
sedes Burgundionum fuisse contendunt Germa-
ni scriptores. Cluverius l. 4. Antiquæ Germ.
c. 36. ipsis tribuit oppida Polonię Gniezno, Wa-
grovviec, Roaozno, & lacum Golbo. Certum
ab initio tempore Plinii, qui primus eorum me-
minit, gentem fuisse exiguam, civitatemque eo-
rum humilem ac fortè in Vindilorum gentis tu-
tela, qui tamen in tantam posteà creverunt mul-
titudinem, ut 80. eorum millia ad Rheni ripas
consederint, indeque tandem in Gal-
lias venerint.

CAP.

Cap. XII.

Longobardi. Meckelburgensis Ducatus & Lubeca, Hamzeaticarum civitatum caput.

JAm ab Augusti sæculo, teste Strabone, & Paterculo, Longobardi Germana feritate ferociores, è Scandinaviâ in Germaniæ continentem ansmiserunt; sic dicti ut quibusdam placet, uod barbis & capillis essent longioribus, simiérque Vinnuli, quod Vinnus teste Isidoro cinnnum molliter flexum significet. Inter Albam Suevum amnes ad usque Germanicum mare tebat eorum regio, quam posteà obtinuerunt uces Obotritorum, à quibus Meckelburgenses tum repetunt suum. Nihilominus Comites u tantùm fuisse constat, partim sub Ducatu Saniæ, partim sub Pomeraniâ comprehensos. nno primum 1346. Ducatus insignia, & titus à Carolo IV. Imperatore acceperunt. Nunc eo sunt urbes ad mare Rostoch, Vismar, Luck. Rostochium urbs Hanseatica duplex, nova vetus, in qua Duces Meckelburgenses Acadeiam fundarunt, anno 1415. Alluitur amne Vav, sicut & Gustravv, Wandaliæ præcipua civi in qua Dux sedet. Arx Warnemund in ipso tio Vannonij extructa est. Wismaria urbs in u maris interiori, ex ruinis Meckelburgi Vanlorum Metropolis anno 1240. condita est, ut tiunt aliqui; nam alij dicunt Megalopolim

fuiſſe tantùm grandem villam productam i
longum ad duo milliaria Germanica, tribus arc
bus inſignem in utroque ſcilicet extremo, &
medio firmatam.

Lubeca à Godſchalcho Principe Obotritoru
condita anno 1040. mari quondam potentiſſin
civitas, etiamnum Suedicis, Moſcoviticiſq
commerciis celebratur: Travenam inter & W
gniſſam flumina ſitum habet. Imperialium civ
tatum jure donata eſt anno 1182. ab Imperato
Friderico, & caput Hanſeaticæ ſocietatis conſt
tuta, cujus conventus ut plurimum ibidem hab
tur: præcelſis eminet turribus, quæ plumbo & e
tectæ apicibus micant aureis. Aqua molæ duct
in editam turrim transfunditur, & exinde per ſ
phones in privatas civium domos miro deriva
tur artificio: Eſt porro Hanſa, vel dictio Gothic
conventum ſonans, vel Teutonica, quę immun
tem ſignificat, à qua urbes dictæ hanſeaticæ, nu
mero 64. cum totidem fœderatis, quæ ſocieta
præcipuè inierunt ad conſervanda Privilegia va
riis à Principibus conceſſa, quos aliquando ſu
armis & claſſibus non mediocriter adjuverun
Fœderis illis urbes in Provincias quatuor divi
duntur, Lubecorum, Dantiſcorum, Brunſvicor
& Coloniæ: Old oppidum quatuor leucis Lub
ca diſtat, & Hamburgo ſex. Eo Lubeca cimbis ve
huntur merces, indeque Hamburgum curru. I
Travenam influit Wakeintz fluuius, ad quen
jacent Ratzbur ſedes Ducis Saxoniæ Lauenbur
genſis in arce utcumq; munita. Travemunda op
pidulum eſt in oſtio Tranenæ, ubi tormenta ali
quo

quot in cavea, quæ respicit mare, abest Lubecâ milliaria duo. Travenam Ptolemæus vocat Chausum.

Cap. XIII.

Chersonesus Cimbrica.

A Cimbris incolis, qui continenti duodecim annorum bello Romanos oppugnaverunt, omen tulit. Hi, teste Plutarcho domo egressi, nō no, neque perpetuo impetu, verùm singulis anis, semper porrò progrediētes, sub ver arma cirunferendo totā penè Europam peragrarunt. Exltabant in prælio, lamētabantur in morbo, quod acie gloriosam, turpem in lecto mortem opperent. Ipso adhuc anno 1404. Paagvviskiæ mueri renunciatū in bello filios ejus octo cecidis-, salvum redire maritum; nō priùs eum admit-t, quàm vulneratum quoque certo cognoscit.

Atrū caput bubulum in solo croceo, in signis abuisse Cimbros, refert Plutarchus. Inter Geranicum & Balticū mare à flumine Albi extentur, & à gradu 54. ad 58. latitudinis Borealis orrigitur. Tres ipsius partes præcipuas nunc faunt, Holsatiam, Jutiam Meridionalem, seu Dutum Slesvicensem, & Jutiam Borealem Holsae termini sunt Albis fluv. ad Hamburgum, anes Billus, & Trava, ad Lubecam, Balticum are, Silia & Eidora fluvii, & mare Germanicum. imbricæ Chersonesi dorsum Ptolemæus partē nc vocat, ubi & Saxones collocat, qui ab Isthο ad Albim extendebantur, hincq; ad Billium

& Chalusum amnes , unde ab ætate Taciti pe
totam penè Germaniam sensim prorepserunt
Nunc appellatur Nordalbinga, quod sit ad Bore-
am Albis : & alio nomine Holstein , quòd regio
sit nemorosa : hol quippe indigenis sylvam so-
nat. In Ducatum ab Imperatore Frederico III. e
recta est Holsatia , & Christiano I. Regi Dania
datæ in feudum,eâ lege,ut equites 40 & pedite
80. Imperio subministret. Ordinibus verò Pro
vinciæ Christianus concessit , ut quem potissi
mum vellent ex Regum filijs, Ducem sibi elige
rent; anno tamen 1581. mortuo Joanne senior
Duce Holsatiæ, & Christiani secundi fratre, fact
est Flensburgi de hæreditate ejus transactio qu
Holsatiæ pars occidua Regi Daniæ cessit ; par
autem reliqua Adolpho Duci Holsatiæ obvenit
Nulla hîc absque ordinum consensu Principe
bella suscipiunt , neque electis Principibus fide
sacramentum obligant, priusquam ipsi jurati re
ceperint , Nullis se novis exactionibus unquam
graves futuros Nobilium lites bis in anno sena
tus audit, indéque ad Cameram Imperialem de
volvuntur. Singulas nunc partes & præcipuas ur
bes more nostro perlustremus.

De Lubeca jam dixi. Sigeberga arce ornata i
monte sita est. Oitima ex quo colonos ex Hol
landia accepit,cultior est reddita.

Aldenburgum vern. Oldemborg Wagrorum
regulorum,gentis Vandalicæ aliquando sedes &
civitas ad mare portum habuit tutissimum , pri
usquam æstus arenas aggeraret , Episcopos nu
meravit 2. quorum sedes Lubecam translata,e
qu

uo Sclavorum bellis attrita est, vix nunc est, nec
uris clausum oppidum. A continente brevi tra-
ctu separatur Fimbria vern. Femeren, insula pis-
atu & tritico famosa, eleganti municipio quod
urgum appellant, decorata. Ultra progredienti
biicitur Chilonium urbs Holsatiæ, cui nomen
eo in quo sita est cuneo Kiel germanis dicto;
bi & portus capax & opportunus nautis. In ea
lebrantur quotannis Provinciæ comitia, circa
stum sancti Antonij: arx in colle conspicua o-
is Adolphi Holsatiæ Ducis splendidis ædifi-
is ornata. Vix decem hinc minutis abest Ekel-
rtum.

CAP. XIV.

Ducatus Slesvicensis cum reliqua Jutlandia.

AB Isthmo Slesuicensi ad Nipsam & Schod-
burgensem amnes per leucas 18. porrigitur
ucatus Slesuicensis, cui nomen à Slia sive amne
ve maris Baltici sinu, à quo incolæ Ptolemæo
cti Sigulones, vel Slicuones, ipsáque urbs dicta
istorpium tempore Caroli Magni. Hunc Du-
tum Holsatiæ Principes à Regibus Daniæ in
udum accipiunt. Augustissimus est ubi Idara
ivius ab occasu, & Silia ab ortu Isthmum fa-
unt: quem primo Godefridus Rex Daniæ tan-
iam limitem Regni sui contra Carolum Ma-
ium præscidit, postmodum Thira Regina, He-
ldi Regis mater reparavit: Denique Margareta,
ipsa Daniæ Regina muro fossísque sexaginta

pedes latis & altis firmavit, vulgo Danevvierk, id est, Danorum opus nuncupatur. Fuit verò Slesvvyck, potens & celebre emporium, quod per Idaræ fluminis ostium ex Oceano Germanico, merces suas Hellinstadium usque nautæ subvehebant, quæ posteà Slesvicum delatæ per mare Balticum distrahebantur: hanc cum Slavi expugnassent, iterùm eam Valdemarus restituit: additum posteà in australi Ripa Haddebuy, quæ duo olim fuerunt primaria Anglorum oppida, quibus proximum Gottorpium Holsatiæ Ducum habitatione, & structura nobile.

Sequitur Anglia vetus Peninsula illustris ex qua ut ait Beda tempore Theodosij Imperatoris Angli egressi unà cum Saxonibus & Vitis, nomen & linguam in Britannicas Insulas intulerunt & Anglorum fundarunt Imperium. In extremo Fleni sinu, urbs est Flensburgum ubi platea quæ ad 1340. passus excurrit, cui arx imminet in colle suburbano sicut & portui, qui profundus adeò, ut cives ex suis ædibus naves queant mercibus implere & reduces exonerare. Sequuntur Apenroa urbs in historijs Daniæ aliquando celebris. Haderslebia Ptolemæo Harudum, foro, Xenodochio, scholis, & portu celebris, nec non arce Hansburgo.

Schodburgicus amnis margaritis abundans Jutlandiam australem à Boreali disterminat & Coldingam alluit urbem quam Christianus 3. in delicijs habuit, qui & arcem Arnsburgh de integro renovavit, amni pons impositus dictus Broherrit in quo singula boum & equorum capita

qua

uæ ex Cimbrica Cherſoneſo,in Holſatiam trāſ-
unt talerum Imperialem pendunt. Vecla ædium
: platearum elegantia nobilis , poſita eſt ad ſi-
um alterum ejuſdem maris. Eſt & Arhuſium ci-
itas, celebre emporium ob portum,quem pro-
ıontorium Hellenis efficit quod ab arce Regia
aloe ad altiſſimum montem Ellemansberch ad
uo milliaria ſe extēdit,& placidum æquor nau-
s reddit objectu Inſularum,inter quas eſt Sam⁹
er.Samſon piſcatu & venationib⁹ amœniſſima,
arœcias quinque habens. Arhuſio adjacet Scan-
erburgum arx,ſic dicta à pulchritudine loci. Gu-
ulus ſeu Gudius illam perluit amnis piſcium ge-
eribus variis confertiſſimus,quique longo flexu
lures rigat arces regias. Sunt præterea Roranſ-
ruſium & Ebeltoſia urbes litori adſitæ, ſicut &
Grimſtadium æſtuario ſimiliter maris appoſitū.
Ebel oſia oppoſitam habet Inſulam Hielmiā exi-
guam quidē,ſed portu inſignē,nec non ſcaturigi-
ib⁹ aquæ dulcis & edito colle ad vim arcendā.
Hinc ſe varij aperiunt ſinus, quorū celeberrimus
Lymvic⁹,vern.Lymfiord,qui grandiores deducit
naves ad muros Alburgi oppidi,in quod trāſlata
ſt An.1536.ſedes Epiſcopalis,quæ prius fuerat in
cœnobio Borglumenſi; hinc ad occaſum vergens
dilatat ſe, vaſtóq; alveo peninſulas conſtituit, &
nſulas 5. complectitur,quarū maximaMorſingia
n quâ urbs Nicopia & amnis Scarmaa. Ei ad au-
ſtrum proxima eſt Tyrholmia inter quam & cō-
inentem verſus meridiem fretum eſt Otheſund
dictum ab Othône Imperatore qui lanceam in il-
ud; ut terminum Borealis ſuæ expeditionis pro-
ecit.

Ajunt verò in hoc ſinu paratas olim claſſes quæ è Dania,in Britanniam mittebantur, & tantam in eo fuiſſe harengorum copiam, ut in eos ſubinde navigia impingerent & remigi omne conamen eriperent præ multitudine. Exigue nunc Iſthmo ſeparatur ab alio ſinu Oceani Landofd,qui adeò humilis eſt, ut ſpirante vehementius Circio , aut intumeſcente Oceano uterque conjungatur. Urbes ad eum præcipuæ Lemvvick à quâ ſinus dictus Lemvicus. Tiſded,& inſignia aliquot Monaſteria. Miſcentur verò cum eo amnes varij , ab auſtro quidem is qui rigat civitatem Wiburgum Regiis comitiis & ſede Epiſcopali illuſtrem , nec non trium-virorum Senatu,ad quos totius Cherſoneſi crimina deferuntur. Leſoa inſula Viburgenſis capituli juriſdictionem agnoſcit,in ejus litore Jutlandiæ adverſo reperitur ſuccinum. Ex Boreali vero parte eidem ſinui infunditur amnis Rpaa qui Venſiliam perluit caput Nomarchiæ cognominis Diœceſi Alburgenſis , ab ea Vandaliæ populos originem ſui nominis repetere, dicunt viri eruditi. Reliqua ſunt oppidula Sedya , & in noviſſimo angulo faſtigiantis ſe Cherſoneſi Schaga , & ad eam Syrtes periculoſæ quas Bragas appellant : Rupes aliquot viſendæ altitudinis : Hieringium : pagu Borlum in quo celebre olim Monaſterium à Rege Suenone Eſthritio primo conditum, à quo Epiſcopalis ſedes Borglumenſis dicta, quæ deinde translata eſt Alburgum. Arx Selſtrupia. Sequitur Thya ora quæ Lymicum fretum ab Oceano ſejungit,ſic dicta à voce quæ ululatum ſonat, ſive quod inter piſcoſa ſtagna , quæ hîc reperiuntur

44. den

44 densissimæ fuerint sylvæ & ferarum latibula, sive ob maris proximi fremitum. Sunt & qui hinc deducant Theutonum nomen, non vero à Tuiscone Deo. In ea oppidum Thystadium, ubi schola juventutis, & Orumna arx.

Bovensberga Ripensis Diœcesis initium montem ostentat altissimum, sed infamem propter naufragia, scopulos & Syrtes quæ Occidentem versus excurrunt ad 60. mille passus. Flectitur deinceps ora in fretum quod ab Lemviga oppido dicitur etiam Limicum, quod amnem excipit qui Hosterbroam perluit, moxq; superato promontorio de Horn habes Vardam, Ringcopiamque oppida eidem fluento apposita. Sequuntur insulę Phanoa, Mandoa, Rimmęa, Silderæa, Amroma Helgelanda cum peninsula Canglegia & Promontorijs varijs, ad quæ piscatus longè uberrimus. Hic item in maris gremium insinuat se Nibsa amnis, in cujus australi ripa, Ripæ sunt civitas Cymbrorum Phundusiorum caput diœcesis cognominis, in qua turris miræ altitudinis in Lilio monte ab Erico quem Sanctus Ansgarius Christianam pietatem docuit, circa annum 848. extructa: est & castellum munitum quà Oceanum spectat.

In eodem litore per quatuor milliaria Frisij minores Strandfrisij dicti ostendunt sese; Pagi eorum præcipui duo Langehorna & Besteda ager vero, & si hyeme ad instar stagni patiens sit navigationis, æstate tamen aratri capax est, & gleba in salem decoquitur. A Frisia freto brevi separatur Strandia insula piscatu & agricultura nobilis. Frisios proximè sequitur Stusium, cui

jura civitatis contulit Dux Holſatiæ Adolphus & pulchra arce ornavit. Tonninga oſtio propemodum Eidoræ appoſita eſt, ſicut & Lunda, quæ ſtat in oppoſita ripa: ab hac minutis 24. removetur Rendesburgum urbs quam circumfluit Eidora, & ex qua navigationes, in omnes oras inſtituuntur. Pertinet hodie ad Reges Daniæ. Super ei dorã fluviũ, putatur facta tranſactio, inter Carolum Magnum & Hemmingum Danorum Regem. Ultima Jutlandiæ pars Dithmarſia inter Eidoram Oceanum, Albim & Storam excurrens, pecori æquè ac frugibus bona eſt, quà litoribus aut ripis appropinquat; interiora arenæ, paludes, aut ſylvæ occupant; Meldorpium urbs præcipua non longè remota à litore. Hinc flectitur litus ad oppidum Brunsbuttel pertinens ad Regem Daniæ ſitum ad æſtuarium Albis, ſecundùm quod naves iter dirigunt, quòd ripa adverſa puluillis arenæ ſtrata ſit, hîc verò orgijs 7. alta ſit aqua. Tredecim inde minutis ſemotum oſtium Storæ amnis, qui in intima Holſatia ort[9], rivum excipit qui Neomonaſterium rigat, deinde venit ad oppidũ & nobilem Rantzoviorũ domum Bredenbergã, mox piſcoſo & navigabili, alveo cingit Itzehoã oppidum commercijs, quę per Albim exercet, dives. Excipit poſteà Wilſtam amnem, qui nomen dedit civitati Wilſtriæ. Et Crempam, qui oppido Crempe, cujus accolæ Crempermarſi dicti. Trib[9] minutis ab oſtio Storæ habes Lucſtadium à Chriſtiano 4. in Albis crepidine conditum, propugnaculis aliiſq; operibus probe munitum. Eſt & Wedela ad Albim poſitum municipium Lucſtadio & Hamburgo minutis 18. diſtans.

GEO-



GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

PARTIS PRIMÆ. LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Mare Germanicum.

PEr mare Germanicum Authores intelligunt. 1. Non tantùm illud quod Germaniam, sed præterea ipsam quoque Norvagiam alluit, saltem ad insulas Glessarias, seu Electridas hodie Fero, sive Farre, quas Plinius lib. 4. c. 16. ait sparsas per mare Germanicum. 2. Codanum sinum: nam quem Tacitus vocat Germaniæ sinum, Jornandes nominat Germanicum mare. 3. Ptolemæus lib. 2. & 8. Britanniæ litus Orientale Germanico claudit Oceano. Cognoverunt autem Romani hoc mare, primùm sub Augusti Principatu, cùm Tiberij classis ad quadringentesimum milliarium, à Rheno ad flumen Albim circumnavigavit, ut habet Paterculus lib. II. Addit Plinius de eadem loquens navigatione lib. 2. c. 67. Germaniam classe circumvectam ad Cimbrorum promontorium.

Nos Germanicum mare hic dicimus illud

quod ab ultima Chersoneso Cimbrica, aut saltem ab amne Idara, ad ostia Rheni Germaniam alluit, & in quod omnes fluvij Germaniæ, uno excepto Danubio, evolvuntur.

CAP. II.

Germanorum Nomen & Mores.

GErmanorum vocabulum recens, ait Tacitus, à Gallis putatur inventum qui videntes eos, qui transmisso Rheno dixerant se Tungros, esse homines aptos bello, appellarunt Germanos, quod Gerre bellum, & Man virum dicerent. Sub Galatarum nomine comprehendit eos Diodorus lib. 6. Teutonum nomen sibi tota gens ascivit, à cultu numinis apud eos antiquissimi, cui nomen Tuisco, cujus filius *Mannus* perhibetur. Liberos huic plures assignat Tacitus, quorum è nominibus proximi Oceano Ingevones, medij Hermiones, reliqui Istævones dicti. Quare & quando cœperint dici Alemanni, suo dicemus loco. Limites Germaniæ, Ptolemæo & *Melæ*, sunt Rhenus, Alpes, Danubius, Vistula, mare Balticum, & Oceanus Germanicus. Nonnulli idiomate gentis fines illius metiuntur: & Germanos vocant omnes, qui Teutonica lingua utuntur. Krantzius Germaniæ magnæ attribuit quidquid terrarum est inter Tanaim & Rhenum: Cluverius verò Celtis. De Germanorum moribus *Mela*, lib. 3. c. 3. Tacitus in Germania, & alij sic agunt.

Immanes sunt animis atque corporibus & ad insitam

insitam feritatem vastè utraque exercent. *Maximo* frigore nudi agunt antequam puberes sint, & longissima apud eos pueritia est. Hyeme speluncas in quibus degunt operiunt fimo, viri sagis velantur, aut libris arborum, quamvis seva hyeme; sagum autem fibula, aut spina nectunt, barbam radunt omninò, præter labrum superius. Bella cum finitimis gerunt; causas eorum ex libidine accersunt. Jus in viribus habent, adeò ut ne latrocinii quidem pudeat; tantùm hospitibus boni. Victu ita asperi, ut cruda etiam carne vescantur. Terra ipsa multis impedita fluminibus, multis montibus aspera, & magna ex parte sylvis invia, in quibus Hercinia dierum 60. iter occupat. Montium nomina vix est eloqui ore Romano. Amnium præcipui Danubius, Rhenus, Amisius, Visurgis & Albis. Nullas, inquit Tacitus, *Garmanorum* populis urbes habitari satis notum est, ne quidem pati inter se junctas sedes, colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Et alio loco, Carmina unum apud illos memoriæ & annalium genus est. Statim è somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, lauti cibum capiunt. Annuus erat (verba sunt Crantii l. 1. cap. 1. suæ Metropolis) apud quosdam per vices Magistratus, quem verò publicum, deforis bellum illatum, in Magistratu deprehendisset, is durante bello rex appellabatur: cujus imperio parent universi. Bello autem pace mutato regium nomen pariter deponebat. Qui in hanc Barbariem penetret, ut pietatis sensu feras mentes emolliat, reperitur ne-

mo : frustratur spe unus aut alter, qui Romā missus venit Bardevicum, quæ unica apud ipsos urbs florebat, quam evertit Henricus Leo, & ex cujus ruinis non mediocriter crevit Hamburgū. per densissimas sylvas, viam sibi aperuit Caroli Magni gladius, & quos repetis præliis superarat, Christo subjicit; Sanctissimos Viros, Bonifacium, Wihonen, Hildegrinū & Lugderum sufficit, qui gentem Christi luce perfundant; seriò abjectis erroribus vix Christo omnes dederunt nomen, cū depositis rugis, nova Germaniæ facies apparet: nec dum anni 900. effluxerunt, regio tamen est adeò amœna, nitidisque urbibus culta, ut nulli Europæ cedat. Montes in eâ vitiferi sunt, opaca nemora, colles aprici, campi uberes, læta prata, thermæ salubres, nulla viridaria, nullæ consitiones, nulla tempe desiderantur. Omnis Europa à Germano negotiatore argentum habuit, priusq; quam ad Indos navigaretur. Hæc Typographiæ, hæc Calchographiæ, hæc bombardarum & pulveris nitrati inventrix. Hîc bonarum artium florent omnia studia, hîc conservatum Imperii Romani decus, denique hîc ab eo tempore floruerunt semper conspicui omni sanctitate quàm plurimi, antequam teterrimum hæresis virus ipsis impurissimus Apostata Lutherus inhalaret. Videat Tacitus, videat Mela, quàm sæpè bona materia cesset sine artifice. Imò quis Melæ, vel Tacito credat, qui de Germania nihil acceperunt, nisi quæ ipsis sunt renunciata ab infensissimis Germanorum hostibus. Eosne tu barbaros dixeris, quòd statuas deorum haberent

nullas,

nullas,aut pauciſſimas,neq; parietibus deos continerí crederent, ſed in ſecreto lucorum numen placarent Sacerdotes, quibus ſolis tanquam juſtitiæ Dei adminiſtris licebat unumquemque vincire,aut verberare. Qui penitus eos cognoverunt,& quæ oculis cernerent,ſcriptis mandarunt, continentiam in adoleſcentibus, generoſum animum in viris, & eximiam politiam in eorum modo agendi vehementer ſunt admirati. Ante 20. annum nullus erat fœminarum uſus. Si virgo in domo paterna vicium feciſſet, aut juncta viro, adultera, deprehendebatur, eam manu propriâ ſtrangulatam cremabant, aut ſciſſis veſtibus ad cingulum,flagellis egregriè excipiebant caſtæ matronæ, & de villa in villam miſſæ occurrebant novæ flagellantes, donec interimerent. Unâ uxore vivebant contenti; maritus uxori,non uxor marito dicebat dotem.Eldingi, hoc eſt,nobiles,creabant Reges,aliquando ex eadem ſtirpe, puta Quadi Tudros, & Marcomanni Maroboduos: aliàs nulla ſtirpis habita ratione eum ſibi præficiebant, qui rempublicam exemplo potiùs,quàm Imperio regeret, nunquam tamen quidlibet agendi liberam faciebant poteſtatem ei, quem ſcutis impoſitum & humeris ſublevatum ad ſummam evehebant dignitatem. Transfugas & Proditores faciebant penſiles ex infelici arbore, imbelles & infames cęno mergebant,homicidium,& leves culpas armentis,aut pecoribus puniebant.Certè dum hæc cogito ab autoribus fide digniſſimis relata non video,quare alii multa de ipſis tam indigna ſcripſerint,

pſerint, niſi quia in toto orbe gens extitit omninò nulla, quæ conſtantius Romanos de ſuis finibus expulerit, nulla quæ Romano Imperio majora intulerit detrimenta.

Cap. III.

De Germanorum lingua.

CErtum 1. ex Julio Cæſare initio belli Gallici & Amniano l 15, ante Romanorum adventum in has partes, Germanos lingua uſos Teutonica, quam & invexerunt in Galliam Belgicam, quando tranſmiſſo Rheno partes occuparunt Galliæ Rheno Moſæ & Moſellæ proximas, quæ poſtea ab autoribus reperitur dicta lingua Trevirica, Moguntina, & Teutonofrancica.

Certum 2. ex quo Moguntiæ aliiſque in locis Romani caſtra habuerunt, uſum fuiſſe duarum linguarum, Romanæ ſcilicet, & Germanicæ; quam veteres Theotiſcam appellant, ut conſtat ex Rabano in Moguntino Concilio cap. 2. Flodoardo, & Nithardo hiſt. l. 3. ubi refert Lodhuuicum Romana, Carolum Theudiſca lingua juraſſe.

Certum 3. ex Trithemio Carolum Magnum barbariem Theutonicæ linguæ primum ad regulas Grammaticæ reduxiſſe.

Certum 4. Ex quo Imperium Romanum hîc deſiit, perpolitam in dies Germanam linguam, & antiqua Germanorum diplomata accedere propius ad linguam, qua Saxones Veſphali & Belgæ utuntur, quàm ad hodiernæ Germanicæ puritatem. 5.

tem.5.Librum Evangeliorum,qui Frisingę asservatur,scriptum ante 640. annos pene antiquissimum esse codicem, qui reperiatur lingua scriptus Theodisca sive Francica. Imò contendit Joannes Vadian* sero admodum cœptum esse, lingua Germanica scribi, nec ante annum 1291. facilè esse reperire quidquam proditum memoriæ aliis literis,quàm in Latinis.

Cap. IV.

De Germanorum Imperio.

GErmanico Imperio secunda, regni Gallici familia in Carolo Magno initium dedit. Magnus haud dubiè,qui Germaniam, totamque fermè Italiam aperto Marte,Gallicæ dominatio-ni subjecerat. Sedebat eo tempore in Cathedrâ Principe Apostolicâ Leo III. qui per nefariam perditorum hominum factionem, oculis & linguâ mutilatus est: ac, quamvis grandi miraculo neque minore beneficio Dominus oculos atque linguam Vicario suo reddidisset, nihilominus atrocitate sceleris permotus Carolus ad justam ultionem exarsit,& Romam festinavit. Annus erat salutis nostræ octingentesimus, quando Pontifex ipso Natalis Dominici die ad Carolum nec opinantem accedens capiti ejus coronam imposuit, & Romanum Imperatorem salutavit. Quâ munificētiâ,quibus obsequiis Apostolicam sedem Imperator prosecutus fuerit, non est nunc narrandi locus. Ad annum usque 911. stetit in Germaniâ Caroli posteritas, nempe donec Ludovi-

dovici morte deficeret. Exinde Germaniam regni titulo obtinuerunt Conradus I. postea Henricus Auceps Dux Saxoniæ III. filius ejus Otho, qui de Hungariâ aliisque nationibus finitimis complures victorias reportavit, iisque tanquam gradibus ad majora aspiravit. Nam Imperii ergò Romam profectus, secundo atque sexagesimo supra nongentesimum anno à Joanne XII. Summo Pontif. Imperator coronatus est, Carolo planè dissimilis, si animum erga sedem Apostolicam spectes. Anno quippe sequenti Joannem Pont. de gradu dejecit, & Benedictum Joannis successorem pari affectum injuria, post insignem cladem Romanis illatam, in Germaniam secum deportavit. Hujus nepos Otho III. ne ad Italos à Germanis Imperium transferretur veritus, edixit, ut Imperatoris eligendi jus penes Germanos Principes hæreret, atque Imperatoriam constitutionem uti Apostolica autoritate sanciret à Gregorio V. consobrino suo impetravit. Utrum autem numero septem jam tum designati sint, haud satis constant. Othone sine liberis defuncto, Henric⁹ Bavarus anno 1002. Imperii insignia suscepit, cui & varii successores dati sunt usque ad annum 1257. quando distractis Germanorũ Principum studiis, Alphonsum alii Castelli Regem Astronomicis disciplinis clarum, alii Cornubiæ Principem Richardum Regis Angliæ fratrẽ Romanorum Regem appellarunt. Ac prior quidẽ veluti solo Imperii titulo contentus pedem ex Hispania non movit. Alter Francofurtum advolans, ibidemque regnum auspicatus, brevi per ef-

fusos

ſuſos ſumptus opibus exhauſtis, in conceptum venit, atque in Angliam remeare compulſus eſt. Diutinum poſtea interregnum Gregorius X. indictis comitiis tolli curavit. Tum verò juſtitiâ, pietate, ac bellicis artibus nobilis Rodolphus Touſtain Hasburgenſis Comes in Helvetia ad lacum Lucernenſem, qui & Alſatiæ Comes dicitur, ad Imperium electus eſt anno 1273. Dum imperaret, Auſtriorum familia extincta eſt, nulloque remanente ex eâ ſuperſtite, Rodolphus Ducatu Auſtriæ Albertum filium ſuum impertivit, qui Romanorum Rex ſalutatus anno 1291. parenti in Imperium ſucceſſit. Per varias deinceps familias Imperium ambulavit uſque ad annum Chriſti 1438. quo alius item Albertus Auſtriæ Dux Imperium electione, regnaque Bohemiæ & Hungariæ, Sigiſmundi ſoceri ſui morte obtinuit. Ab eo, ad hæc uſque tempora noſtra, penes Auſtrios hæſit Imperium, & ex alia quam Auſtriacâ familiâ in Imperatorem electus eſt nemo. Et ſi verò bullæ aureæ fides viris gravibus ſuſpecta ſit, certum tamen ex antiquo poteſtatem eligendi Imperatoris ad Septem-viros contractam, videlicet Moguntinum, Colonienſem, & Trevirenſem Epiſcopos; Comitem Palatinum, (in cujus locum ſuffectus eſt modò Dux Bavariæ) Ducem Saxoniæ & Brandeburgicũ Marchionem, atque his additum Bohemiæ Regem, cui locus eſt, ſi accidat ut Septem-viri in ferendâ ſententiâ paribus ſuffragiis inter ſe diſſideant, cum tamen tertium in dicendâ ſententiâ locum Au-

rea bulla attribuat, quod nunquam, ut ajunt, fuit observatum.

Imperium in tria membra dividitur. 1. est Electorum. 2. Principum Ecclesiasticorum & secularium. 3. Civitates liberæ constituunt, quæ sunt hodie 60. Eâ verò ratione potest videri Respublica, quòd quamvis Imperator primum, dein reliqui Principes, ac postremò civitates liberæ, suas quæq; ditiones, jura, consuetudines & subditos, in quos jus vitę & necis est, habeant, tamen quia omnes imperio subditi sunt, & ipse Cæsar legibus est obnoxius, universi Resp. speciem exhibent. Insuper omnis Germania anno 1512. in circulos decem tributa est, & in singulis concilia cōmunia instituta, quæ nullam verè jurisdictionem habent: sed deliberationem duntaxat de iis exequendis, quæ ab Imperii Senatu decreta sunt; ut de re bellicâ ordinandâ, de auxiliis armatâ manu expediendis.

Ad graviores causas inter principes & civitates decidendas, ordinata est Spiræ Camera, quæ constat viris 41. cum à Cæsare & Septemviris, tum à singulis circulis nominatis, quibus Cæsar præsidem præficit. Imperatoris jura sunt maxima: nam per se solus nominat in beneficiis Imperii, quos voluerit; potest creare in Principes Imperii, quos voluerit, conferre investituram feudorum, uibes condere, & privilegia eis concedere, Academias instituere, cursus publicos decernere, & vitam reis largiri. § Cum autem de pace, bello, tributis, fœderibus, sociis, legumlatione, abrogatione, interpretatione & monetâ agitur, de iis in Ordinum comitiis (diætas vocant) decernitur.

CAP.

Cap. V.

Albis fluvius: cujus olim accolæ Boii, Marcomanni, Semnones, Langobardi, Rendigni, Caviones, Angli, Hermunduri, Catti, Cherusci, Chauci.

ALbis, Bohemis La*be* quod XI. significat, vel quod oriatur à fontibus XI. vel quod præcipui in eum fluvii XI. influant: Oritur in lat: g. 50. m. 45. ex Ribenzal montibus Silesiæ, & valle *Teuffels grund*, hoc est, valle dæmonis in Sylva Bohemica. Abundat salmonibus, & arenas voluit quasdam ex auro purissimo. Celeberrimas olim antiquæ Germaniæ alluebat civitates & gentes Boiorum & Marcomannorum, dexterámque ejus ripam accolebant Semnones, Langobardi, Rendigni, Caviones, & Angli: Lævam Hermunduri, Catti, Cherusci, & inter Saxones & Chaucos evolvebatur in Oceanum Germanicum ore grandi, in lat. g. 54. m. 35. Leucis Germanicis 120. à fonte.

Terram Boiohæmicam qui primum incoluerint, nascitur. Prisco Tarquinio regnante Romæ, *a* cum Gallia esset adeò fertilis hominum, ut vix regi posse videretur, Boii Gallica gens, duce Sigoveso incinctos Hercyniæ campos, armis obtinuit, inde manet in hanc diem Boiemi nomen, quamvis mutatis cultoribus. Enimvero Marobodus, genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis quàm ratione barbarus, cum vixisset Romæ, beneficiis ab Augusto affectus,

affectus, rediit in patriam, & Marcomannos populares suos, tunc sitos in dextera ripa Rheni, nec non proximos Sedusios in Boiohæmum deduxit, ubi pulsis Boiis, tutum sibi regnum constituit, finitimos omnes, aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit, & Marobudum regiam sibi constituit, in qua procul à Romanorum potentia securus esset.

A Boiohæmo secundum Albim usque ad Salæ confluentem, centum pagis habitarunt *b* Semnones, quibus contermini fuerunt Langobardi, gens omni feritate Germana ferocior, quàm paucitas nobilitavit: nam etsi nationibus valentissimis esset cincta, tamen non per obsequium, sed præliis & periclitando semper fuit tuta. Horum nunc finibus continentur Marchia Brandoburgensis media, & Madoburgensis Episcopatus pars.

Reliquum spatium ad mare cum Suevicum tum Germanicum, septem tenuere nationes, parvulæ singulæ, sed in universum valentes, fluminibus & sylvis munitæ, quæ dum terram matrem colebant in commune, non bella gerebant, sed clausum erat omne ferrum, paxque & quies tum tantùm ipsis nota. Hoc autem erant ordine positæ: secundum Albim Rendigni, ubi Marchiæ pars, in qua Havelberg. Caviones ubi nunc pars alia Marchiæ Darmin & Mechelburgensis Ducatus. Angli verò ubi Luneburgensis ducatus pars, & Mechelburgensis pars occidua.

Lævam Albis partem obtinuit Hermundurorum ampla civitas, porrecta à Boiohemo secundum

cundùm Albim ad Salæ confluentem, hincque ad Danubium, quo omni ſpatio nunc continetur Voytlandia tota, Ducatus Saxoniæ pars inter Albim & Salam. Anhaldini Principatus pars, Brandeburgienſis Marchioatus pars, Franconiæ pars, in qua Bamberg & Forchain, & portio Sueviæ ubi Dinchelſpuel & Nordlingen.

Hermunduros excipiebant Catti, quorum finibus aſſignatis à Majoribus nunc continentur Thuringia & Haſſia totæ, Grumbbenhagenſis Ducatus, Epiſcopatus Paderbornenſis dimidia pars Viſurgi adfixa, Abbatia Fuldenſis, Franconiæ, Coburgienſiſq; Ducatuum, portiones. Narrat Tacitus inter Cattos & Hermunduros, cum ſinguli flumen Salam gignendo ſale fecundum, & ſibi conterminum vindicarent, magno decertatum prælio.

Cattis ſuccedebant Cheruſci, gens magna & Arminio duce inclyta, quorum finibus nunc continentur totus Epiſcopatus Ferdenſis, Luneburgenſis, ac Brunevicenſis Ducatus. Epiſcopatus Hidelshemienſis, Magdeburgienſis Epiſcopatus pars cis Albim, Marchia antiqua, Danneburgienſis comitatus, Lauiburgienſis portio cis Albim.

Denique ad ipſum oſtium Albis erant Cauchi, qui hinc ad amnem Amiſiam ſecundum litus maris habitabant, majores quidem inter Amiſiam & Viſurgim, minores à Viſurgi ad Albim. Plinius Cauchos nominat gẽtem miſeram, quod pro domibus caſas tantùm componerent in tumulis, quos erigebant ad experimentũ altitiſſimi

æſtus

æstus maris, unde fugientes cum mari pisces circa tuguria venabantur. Magis tamen assentior Tacito, qui populum hunc inter Germanos nobilissimum vocat, quod quietus secretúsque viveret, nulla provocaret bella, justitia tueretur sua nō cupiditate & impotentia, licet prompta omnibus essent arma, quando res poscebat. Eorum nunc regionibus comprehenduntur Episcopatus Bremensis, Frisia Orientalis, Comitatus quatuor, in quibus Oldeburgiensis, & Episcopatus Mindensis pars borealis.

Porrò urbes nunc Albis salutat circiter 30. quarum aliquæ censentur inter præcipuas Germaniæ. Provincias verò suis, vel influentibus in se aquis alluit, regnum quod nunc dicimus Bohemiæ, Misniam, Saxoniam, Turingiam, Mansfeldiam, Magdeburgensem Diœcesim, Marchiam Brandeburgicam, Lauenburgensem, Luneburgensem & Holsatiam Ducatus.

a *Livius Strab. l.* 7. *Patercul. l.* 1. b *Strab. l.*7.

Cap. VI.
Bohemia Regnum.

In medio Germaniæ eminet Bohemia, non secus ac munimentum aliquod vel amphitheatrum, altis rupibus, & Sylvis cinctum in orbem, cujus diameter iter habet trium dierum. Boii, ut dixi, hinc Germanos pepulerunt, & nomen regioni dedere. Bojos ejecerunt Marcomanni, hos Slavi, quorum est adhuc idioma in usu; principio regebantur à Ducibus, qui ductu Ludovici Pii Christo nomen dederunt. Vratislaus postea

circa

circa annum Christi 1086. Moguntiæ ab Henrico IV. Imperatore, Rex creatus est, ejusque ditioni Lusatia, Silesia, Moravia aliæque regiones accesserunt. At Sigismundo Imperatore, qui Bohemiæ atque Hungariæ Rex erat, absque liberis defuncto circa an. 1437. extinctâque in eo stirpe regia, ad Albertum Austriæ Ducem omnia translata sunt. Regio abundat pecore, piscibus & populo. Numerantur in ea urbes 30. plures regiæ ditioni proximè subjacentes: reliquas sibi primates vindicant, pleræque omnes appositæ fluviis, Multaviæ, Ægræ & Albi. Multavia vern. Ultava ex Carpato monte ortus, oppida rigat Cromelavv, ubi argenti fodina in lat. 48. 50. sicut & in Budvvitz urbe ampla & munita: augetur deinde amne, qui præterfluit Thabor urbem ex ruinis Hanschæ conditum loco difficili & munito in lat. 49. 22. admittit postea amnem Misam, cujus ripæ assidet Pilsen urbs, quæ secundum locum tenet in regno, cujus latit. 49. 42. hinc abit Pragam, ubi in lat. 50. 6. ponte sternitur 872. cubitorum, hæc non una, sed triplex urbs est, Regni caput, Palatio magnifico, hortis cultissimis, Archiepiscopatu, turri prætoria ejusque horologio, cui vix par reperies in toto orbe, insignis, quindecim verò infrà Pragam minutis conjungitur Albi, qui mox etiam recipit Egram amnem piscosum & navigabilem, cujus origo in Nariscorum ora in monte Pinifero, vernac. Fichtelberg, qui intrà spatium duorum mille passuum amnes inclitos Egram, Mœnum, Salam & Nabum in

quatuor orbis cardines fundit. Egra urben rigat ejusdem secum nominis dictum vern Cheb operibus, arce, armamentario & frumentariis ædibus instructam, cujus Senatus consta centumviris, quæ monetam cudit propriam. Ar cibus imperabat 12. & plurimis pagis, priusquàn Sueci eam occuparent: apponuntur eidem flu vio Elnbogen urbs, natura loci munita & Satz, quam occupavit Saxo, & munivit aggeri bus & milite.

Secundùm Albim sunt Konigingretz oppi dum in g.50. m.7. natura & arte munitum. Par dubitz, in gr, 50. cujus gladij & enses magno u bique sunt in precio-Kutembergium. g.49. m.5 argenti-fodinis dives. Brandeis, g.50. m.12. urb exigua, sed nominata propter arcem & venatio nes regias. Ad montem S. Georgij Albis Mul taviam excipit, & post minuta 14. Egram. Lito merium vern. Leutmeritz, g. 50. m. 25 vinet habet. Hinc ad oppidulum Ausig. g. 50. m. 3 montium angustiæ sunt, inter quas tamen ferun tur facile naves, quæ fructus Dresdam deferun Teutsche oppidulum, 50. m. 45 limes est re gni & finis montium in quibus feræ sunt varij ge neris & Bubali, quos ipsi Lomos vocant, quibu larga est infra mandibulam vesica aquæ plena quâ dum insequentes respergit, quidquid ea tangitur, adurit.

Cap

CAP. VII.

Misnia.

ÆNeas Sylvius in historia Bohemiæ, inter fluvios, qui se in Multaniam exonerant, nomiiat Saxoniam, Lusuntium, & Misam. Hinc conicio inter Marcomannos & alias gentes, quæ unctis copiis Bejos è Bojohæmo expulerunt, uisse geminos Saxones, qui nomen dederunt ium amni Saxonæ, quem incolendum à Maroudo acceperunt. Quando autem Vandali seu clavi, Marcomannos inde ejecerunt, singulas ētes nomina fluviorum secum extulisse. Hinc os qui ejecti proximam Silesiæ partem obtinueınt, quæ nunc dicitur Lusatia, dictos Lusatos. Qui Misam ad proxima transeuntes, appellatos lisnenses. Qui denique ad Saxonam paulò ultra ogressi. Saxones vocatos. Quomodo autem ec gens posteà Vandalos ex omni pene Germaa ejecerit, & implacabili odio eos prosecuta sit, de Krantzium, cùm in Saxonia, tùm in Vandai, qui hujus etiam conjecturæ mihi Auctor fuit sua Præfatione.

Marchionatus Misniæ, Ducatui Saxoniæ, nunc situs extenditur inter Salam & Albim, ab anguis montium, & ultimo Bohemiæ oppido Anssio m ad Albim, in lat. g. 50. m. 36. ad Strellam 1. Electoralis Saxoniæ urbem. *Primaria* olim itas fuit Misna, 51 9. ab Henrico Aucupe cona anno 930. contra Hungaros. Nunc Dres- 51. 6. Pentagonâ arce munitâ. Ducum

sedes est, sit licet aër vix ferēdus, maximè qui ducitur ex Joachimia valle, & montibus Sudetis in finibus Bohemiæ, ubi primùm cusi Joachim-Sthal, seu argentei illicrassiores, qui Thaleres quasi Vallenses, ac deinde barbarè Thaleri dicti sunt. Lipsia 51. 22. ad confluentem amnium Elster & Pleissæ, emporium Misniæ ditissimum, ternas per singulos annos nundinas habet celebres. Translatum quoque ob Hussitas Hæreticos Pragâ Bohemiæ, Academiam retinet ab anno 1408. quo tempore discipuli usque ad duo millia Lipsiam Magistros secuti sunt. Ad hanc urbem anno 1631. cum Rege Sueciæ & Duce Saxoniæ infeliciter pugnatum à Tillio. Dehinc mense Novembr. anno 1632. biduò totis Germaniæ viribus confligitur ad oppidum Lutzen, distans Lipsia 3. leucis, quo in prælio Gustavus Rex Suecus occubuit, nec longè posteà generosus Papenhennius: Est præterea in Misnico agro Ducatus Voithlandiæ, seu terræ Advocatorum, quæ olim quatuor Imperii Prætoribus parebat. Civitates in ea præcipuæ Hoff 50. 25. ad Salam, urbs ampla & frequens ditissimis Xenodochiis & Monialium cœnobio conspicua. Zuicau item urbs ampla ad Muldam, g. 50. m. 40 & arte munita, ubi Saxoniæ Ducis armamentarium. Ad tertium lapidem à Zuiccavia eminet mons Colberg. i. Carbonarius, ex quo effoditur lapis ater & levis in usum foci, accensis etiam olim horum carbonum fodinis ajunt montem sic arsisse, ut Zuiccaviæ ingentem terrorem incuteret, hodieq; fumare cōspicitur. Est præterea in Voitlandia Principatus

Snebergensis, ab oppido arceque Sneberg, gr. 50. m. 35. ad Moloam cognominatus, cui conjunctus est Comitatus Hennebergensis. Aldemburgum Ducum sedes. Ex quo autem familia Comitum Hennebergensium fatis concessit, Saxoniæ Duces caducas ipsorum possessiones adepti sunt.

Cap. VIII.

Saxonia.

SAxoniæ nominis etymon reliquit obscurum vetustas. Ejus fines aliquando à Rheno ad Albim, indeque secundùm mare Balticum latè protendebatur, nunc præter Electoratum, qui utramque Albis ripam circumstat, possidet Dux etiam Marchionatum Misniæ cum Voitlandiâ, & parte Comitatus Henneberg, Landgraviatum Turingiæ, Lusatiam & Magdeburgensem atque Halberstadensem Episcopatus. Saxonici Principes à Witichindo Saxonum Rege, qui cum Carolo Magno acerrima bella gessit, creduntur orti. Ex hac præclarâ familiâ orti Cæsares Henricus Auceps, Otho I. II. & III. Henricus item II. Urbes præcipuæ Mulberg 51. 17. celebris ob prælium ad eam commissum anno 1547. in quo à Carolo V. profligata Hæreticorum 60. millia, captique rebellium Antesignani Fridericus Elector Saxoniæ, Philippus Landgravius Hassiæ & Wirtembergensis Dux, Torga Ptol. Argelia 51. 35. urbs elegans & munita Wittemberga 51. 52. Electorat⁹ Metropolis, firma & ornata, ubi Academiam instituerat Fridericus anno 1502. in qua

Lutherus hæreſeos virus omne ſuum effudit. Luſatia Sileſiam inter & Saxoniam ſex urbibus clara eſt, ſcilicet Bautzen 51. 10. ad fl. Spre, Gorlitz 52.12. ad Neiſſum qui in Oderam abit, Sitavv, Kamitz, Luben, Guben, quarum tres primæ ſunt alicujus nominis,

Cap. IX.

Anhaltia.

ANhaltini Principes ex gente Aſcaniâ antiquiſſimi ſunt ſtemmatis Electoratus Saxonicum & Brandeburgenſem diu poſſederunt. Regio nomen accepit ab arce Anhalt, quæ diſtat Mansfeldia leuca cum dimidia ad Boream. Huic ſubſunt duo comitatus Barbi 52. 8. & Aſcaniæ, vix mediâ leucâ ab Aſcbersleben, ad amnem Eine, in Herciniæ jugo: & Baronatus Bernebourg, ad confluentem Wipper: & Deſſau 51.55. ad confluentem Muldæ in Albim, ubi Princeps reſidet. Regio eſt frugum uberrima, & ex eâ copioſum in exteras regiones frumentum affertur.

Cap. X.

Mansfeldia.

COmitatus eſt ſuperioris Saxoniæ, inter Salam amnem & Viperum inſertus, ab oppido *Mansfeld* denominatus, quod ad Wiperum amnem ſitum eſt in lat. 51. 38. Urbs tamen præcipua eſt Islebium ad rivum Saleza, qui in lacum Suſſe, indé-

indéque in Salam influit. Situ eſt ſalubri & optimo, eruuntur varijs locis metalla & ardeſiæ. In medijs lapidibus effigies reperiuntur anguillarum, carpionum, gallinaceorum, Pontificiis triplici diademate coronati, aliæque omnis generis ramentis, & lineamentis aurei coloris ita fictæ, ut primo intuitu dignoſcas. Islebij anno 1546. Lutherus Hæreſiarcha mortuus repertus eſt, cùm veſpere benè potus ac hilaris in lecto decubuiſſet. Heldrung caſtrum ad rivum Unſtrund ſitum in lat. 51. 15. Comitum Mansfeld, & de Heldrung ibidem eſt ſedes.

Cap. XI.

Turingia.

TUringia montibus undique circumfuſa regio, intus plana, Salam inter & Viſurgim ſi-
a, in agro fertili adeò ut propterea ſumē Germa-
iæ dicarur. Et verò 12. milliariorum ſpatio fue-
unt aliquando in eâ Comitatus 12. Abbatiæ 12.
ivitates 144, oppidula totidem, bis mille pagi,
50. arces, quibus Reges imperabant dictiSorabi,
ui à Francorum regibus deleti ſunt, circa an-
um Chriſti 524. factuſque poſtea Landgravia-
us qui hinc etiam abiit in Haſſiam. Nunc pa-
et Saxoni; caput Nauburg, g. 51. m. 12. ad Sa-
am, ubi Schola nobilium & nundinæ celebres
uotannis iterantur. Sala verò excipit am-
em Unſtrut, cui appoſita eſt Mulhauſen 51.
rbs Imperialis; in qua ejus Provinciæ judicia

exercentur. Amnis denique Unſtrut Geram admittit. Saltza urbs celebris ob Salinas. Vimatia urbs amœna, Principum è domo Saxonica ſedes, gr. 51. m. 8. cui etiam paret Jena, ſcholis publicis & circumpoſitis vinetis clara 51. Iſenacum Landgraviorum Turingiæ, nunc Ducum ejusdem nominis ſedes 51. ad Neſſam fl. gaudet Academiâ. Eſt præterea Ducatus Coburgenſis, cujus caput Coburgium, arx egregia, & Ducum domicilium urbem exornant gr. 50. m. 20. Ilmenav oppidum ſatis cultum, ceruleis tegulis tectum ad fontes Gera, qui poſtea rigat plateas Erfordiæ, quæ urbs eſt ex maximis Germaniæ, & Metropolis Turingiæ. In templo D. Mariæ campana eſt tota Germania celebris. Univerſitatem habet à D. goberto Rege Francorum fundatam. Ager herbæ fullonum, quæ Sandix & Saporaria dicitur, feraciſſima eſt.

CAP. XII.

Magdeburgum, & Halberſtadium.

MAgdeburgum Parthenopolis olim dictum eſt à Venere hîc cum tribus Gratiis ſtante in curru, ex quo Imperator Carolus eam deturbavit. Nunc eſt civitas Imperialis in l. 52. 18. cujus Archiepiſcopus Germaniæ Primas, *a* eſſet, niſi huic dignitati reclamarent Saltzburgenſis aliique Archiepiſcopi Electores. Urbibus dominatur 28. Jus civile Rom. abbreviatum Saxonicâ linguâ conſcriptum, & Caroli Magni autoritate

fuma-

firmatum, aſſervari ajunt Magdeburgi, ſicut & Vexillum S. Mauritii, & unam ex ſex hydriis, in quibus vinum ex aqua factum à Salvatore: materia marmorea eſt & pellucida, vini capax quantum equus ferre poteſt. Altera, ſed minor Hildemii; tertia Coloniæ Agrippinæ. 4. Andegavi ſervari dicitur. Magdeburgi anno 1560. promulgatæ ſunt mendaciſſimæ centuriæ Miniſtrorum Magdeburgenſium, quorum fuit Princeps Matthias Flaccus Illyricus. Hanc urbem Tillius Catholicarum partium Dux, ſummâ vi perrupit anno 1630. incenditque Maji nono conſequentis anni 1531. Halberſtadium, g. 52. m. 8. cenſetur inter antiquiſſimos Germaniæ Epiſcopatus, à Carolo Magno inſtitutus Salingſtadii, quod nunc vocant Oſtervvyck, vicum ad Iſlam fl. in Halberſtadium poſtea translatus: cujus Paroecia fuit Magdeburgum, donec Otto Magnus celebrem ex oppidulo urbem fecit, deditque loco Archiepiſcopum, anno 930. cujus juriſdictioni multa attribuit, quæ Halberſtadio detraxit. Alii Imperatores etiam Burggraviatum ibidem erexerunt. Eminet in colle Eccleſia cum domibus Canonicorum; ſuburbia jaceat imâ valle. Ager circumpoſitus adeò ferax, ut ſegetes hominis equo inſidentis altitudinem ſuperent. Urbem perlabitur Oltemia fluvius.

a *vide Crantzium, & Magnum Chronicum.*

Cap. XIII.
Marchia Brandeburgica.

Gallicum nomen putant à Marcha, i. limit & finibus regni desumptum, ut constat e Chronico Ludovici Pij. Et verò adhuc March dicitur hæc, de qua agimus, regio circa Albim Oderam & Havalim fluvios extensa, in limitibu Germaniæ, cujus Princeps ab Ottone I. Cæsar in Marchionem, qui dictus est Brandeburgicus fuit consecratus. Certè Marchionum Germania censetur antiquissimus, éstque unus ex Septemviris Electoribus. Hanc ditionem in Concilio Constantiensi anno 1418. Sigismundus Rex, Friderico Burgravio Norimbergensi dono dedit, hodieque ejus hæredes ei præsunt. Sicut & parti Voigtlandiæ Prussiæ Ducali, Ducatui Crossensi, Comitatibus Marchensi & Ravenspurgensi, & parti Clivensi, Ducatus de quibus vel egimus, vel suis locis agemus. Regio 60. mil. Germ. patet, ob sylvas & lacus locis multis invia; ab oppido Brandeburgio nomen habet. Dividitur in novam, cujus caput Francofurtum, de qua jam diximus in Odera, & veterem, cujus urbes sitæ ad ripam Albis & Havalis. Ad Albim sunt Tangermunda 52. 40. Caroli IV. Imperatoris sedes, ideoque ampla urbs & magnifica. Arneburgum oppidum arce munitum Verbem 52. 50. urbs ad confluentem Havalis in Albim sita, ubi Gustavus Sueciæ Rex post reportatam de Tillio victoriam, munitionem excitavit quadratam. Secundum Havalim reperiuntur urbes, Havelberg urbs exigua

exigua 53. sed firma propter montem in quo sita est. Non longè ab ea Tillius Regem Daniæ collatis signis superavit. Brandeburgum totius regionis Tribunal Berlinum 52.54. & Colonia duo oppida à Suevo vern. Spree fluvio ab invicem separata, Berlin arx est nobilis & munita, principis sedes 52. 36. Spandavium 52. 40. arte & naturâ loci munitissimum ob paludes, & stagnum ad confluentem amnis Spree in Havalim. Sequuntur aliquot arces, vel oppida ad Albim ditionis: Mechelburgensis nempe Lentzen, 53. 15. ubi telonium penditur & Domitz, 53. 25. urbs pridem exigua, sed firmâ arce munita.

Cap. XIV.

Lavenburgum & Luneburgum Ducatus, cum æstuario Albis.

LAvenburgum, nudum muris oppidum ad Albim, g. 53. m. 54. caput Ducatus cognominis.] Duces, qui de Stemmate Saxonico sunt hodie, ut plurimum Ratzburgi sedent in arce utcunque munitâ ad rivum Wakenitz, g. 54. m. 14. Luneburgum, g. 53. m 38. fuit olim tantùm villa à Julio Cæsare, ut putatur ædificata, sic dicta à lunâ cujus simulacrum ad Caroli Magni tempora remansit. *a* Arcem Henricus IV. condidit, Otho erexit in comitatum, Fridericus II. fecit Ducatum, quem cum ditione Brunsuicensi possederunt Othones Imperatores & eorum posteri usque ad

Henricum Leonem, qui Saxonia & Bavaria omnique dominatione suâ exútus, Brunsuicum & Luneburgum duntaxat retinuit. Urbs munitissima est, tetragona, excurrens in long. 1450. pass. lata 900 cincta fossis & vallis, civitas Imperialis, sita in monte Calcario ad rivum Elmenau, cujus protector est Dux Luneburgensis, ex familia Brunsuicensi: cives potissimùm occupantur salis negotiatione, qui terra marique ubique distrahitur. Origo salsuginis puteus est ad montem Calcarium, ex quo aqua per canales derivatur in domos civium. Dux residet modò Cellæ, g. 52. m 56. ad Alram, modò Hildemii, g. 51. m. 24. ad Inderst, rivos, qui in Visurgim labuntur. Sequitur postea Æstuarium, quod ab Hamburga ad ostium Albis patet. Arcem in silva, quæ inter amnes Billam & Alsteram sita erat, tempore Caroli Magni condiderunt Domini de Ham, inde Hamburgo nomen. Vix surgentem urbem cum vastassent Vinithi, reparavit idem Carolus, & cogitans de conversione Saxonum ad fidem, posuit basilicam D. Petro. Ansgarius primus ejus præsul, Bremensem Ecclesiam suæ junxit. Nunc urbs est inter præcipuas Hanzeatici fœderis, sita in lat. 53. m. 42. culta & munita, euripis distincta, sepulchro Benedicti V. summi Pont. & Comitum Holsatię monumentis, & emporio celebris. Mirûm quantum porcinæ carnis hîc distrahitur. In eo obiit anno 1569. Crantius historicus Hamburgensis Canonicus. Infra Hamburgum ex parte Germaniæ urbs est Boxtehude, Palatio Regis Daniæ insignis, situ & arce munitâ, amnici

amnici portorii sedes primaria, sita in lat. g. 53. m. 53. In ipsum Æstuarium influit amniculus Oste, qui Bremefordiam arcem Bremensis Episcopi sedem alluit in lat. g. 53. m. 50.

a *Krant. in Saxon. Munster. l. 3. Sylvius.*

Cap. XV.

VVestphalia.

AMplissima est Saxoniæ inferioris portio, inter Albim, Obnobios montes Turingiæ & Hassiæ, Rhenum & Oceanum comprehensa, quam Visurgis & Amasis à fontibus ad ostia perluunt, ut influentes præteream. Sic dicitur à verbo Valen, quod Saxonum linguâ pullum equinum significat. His enim abundat regio; huncque in militaribus signis habuerunt, atrum quidem ante baptismum, post verò, candidum. Duplex est, Orientalis inter Visurgim & Albim, quam Ostrophali incolunt, & Occidentalis inter Visurgim & Rhenum, quam Westphali. 10. Februarii ann. 1230. ruptis aggeribus Oceanus exundans in regiones, quę Visurgim inter & Albim continentur, palustria absorpsit, quæ erant in litore. Ejus incolæ astuti, regio vini & frumenti inops, gregibus quàm hominibus alendis aptior, quæ sylvis suis ac crebris paludibus veterem adhuc refert Germaniæ faciem. In ea sunt Episcopatus IV. Bremensis, Mindensis, Paderbonensis & Monasteriensis. Comitatus, nobiliumque sedes infinitæ, quas olim Cimbri & Sicambri tenuerunt, si Straboni credimus, qui inter ostia Rheni & Albis eos collocat l. 7. verùm de his alibi.

CAP. XVI.

Visurgis, Bremensis Archiepiscopatus, Comit. Oldemburgensis.

VIsurgis oritur ex Meliboco Hassiæ monte, in sylva Turingiæ, & à fonte Vetra dicitur Veera, donec junctus Fuldæ sub Visurgis nomine uterque deinceps labitur. Urbes alluit Bremam, 53.25. & Mindam 52.26 & per fluvios incolas Ducatum Brunsuicensem, & Landgraviatum Hassiæ.

In loco Bremon, nunc Bremam vocant, Carolus Francorum Rex invictissimus, Willehaldum Anglum jussit Episcopum consecrari anno 788. ait Crantius in sua Metropoli, l. 1. c. 7. Apud quem cap. sequenti habes agros, & dominia maxima, quæ idem Rex huic attribuit Ecclesiæ. Civitas etiam nunc egregia & magnifica, 53. 25. Visurgi fluvio navium appulsum commodante. Eidem subjacet stadium, 54. 6. oppidum propè Albim Anglis & Batavis celebratum, & Bremerforde, 53.50. arx cum vico, Archiepiscoporum sedes.

Eminet hic Comitatus inter antiquissimos Imperii, vixque ejus dominus, si reditus annuos spectes, cedit Electoribus. Castellum elegans & munitum, putatur conditum, in lat. 53. 25. à Carolo Magno in finibus Frisiæ & Vesphaliæ, ad Ondam amnem, qui in Visurgim labitur, ad cujus ostium excitarant olim Comites munitionem Mellum dictam, quæ Oceani æstibus periit.

CAP.

CAP. XVII.

Mindensis Episcopatus, Brunsvicensis Ducatus, Bucharia, Hassia.

MIN, Den, linguâ Saxonum vetn. meum & tuum significans, nomen est urbis Westphaliæ celebris, ei impositum à Wedekindo, qui ad fidem conversus, instante Carolo Magno, ut Herimberto Episcopo locum assignaret condendæ Ecclesiæ, illum deduxit ad Wiseram in arcem suam, in quâ idoneum nactus locum, ad Episcopum conversus, hæc, inquit, pars erit tua, hæc mea. Urbs omnibus affluit mercimoniis propter Visurgim, qui ponte lapideo hic stratus est anno 1403. situs illius in lat. grad. 52. m.25. Nuper ad res bellicas firma & idonea facta est à Suecis.

Leucis quinque infrà Bremam influit in Visurgim fluvius Alre, qui cum influentibus in eum Orcana & Glein Ducatum Brunsvicensem complectitur. A temporibus Leonis exortus est hic Ducatus, qui posteà scissus est in varios Principatus, de quibus vide Krantium. Ad Allerum sitæ sunt urbes Cella, Luneburgensium Ducum domicilium, 52. 56. & Helmestad, 52. 35. Orcana ortus in monte Ramelo plumbi fodinis ditissimo, 51. 53. urbes alluit Goslariam, 52. 5. olim auri, nunc plumbi venis metallicis, urbem inclitam & divitem, sicut & Wolfenbuttel,

52.34.

52 34. arcem munitiſſimam Ducum ſedem, & Brunſuicum, 52. 40. cui Bruno Ludolphi Ducis Saxoniæ filius, inſigne nomen reliquit. Hæc urbs tota ſedet in plano mœnibus ac foſsâ duplici, aquâ ſtagnante, & vallo craſſiſſimo arboribus conſito munita, aliquando major Norimbergâ, & minor Erphordiâ. Glein denique munitiones aliquot alluit, quas inter Heildehemium celebratur in lat. g. 52. m. 26.

A Buchaviæ ſolitudine fagis conſita nomen invenit antiquitus hæc regio, quæ nunc Fulda dicitur, ex Abbatiâ totius Europæ ditiſſima, quam Pipinus Caroli Magni pater hîc fundavit in gratiam D. Bonifacii, ad amnem Fuldam. Viculos civitati proximos, cellas adhuc vocant ob circumpoſitas, in his ſylvis Benedictinorum olim cellulas & ſodalitia. Habet etiam Abbas civitates aliquot in Franconia ad fluviolum Strax, qui in Salam, ut Sala in Mœnum abit.

Subortus eſt Landgraviatus Haſſiæ ex Landgraviatu Turingiæ. Caput Provinciæ eſt Caſtellum Cattorum, vulgò Caſſel, 51. 20. grata civitas, munitâ arce, in qua Landgravii reſident, vel in arce Zigenhein. Ad amnem Edrum urbs eſt & Comitatus Waldeck. Megerhuſia ſedes Comitis. Ex montibus, qui frequentes hîc ſunt, magna vis auri & ferri quotidie eruitur.



CAP.

CAP. XVIII.

Amasis.

EX Hassiæ montibus, quos Obnobios Ptolemæus videtur appellare, Amasis fluvius oritur, Episcopatus rigat in Angrivariis Paterbonēsem, & in Dulgumniis Monasteriensem, Osnabrugensem, & Comitatum Emden, ubi devolvitur in sinum Embdanum, in quo olim numerabantur pagi 33. quando in eum mare exundavit anno 1177. Monasterium, 52 3. tertia fuit Episcopalis Ecclesia, quam erexit Carolus Magnus in meditullio regionis Mymingrode dicto loco, qui posteà ab insigni ibi fundato Monasterio, in honorem D. Virginis, Monasterium fuit denominatum. Nunc civitas est nobilis, loco amœno sita, caput Westphaliæ, superiore seculo anno 1533. & 1534. Joannis Leydani, Batavi Anabaptistæ lymphatico regno celebris. In loco similiter Osnabrugensi, 52. 24. Idem Carolus primam exædificavit in provincia Episcopalem Ecclesiam, deditque privilegium, ut utriusque ibi linguæ scholæ haberentur. Frisia Orientalis erecta ést à Frederico III. Imperatore in Comitatum, qui Emdanus dicitur, à capite Emda, 53. 34. urbe nunc ampla, munitâ & portu celeberrima, in quē plenis velis feruntur naves. In ea præsidium habent Hollandi, sicut & in munitionibus Elfziil, & Ride, ad ostium Emdani sinus. Aricum, 53. 44. sedes est Comitum & multorum Nobilium.

CAP.

Cap. XIX.

Frisia.

INter lineam ductam ab Ultrajecto ad Amisiam urbem & fluvium, nec non Oceani littora ad medium Rheni ostium, habitarunt Frisii, cùm majores, tùm minores. Majoribus sedes fuit inter Amisiam, & Flevum lacum: minoribus inter Rheni medium ostium, & eundem Flevum; utrosque dirimebat amnis, qui apud Trajectum à Rheno ad lacum Suyder-See divertit. In majoribus fuit portus Manarmanis, quibusdam Harlingen, nec non Baduennæ deæ lucus, nunc silva Seuen-Volden, & villa Cruptoricis inter Levvarden & Senech sita, ubi 1300. Romanorum cæsi. Nam tuti paludibus Frisii dimicarunt sæpius cum Romanis, donec à Corbulone domiti sunt. In prædictis finibus includuntur nunc pars Hollandię, Trajectini agri, Geldriæ, Transisalanæ regionis & Frisiæ. S. Wilibrodus à Papa Clemente creatus gentis Frisiorum Apostolus, sedem posuit in oppido Trajectensi, quod à Pipino accepit dono. Regio plana est, sed paludibus intercisa, sævitiæ maris ita obnoxia, ut Caro Flante Kal. Novemb. anno 1570 pecudum, hominumque myriades aliquot perierint. Gleba abundant incolæ bituminosa pro focis. Boves alit regio Europæ maximos, nec non equos ad bellum aptos. Dividitur in quatuor status. Groninga, urbs primaria, sita in lat. g. 53. m. 25. natura & arte munita, legibus propriis regitur,

gitur, multorum domina Pagorum, viris armiſque potens, per Mauricium Naſſoviæ Comitem, anno 1594. poſt obſidionem duorum menſium capta, & unitis Ordinum Provinciis inſerta eſt. Sequitnr Leovardia in lat. 53. m. 20. urbs opulenta & munita, & ipſi proxima Franchera ad amnem, qui ex Suecano lacu ortus labitur in Oceanum ad Harlingam portum ſitum, in lat gr. 53. m. 23. Stavera urbium Friſiæ quondam maxima eminet in promontorio, quod in Flevum lacum flectitur in lat. g 53.

Cap. XX.

Flevus lacus. Zutphania Comitat. & fl. Sala.

SUyder-See, id eſt, mare Auſtrinum, ſinus eſt Germanici maris, dictus antiquis Fletio lacus, qui Hollandiam nunc ſeparat à Friſia, innumeris arenarum puluillis ſtratus. Lacui prætenduntur inſulæ tres, Texela, in lat. grad. 53. m. 12. ovium gregibus, munitione & partu celebris. Flielandia, 53.25. & Schelinga, 53.30. Provincias alluit Friſiam, Gueldriam & Hollandiam. Fluvios excipit Vechtam & Iſalam. Vechta, Tacito, Vider oritur in Cæſia ſilva, ſita olim in Bructeris, nunc in Monaſterienſi agro: Aam excipit venientem à Covordia oppido Tranſiſalaniæ, in lat. g. 53. m. 5. arce validâ munito. Iſala verò Romanis, Sala ortus haud procul ab arce Raësfeld in lat. g. 52. Iſelburgum, Anholtium, Dortechemum modica oppida rigat, donec jungatur

gatur Rheno ad Doësburgum, urbem lautam & munitam in lat. g. 52. m. 3. Rheno conjungitur mediante fossâ, quam Drusus à vico Iseloort, per octo mille passus duxit, ut exercitum ex Rheno in lacum Flevum, & Oceanum traduceret, Frisios & Cauchos petiturus. Conjunctis verò aquis, præclaram rigat urbem Sutfen, 52. 17. à qua nomen inditum Comitatui Zutphaniæ, qui olim fuit pars Gueldriæ, & qui nunc patet secundùm fossam Drusi, & Isalam, ab urbe Emmerick ad urbem Devanter, quam posteà sicut & Svvolam & Campen prętervectus Isala fl. hodie lacui Flevo immergitur, cùm olim priusquā mare in amplissimum hunc sinum exundaret, inter insulas Flieland & Schelling, ad Flevum Castellum mergeretur Oceano, per ostium antiquis dictum Flevum sive Os Salæ. A Sala porrò flumine Franci, olim dicti Salii, qui eius ripam incolebant. Pars inferior à Rheni, scilicet ingressu, ad ostiū, dixerunt Romani Navvale, quasi posterior Walis. In Isalam ad Zutphaniam, labitur Berchela amnis, ad quem sita sunt oppidula Vreeden, Borcheloo, & Lochem, & rivum excipit Slingam, qui Geldriæ munitionem aliam longè validissimam cingit Grollam, in lat. g. 52. m. 15. sequuntur ad eundem sinum Elburgus 52. 35. oppidulum Geldriæ in litoris crepidine sedens. Hardevicum: gr. 52. m. 25. Gymnasio clarum, & Amersfordia, gr. 52. min. 18. ad rivum Emam, qui Velaniæ terminus est.

Cap. XXI.

Rhenus fluvius.

RHeno nullus est fluvius Græcis, nullus Latinis celebrior monumentis, nullus, qui tot splendidis coronetur urbibus. Germaniam olim à Galliâ dividebat, fuitque terminus Germanæ libertatis & Imperii Romani, ex quo in ejus ripa Drusus cognomento Germanicus, contra Germanorum irruptiones 50. castella imposuit, *a* & post eum, Valentinianus aliqua alia in Alemannorum ripâ excitavit per intervalla, quæ limitem & ornabant & protegebant; Et verò posteaquàm in ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles Germanis imminuit, tandem effectum, ut ne procul quidem Rhenum auderent accolere, víxque securi flumina interiora portarent. Ejus nomen puritatem sonat, quod Notham prolem in ejus aquis à legitima discernerent. Origo ipsi duplex, anterior una, apud Autuates, summas ponè Alpes, ex monte Crispalta, qui pars est Adulæ in lat. g. 46. posterior penes Misaucos in lat g. 45. m. 50. junguntur verò post 43. passuum milia, mediocri leucâ supra Curiam. In Helvetia propter montium impedimenta, minus est commoda ejus adnavigatio. Ad Cataractem verò Den-Lauffen infra Scafusam impossibilis. Ab urbe Basilea per æquam planitiem, & amœnissimas ripas, fluit ad Bingiũ, inde verò per montiũ horrentes angustias Bonnam usque cogitur: Imò ad D. Goari, magnam partem ex alto in gurgites præ-

præcipitat. In Oceanum olim evolvebatur unico ostio, inter vicos Cavvyk & Noortvvyk: Sed Oceanus aliquando violenter irrumpens, cùm ejus fluxum impedivisset, aqua retroacta campos humiles implevit, & sinistram ripam scindens, alveum sibi novum paravit, qui Wahales Tacito dicitur nunc Wale. Tandem per Drusum, fossa Rhenum inter & Isalam egesta, partem Rheni per Flevum lacum in Oceanum effudit. Medium postea Rheni alveum arenarum tumulis obductum, nullo labore potuerunt Lugdunenses aperire.

a *Florus lib. 4. c. 12.*

CAP. XXII.

Antiqui Accolæ Ripæ Germanicæ Rheni, ab ejus ostio ad Mœnum.

FRisii, de quibus jam dixi, obtinuerunt dexteram Rheni ripam, Batavis obversam, quæ est à medio Rheni ostio ad Batavodurum. Hodie Vyk te Duerstede in lat. grad. 52. hinc ad divortium Rheni, seu extremum angulum Batavicæ insulæ habitarunt Marsi, seu Marsatii celebres propter templum Tanfanæ totius Germaniæ amplissimum, & propter Romanorum odium in eos, quòd Varus cum tribus Legionibus per eorum fines, & Teutoburgiensem saltum versus Visurgim, tendens ab ipsis & conterminis Germanis fuisset cæsus, & Romana aquila in eodem

dem ſaltu defoſſa. Recedentibus ipſis ad interiora præ metu Romanorum; Bucteri eorum agros occuparunt, & reportatâ de hoſtibus victoriâ navali, Prætoriam navem multâ luce revecti per Lupiam flumen traxerunt donum Velledæ fatidicæ Virgini Bructeræ. Bructeris vel pulſis, vel exciſis, Chamani & Angrivarii in eorum ſedes immigrarunt anno à Nato Jeſu 98. ſub Trajano, quo anno librum de Germania ſcripſit Tacitus. Ævo Cæſaris Sigambri Rheni ripam ab ejus divortio ad partem Coloniæ Agrippinæ obverſam coluerunt; his ſub Tiberio traductis in Galliam anno ante natum Jeſum 8. omne eorum ſolum obtinuerunt Uſiperes & Tincteri. Ait Tacitus equeſtris diſciplinæ arte præcelluiſſe Tincteros, & apud eos æquam patris nobiliſſimam fuiſſe hæreditatis portionem, quæ dabatur filio, non ut cætera natu maximo, ſed prout ferox bello & melior.

Juhones ad auſtrum continuantur Tincteris. Tacitus Annal. 13. eos vocat Romanorum ſocios, & ait, tantos ignes terram eorum edidiſſe, ut ipſius Coloniæ nuper conditæ mœnia corripuerint, fortè erupuerint ex montibus, qui ſunt ex adverſo Bonnæ, quos Cluverius putat eſſe Rheticonem Melæ, qui nunc à verticum numero dicuntur Sibengebirge, quaſi dicas, ſeptimontiū ſeptem caſtellis munitum in regione nunc dicta Weſterval, quæ Bergenſis Ducatus eſt pars aurina. Sequebatur Ubiorum civitas ampla & florens, cæteris Germanis humanior, quæ eam Rheni partem incoluit, quæ ripæ Gallicæ à Colonia ad Mo-

ad *Mogontiam* obversatur, & cuneatur ad fontes Arandæ amnis, qui nunc est Eder, qui in Visurgim abit, ubi nunc Veteravia tota cum parte Hassiæ. Hi à Cattis bello sæpius petiti, quòd amici essent Gallorum, & cum Romanis societate juncti, postquam obtinuerunt ab Augusto circa annum ante natum Jesum 37. ut transirent ad eas Galliæ partes, in quibus nunc Juliacensis Ducatus pars maxima, & Coloniensis Episcopatus ferè totus, eorum agros occuparunt Mattiaci Chattorum pars, qui & ipsi postea fuerunt socii Romanorum; In his memorantur mons Taunus, hodie der Heyrich, ex adverso Moguntiaci, in quo munimentum posuerunt Romani Mattium, hodie Marpurg Chattorum, posteaque Mattiacorum caput: Aquæ Mattiacæ vulgò Wysbaden, & fodinæ argenti.

Tacit. l. 12. ann. Strab. l. 6.

Cap. XXIII.

RECENTES ACCOLÆ.

Ducatuum Cliviæ & Bercheriaci pars trans-Rhenana cum fluminibus Lupia & Roero.

Zutphaniæ Comitatui succedit ad austrum Ducatus Clivię pars trans Rhenum sita *a* divortio Rheni ad ostium Roërị fl. Ejus urbes præcipuæ secnndùm Rhenum sunt Embrica g 51 m. 50. quàm Batavi nomine Marchionis Brandeburgici occuparunt. Reeza, quam ibidem firmarunt

runt operibus, poteſt ad libitum aquis circum-
fundi. Veſalia inferior, quam his ultimis bellis
interceperunt. Hic Rhenus excipit Lupiam fl.
qui ortus in Weſphalia, ſuburbanum rigat ur-
bis, quæ à crebris fontibus Paderbonna gr. 51. m.
45; dicitur, unus eſt ex quatuor Epiſcopatibus,
quos in inferiore Saxonia Carolus Magnus erigi
curavit, ampliſſimiſque redditibus dotavit. Hîc
etiam Monaſterium Budicenſe, in quo aſſerva-
um diu tintinnabulum S. Meinulphi, quod, quo-
ies ex ſororibus Monaſterii aliqua breui erat ab-
tura è vita, ſonum reddebat fortem, abſque ullo
humano miniſterio. Hinc abit Lupiam, gr. 51.
m. 42. oppidum, quod cum Amaſia, & Eburo du-
no Ptolemæus ponit inter tria totius Germaniæ
loca clariſſima. Nunc eſt Comitatus, quem Co-
mites de Lupia & de Marcha æquo jure poſſi-
ent. Excipit poſtea rivum, qui originem ducit
x Suſato, g. 51. m. 37. urbe Weſphaliæ magna,
divite, munita: & infra Marcham caput Comita-
us cognominis miſcetur Lupiæ, quæ deinceps
artem Epiſcopatus Monaſterienſis rigat, & per
Cliviæ Ducatum ad Veſaliam abit in Rhenum.
oſt 10. minuta Rhenus excipit anniculum Im-
har venientem ex Trotmannia, vulgò Dort-
mund, urbe Imperiali in Comitatu Marchiæ præ-
pua in lat. g. 51. m. 28. latifundiis donata à Ca-
rolo Magno: Victoria Othonis I. contra Hunnos
celebri, quæque jus dicit omnibus Imperii urbi-
us Rhenum inter & Veſeram. Mox Rheno mi-
etur ad Raërotum rapidus amnis Roërus, qui
rensbergam, g. 51. m. 30. alluit caſtrum amœ-
G niſſi-

nissimum Westphaliæ Coloniensis:auctusque amne Elsero,qui Altenam rigat,à quo denominati aliquando Comites, qui postea dicti Montenses & Marchienses : Hincque perlabitur multa oppidula, inter quæ eminet Duisburgum, g. 51. m. 24. prima Francorum Regia, ex qua eorum Dux Clodio, Rhenum transmisit per Carbonariam Sylvam Gallias petiturus.

Superioribus ad Austrum jungitur Ducatus Bergensis,qui nomen habet ab oppido Berchem, quod ipsum nomen accipit à monte,cui impositum est. Berch enim Germanis montes sonat. Antoninus vocat Bercheriacum Tiberiacum,situm est in partibus Cisrhenanis in lat.g.50. m.56. ad amnem Erperum, qui influit in Rhenum ad Novesium Nuys,g. 51.m. 9. urbem olim celebrē, quam Brandeburgicus in cineres redegit anno 1581. Præcipua ejus pars est in Germanica ripa. Nam Coloniensis Archiepiscopatus Gallicam obtinet ripam penè totam. Loca memoratu digna secundùm Rhenum sunt Cæsaris Verda, seu munitio, vulgò Keyserfuert, g. 51. m. 17. & Dusseldorpium,g.51.m.12.nunc caput Ducatus,& Neoburgici Ducis sedes,urbs quidem parva,sed grata & munita, sita in solo, quod vocant horreum Coloniæ,quod Dusella amnis secat medium; secundùm amnem VV.per oppidum Elnerveldt celebre propter lanificia & maximè tapetia : & Sollingen, ubi cuduntur enses & gladii magno numero.E regione Coloniȩ habes Divitense munimentum. Sicga fl. aliis Signum terminus est Ducatus, oppida rigat Sigen, Blanckenburg, & infra

infra Siburgum miſcetur Rheno: putant aliqui ab hoc amne Sigambros nomen ſuum accepiſſe, & terminum fuiſſe Franciæ Orientalis.

Cap. XXIV.

Lanus fl. Haſſia Inferior, & VVeteravia.

Lanus oritur in Comitatu Witgenſtein, alluit inferiorem Haſſiam atq; Weteraviam, & influit in Rhenum ad Lanſtein. Inferior Haſſiæ pars eſt Landgraviatus, quæ in hæreditatis partitione obtigit germanorũ juniori, qui Landgravius Darmſtad dicitur, ab oppidulo ejuſdem nominis, ſito in Franconia in lat. g. 49. m. 50. trans Mœnum. Urbes præcipuæ in Principatu Lanogavienſi ſecundùm Lanum ſunt *Marpurgum*, gr. 50. m. 42. ubi arx ſingularis ſtructuræ, ſedes Comitum & Academia. Gieſſena munitum oppidum aperti ſitus & amœni. Weslaria urbs Imperialis, olim *Moguntini*, nunc Heſſi, ad oſtium Dilæ amnis, cujus origo in Dillemburgo Comitatu domus Naſſoviæ. Weteravia regio inter Haſſiam & Rhenum, in qua Comitatus Naſſoviæ, qui alium ab Imperatore ſuperiorem agnoſcit neminem, & monetam cudit etiam auream pro jure ſuo. Ex eo prodiêre Adolphus Imperator, & Mauritius Guilelmuſque Auriaci Principes Fœderatorum ſtatuum Duces. Ad Lanum ſitum oppidum Dietia & Naſſovia urbs in colle, qui ſolo uliginoſo cingitur. Regio abundat ære, plumbo, ferro & aquis, quæ ſolvunt calculum veſicæ.

Cap. XXV.

Mœnus fluvius.

EX monte Pinifero, vulgò Fichtelberg, in lat. g. 50. m. 10. qui metallis ferri, stanni, & cæruli turget, oritur Mœnus, qui & Moganus, è duobus rivis, uno rubro, albo altero, qui confluunt infra Culmbac, urbem caput Marchionatus inter ditissimos Germaniæ. Inde multiplici gyro Franconiam oberrans, Episcopatus perluit Bambergensem, Herbipolensem & Moguntini urbes Miltemburgum gr. 49. m. 40. & Aschaffenburgum g. 49. m. 50. Electoris sedem. Selenstadium 50. & Francofurtum 50. liberam Imperii civitatem, celebrem propter nundinas & Impetatoris Electionem. Mœnus autem admisso Binza amne, qui Hannoviam alluit, urbem munitissimam, & caput Ducatus cognominis, tandem influit in Rhenum è regione *Moguntiæ*, cui & nomen indidisse credunt aliqui. Siluri, qui ipsos equos innatantes demergebant, ut habet Plinius l. 9. c. 15. impræsentiarum nulli.



Cap.

CAP. XXVI.

FRANCONIA,

Episcopatus Bambergensis, & Herbipolitanus. Nec non Mergethum sedes Magistri Ordinis Teutonici.

NOmen accepit à Francis, quos in eas partes *Magnus* Carolus transtulit, qui Francofurtum cæterasque urbes, quæ istic visuntur, condiderunt, & præsidiis firmarunt. *a* Plana est regio, montibus Sueviæ, Bavariæ, Bohemiæ & Hassiæ, Sylvaque Spheshart undique septa, longa 116. min. lat. 80. Multa nobilitate pollet, nec cuiquam licet esse otioso. Mulieres etiam vinetis incumbunt colendis. Gliceriza hîc frequens, & radices agit ad pedes 12. Præcipuæ illius ditiones sunt Coburgum gr. 50. m. 18. oppidum caput Ducatus familiæ Saxonicæ, cujus Dux, qui & Princeps est Imperii, arcem habet dictam Plassenburg sitam in monte, ex quo prospectus est longè gratissimus.

Principatus Bambergensis, Episcopo olim traditus ab Imperatore Henrico II. qui Ecclesiam ibidem construxit, in qua partem Dominicæ crucis & clavorum posuit, & in ea sepeliri voluit. Arx & domus principis (quæ centrum Germaniæ putatur obsidere) est in Insula Regnitio cincta, quadrante miliaris infra Bambergam. Hujus ditionis præcipuæ munitiones sunt Crona-

cum g. 50. m. 20. & Forchemium g. 49. m. 45. ad amnem Regnesum. Ad eundem est Ptolemæi, Segodunum hodie Noremberga gr. 49. m. 25. quæ in confiniis Franconiæ, Sueviæ & Bavariæ posita, nullius soli esse optat, ex quo ejus Burggravii in Electoratum Brandeburgicum evecti sunt. Urbs amplissima habet mœnia, turres 365. plateas 528. fora 10 quæ nundinis penè quotidianis frequētantur. Arx in colle, dicta Castrum Noricum, ager sterilis, sed plebs industria; unde illud Norimbergensium astutia, Strasburgensium tormentis bellicis, & Augustanorū pecuniâ, omnis decipitur Germania. Ad Norimbergenses pertinet Altorff g. 49. m. 25. oppidum cum Academia, in qua carcer scholasticis deputat⁹ dictus Hundscammer, id est, cubiculum canis, Walestino olim notus. Rotenburgum g. 49. m. 30. arx est munitissima, in qua nobilitas Franconiæ præficit gubernatorem. Franconiæ Dux est Episcopus Herbipolitanus, vulgò Würtzburg gr. 49. m. 43. à dulci musto, quod ager suppeditat, urbs fossis & mœnibus ornata potius, quàm munita. Suburbium desinit in montem, ubi ars Ducis sedes natura loci munita, D. Virgini nuncupata, quæ Pipini & Caroli Magni munificentiam prædicat. Opidulū Gemund g. 50. m. 7. præcipua est Ducis munitio ad ostium Salæ in Mœnum.

Huic pariter miscetur Tubarus vern. Tauber fl. ortus in confinio Sueviæ, qui rigat Rotemburgum in lat. g. 49. m. 11. Franconiæ cellam penuariam & urbem Imperii à turrium & tegularum rubore sic dictam: Posteaque Mergethum g. 49. m. 23.

m.23.hoc eſt, Marię domum, ſedem Magiſtri, qui reliquias Ordinis Teutonici utcunque tuetur in Franconia, ubi 80. Talerorum millia quotannis reficit ex prædiis. Ex quo Albertus Brandeburgicus in Boruſſia crucem Ordinis uxore permutavit, Ordini ſemper præfuit aliquis è domo Auſtriaca. Qui in hunc Ordinem cooptabant quempiam, utebantur hac formulâ. Aquam & panem in copia promittimus tibi, & veſtitum tenuem quoad vives, ſi quid obtigerit ampliùs, habebis id quoque: plura tibi non debemus; tuncq; traditis enſe, calcaribus & ſcuto addebat ſacerdos, hanc veſtem & crucem damus tibi, & ſi feceris, quod pollicitus es, ſpondemus tibi vitam æternam.

a *Nicol. Vigner. de Orig. vet. Franc.*

CAP. XXVII.

Antiqui accolæ Germanicæ ripæ Rheni à Mœno ad Lacum Brigantinum.

HÆc loca obtinuerunt *a* Helvetii gens Gallica circa annum ante natum JESUM 600. Hinc exiſtimantur pulſi à Seduſiis, Marcomannis & Harudibus, qui ante tempora Julii Cæſaris eundem *b* coluerunt agrum: ſicut ejuſdem ævo Germani communi nomine dicti Suevi, quorum præcipui erant Marcomanni & Chatti, qui tunc ea loca poſſidebant, quæ nunc dicimus Palatinatum Rheni, Ducatum Virtembergenſem, Briſgaviam & Suevię Ducatum. *Marcomannis*

autem ſub Auguſto Cęſare in Boiohæmum pro-fectis,ut ſuperiꝰ dixi; multi Galli inopiâ audaces Rheno tranſmiſſo, iis occupatis agris, qui tunc erant dubiæ poſſeſſionis, dicti ſunt Allemanni, hoc eſt,convenæ, miſcellanei homines & multitudo undique collecta; quippe All omnem ſignificat, & *M*an hominem. Quin etiam legimus *M*œnum tranſgreſſos, & inter *M*œnum & Lonam amnes ex adverſo *M*ogontiaci fuiſſe Regnum *M*arciani Regis Allemannorum,qui Vâlentiniani tempore, cùm Burgundiones partem agri Chattorum ad fontem Viſurgis ſitam obtinuiſſent,bellum habuit cum illis propter Terminales lapides,ſitos in regione, cui nomen Capellatii, & Palas circa oppidum Steinam, nec non propter ſalinas, quæ ſunt ad vicum Soltz, ſub monte Fogelsberg, ubi origo fl.Salæ,quod miſcetur Binzæ, quodque ſalutaris oppidis Salemunſter, Salefeld & Ducatu Hanavv, miſcetur Mœno infrà Francofurtum. Porrò eandem regionem (poſteaquam Allemanni in Rhetiam, Helvetiamq; tranſmiſerunt) inter *M*œnum, Rhenum & Danubium ſitam, Burgundionum octoginta millia Probo Imperatore obtinuerunt, quibꝰ imperabãt Reges dicti Endini,quos leviſſima de cauſa in ordinem dirigebant, *c* puta ſi ſub iis belli fortuna titubaſſet, vel ſegetum copiam terra denegaſſet. Hîc verò putantur conſediſſe, donec à Gotthis & Hunnis, qui ab ripa Danubii advenerunt, pulſi, tandem fixas in Gallia poſuerunt ſedes. Quibus omnibus ſuccedebant ad auſtrum Vindelici, quorum limes ultimus fuit lacus Bri-

cus Brigantinus, de quibus agam, quando Danubium describam.

a *Tacit. in Germ.* b *Cæsar. l. 1. bel. gal.* c *Cassiod. in Chr. Marcell. l. 7. 32. Zozim. l. 1.*

CAP. XXVIII.

RECENTES ACCOLÆ.

Necarus. Palatinatus Rheni. Ducatus VVirtembergensis.

NEcarus, qui & Nicer & Nicrus, oritur ex Arbonæ jugis in Wirtembergensi Ducatu, è leni fonticulo in lat. g. 57. m. 50. à fonte Danubii non amplius quingentos passus, alluit Ducatum Wirtembergensem & Palatinatum Rheni, ubique vitiferæ sunt ejus ripæ, secundùm eum cõtinuæ lignorum crates ex Odonica sylva in Rhenum deferuntur.

Palatinatus nomen derivant aliqui à regione Palas, cujus meminit Marcellinus, sanè frigidè. Volunt alii priscos civitatũ suarũ capita, ad quæ habebant comitia dixisse Palantias; & verò quinque hujusmodi fuerunt in una Saxoniâ. Existimo tamen, quantùm spectat ad Rhenanũ hunc Palatinatum, nomen fuisse dignitatis, quâ fungebatur circa annum 1000. Comes Henricus ex genere Caroli oriundus, qui Palatio Ottonis III. præerat, quando Imperii Elector constitutus est à Gregorio V. & ab eo hunc Comitatum, Franconiæ quondam partem, dictum Palatinatum Rheni. Dividitur in 4. officia, ut vocant, Metropoles

sunt Mosbahium ad Necarum situm in lat. g. 49. m. 20. in Franconia. Alzaa 49. m. 42. in Vangionibus. Neostadium in Nemetibus g. 49.. 10 Heidelberg, Electorum sedes, ad Necarum g 49. m. 12. urbs amoena sita in fauce montium, in quibus tanta est fragarum copia, ut inde nomen urbi putetur inditum. Rupertus, qui ex ea familia factus est Imperator, egregium in ea templum construxit Spiritui sancto nuncupatum anno 1400 Manhemium, vel Budoris Ptolemæi, vel Nica Marcellini oppidum ad confluentes Rheni Nicrique, Provinciæ propugnaculum, ubi Joannes Papa triennio incarceratus, tempore Concilii Constantiensis. Franckendal Francorum Vallis, erant olim tantùm duo Monasteria, nunc Metropolis est Palatinatus Cis-Rhenani, non ita pridem ædificata in modum crucis, est probè munita; distat mille passus à Rheno, & duab⁹ horis Vormatia. Fridericus Elector anno 1619. mense Novembri regni Bohemiæ coronam accepit, sequenti deinde anno 1620. Novembris octavo sub ipsius Pragæ mœnia prælio victus, posteaque in Comitiis Ratisponensibus proscriptus. Sequente anno transfugit ad Batavos, ubi privatus traduxit vitam, cũ prius possideret Palatinatum Bavariæ, cujus Metropolis Amberga, gr. 49. m. 25. Palatinatum Rheni, & regimen haberet urbium Imperialium, quarum Rector degebat Haguenoæ. Ex eadem familia sunt, Duces Bipontinus, g. 49. m. 18. de Lautreck, g. 49. m. 26. de Simeren, 50. & de Birchenfeld, 49. 40. omnes dicti Palatini, quibus in Hunskuck ad amem

Nasam

Nasam hæreditas obtigit. Nasa verò oritur in montibus, qui separant Trevirensem Electoratum, ab inferiori Palatinatu Rheni, quos incolæ vocant Hunskuck, id est, dorsum canis, quod fingunt extendi inter Mosellam, Nasam & Rhenum, ita ut caput ejus censeatur mons S. Ruperti, dorsum paulatim ascendat versus Mosellam, & cauda desinat ad Confluentiam. Alii putant ab Hunnis, qui hîc consedêre, nomen inditum. Postquam autem dictos Palatinatus alluit, salutatâ urbe Cruzenach, quæ castro & fodinis æris & plumbi est celebris, ad Bingium & Turrem murium abit in Rhenum.

Eidem Necaro apponitur Ducatus Virtembergensis, sic dictus à Castello Virtemberga, distante min. 6. Studgardia Comitatus olim à Suevia avulsus, & in Ducatum evectus anno 1495. à Maximiliano. *Weimphen*, g. 49. m. 12. & *Hailbrun*, urbes non contemnendæ, inter quas anno 1622. commissum celebre prælium, in quo Tilius, Bavaricarum copiarum ductor, & Corduba Hispanicarum victoriam retulerunt de Marchione Durlacensi. Canstat g. 48. m. 40. urbs mercatu celebris Studgardia g. 48. m. 35. anno 1286. muro vallata à Rodulpho Habspurgensi, aucta deinde arce magnificâ, quæ sedes est Ducum *Wirtemberg.* Ager circumpositus vinetis undique consitus. Eslingen, g. 48. m. 34. oppidum à Friderico II. montibus cinctum, vindemiâ & Privilegiis clarum. *Tubingen*, gr. 48. m. 35. urbs elegans, & Bacchi Cererisque donis abundans, conspicuâ ponte lapideo, arce, Canonicis &

Academiâ. *Rotembourg*, g. 48. m. 16. olim dicta *Landfurt*, quando eversam terræ motu, denuò restituit in utraque Necari ripa, Albertus Comes *de Hohemburg* anno 1271. *Rottevvill* 48. quam à Hunnis dirutam restauravit Conradus Sueviæ Dux, qui posteà factus Imperator, sedem hîc suam fixit, & Cameram instituit anno 1146. cui summam attribuit Jurisdictionem. Nunc fœderis est Helvetici, quod juravit anno 1519.

Cap. XXIX.

Durlacensis & Badensis Marchionatus. Brisgovia. Urbes Sylvaticæ. Scaphusiæ Pagus. & Sueviæ pars.

INter Ducatum Wirtembergensem & dexteram Rheni ripam, sunt Marchionatus Durlacensis & Badensis. Turlacum debere dici volunt aliqui à Turre celebri, urbs ad radices montis sita, in lat. gr. 48. m. 50. ubi Palatium utcumque munitum, ab ea minutis 20. removetur Badena urbs, quæ putatur condita ab Aurelio Antonino, sic dicta ab aquis tota Germania celeberrimis, omnibus morbis salutaribus, quæ per civium domos discurrunt. Inter utramque est Etlinga cultum & munitum oppidum, caput tamen ditionis est Stolhoffa ad Rhenum urbecula munita in lat. g. 48. m. 36. à qua versus Orientem minutis 16. removetur Eberstemium castrum Comitatus titulo clarum. Penè è regione Strasburgi, Rhenus admittit Rintzig amnem salmonibus

abun-

abundantem, qui Cellam alluit, & Offenburg, g. 48. m. 20. municipium Imperii, nec non Weilstat, g 48. m 24. oppidum Ducum Hannoviæ.

Succedit Brisgovia regio, quæ patet secundùm Rhenum, per 60. m. quæ olim suberat Duci de Zeringen, deinde Comitibus de Furstemberg, posteaque totius regionis jus partitum inter Archiduces Austriæ & Badensium Marchiones, antequam veniret in potestatem Gallorum per Ducem *de Weimar*. Urbes in ea præcipuæ; Friburgum ad fl. Treissam, in lat. g. 47. m. 53. Academia celebris, sita loco feraci, à quâ vix milliario distant rudera castri Zeringen. Brisacum 47. 54. munitio præstantissima totius Rheni, primùm à Valentiniano contra Alemannos inædificata in montis clivo, qui in pontem desinit. Et Neuburgum 47. 40. ubi Carolus Lotharingiæ Dux, pontem excitavit anno 1635. & Bernardus Dux *de Weimar*, peste obiit anno 1639. 18. Julii h. 5. Ab ea removetur itinere duarum horarum. Hettershemimium castrum cultissimum Prioris S. Joannis Hierosym. qui locum habet in Comitiis Imperialibus.

His omnibus ad Orientem (hîc enim ad eam mundi partem Rhenus inflectitur) adhæret Der Schvvartzvvald, hoc est, sylva nigra, quã Ammianus appellat sylvam Martianam, & Ptolemæus Eremum Helvetiorum, quæ à Rheno ad superiores Danubii & Nicri partes extenditur. Amnes præcipui, qui ex ea labuntur in Rhenum, sunt Viemo amnis trabibus ex ea Eremo advehẽdis plurimùm utilis, quẽ Rhenus excipit ad Basi-

leam: ſicut & Guttam, quem fundit palus Loeffenga, in quâ urbs ejuſdem nominis pertinens ad Comites *de Furſtemberg*, & eidem Rheno miſcetur ad Urbem Valdhulſtam, hoc eſt ſylvæ cuſtodem, inter utrumque verò amnem ſunt urbes quatuor, quas dicimus ſylveſtres, videlicet Rinfeldia in Rauracis ſita, non longè à pago Augſt. Seckingen in inſulâ Rheni. Lauffenferga urbs munita in rupe, & hæc noſtra Valdhuſta.

Habes poſteà Scaphuſiam pagum helveticum, cujus oppidum 42. 25. à ſcaphis denominatur, quod illic exonerentur propter majorem Rheni cataracten Den Lauffen, ter mille paſſibus à ſuperiore diſſitam, in quâ Rhenus variis montium impedimentis incitatus, terribili cum fremitu, altitudine 50. cubitorum præceps ruit. Ager nigræ ſylvæ circumpoſitus excißs arboribus, hodie abundat vitibus. Societatem iniјt anno 1501.

In parte Sueviæ, quæ lacubus Cellenſi & Conſtantienſi apponitur, & ad influentes in eos amnes, hæc ſunt loca memoratu digna. Hoheviela arx impugnabilis in monte Ducis olim Wirtembergenſis: nunc juris Gallici, & Hohen-Kregen arx alia inexpugnabilis juris Auſtriaci, utraque ad rivos duplices, qui emergenti Rheno ex lacu Cellenſi occurrunt, utraque vix minutis tribus ab invicem remota, Rodolphi Cella, Rotofcell lacui adhærens, parebat olim Monachis Augiæ divitis poſteaq; Auſtriacis. Uberlinga ſedes olim Ducum Sueviæ, urbs eſt Imperialis & munita ad lacum Conſtantiæ, & ſtatio naviū celebris. Memou Augia parva eſt in inferiore parte

lacus

lacus è regione Merſpurgi oppiduli, quod Epiſcopi Conſtantienſis eſt peramœna ſedes, juxta quam lacus Conſtantiæ mirè profundus eſſe deprehenditur; Buchornia urbs Imperialis, olim dominorum *de Ravensbourg*. Lagenarchia patrimonium Monfortiorum ad oſtium amnis Schuſſia, qui Ravenburgum urbem Imperialem rigat, jam à tempore Caroli Magni nominatim, & vallem peramœnam jugis vitiferis circumdatam. Lindavia, de quâ alibi, & Richenau in extremo lacu, ubi Augia dives Abbatia, in qua Cœnobitæ putant ſepultum D. Marcum, unde & quando ejus legunt Evangelium, tumulum digito notant.

Cap. XXX.

Rhætia Vetus.

RHætia Vetus, quæ Galliis adjacet primùm culta legitur à Coloniis Gallorum, qui propterea dicti ſunt Galli Inalpini. Illyrici partem Italiæ conterminam excoluerunt, ipſi tamen nomen à gente Itala, quæ à Gallis pulſa è Tuſcia, in has partes traducta eſt, *a* Duce Rhæto, & per Alpium ſummitates longè latéque fuſa. Utriſque à Druſo Sextili menſe debellatis, duas hîc conſtituerunt Provincias Romani. Rhætiam, quam dixerunt primam, ſive quòd eſſet ſuperior, ſita in montibus: ſive quòd primum devicta: ſive quòd Italiæ propior, quæ Rheno à fontibus ad Brigantium & Lycho amne continebatur: & ſecundam, quæ Lycho & Æno, quatum præcipuæ urbes

urbes fuerunt Verona caput Rhætorum, Tridentum, Brixino, Terioli, Veldidana, Feltria & secundùm Rhenum Brigantium & Curiâ. Vennonetes & Sarunetes Rhæti, ortus Rheni amnis accolebant tẽpore, Plini *b*: ad Vallem verò quæ à Curia patet ad Brigantium tempore Cæsaris sedebant Tulingi, quorum 36. millia conjunxere se Helvetis cum ipsis in Gallias migraturi.

a *Iustin. l.* 20. b *Pl. l.* 3. *cap.* 20. *Cæsar. l.* 4. *Str. l.* 4.

Cap. XXXI.

Alpes.

ALpis seu Alpes vox est quæ montes significat, perpetuis nivibus albescentes: & primum quidem Ligusticos, Cottios, Grajos, Penninos, Summos, Lepontios & Rhæticos qui lunato ambitu adinstar muri claudunt Italiam, & eam à Gallia & Germania separant. Deinde eos qui his cõjuncti in Germania, inde abeunt versus Orientẽ, & per Vindelicos, Noricos, Carnos, Illyricos, Pannones, & Macedonas in ultimã usq; Thraciam penetrant, Dannubio penè semper paralleli. Tertio quosvis alios montes proceros. Alpes Italiæ patent in longum triginta mille quinquaginta octo millia passuum, inter Varum & Arsiam, mare superum & inferum: Latæ ut plurimum 24. passuum millia.

Solinus montem Vesulum, è quo Padus oritur inter alpium juga superantissimum nominat:

Alij

Alij Lepontias Alpes, ſummas omnium eſſe volunt. Rhæti & Sedunij ſuas eſſe contendunt. Sextus *R*ufus Pannonicis & Thracicis id tribuit. Quæ Porro ſit ſummorum verticum perpendicularis altitudo vix poteſt Geometria definire, quòd Alpes non ſint præruptæ, ſed paulatim vertices alij poſt alios attollantur, neque ex plano conſpicui ſint; Geometria autem non metitur ea, quorum terminos non novit. Tamen Certum 1. nullam eſſe analogiam altitudinis horum montium ad terræ ambitum: imò minorem eſſe rationem altitudinis ſummi verticis ad terræ radium, quàm exiguæ arenæ ad globum unius pedis. Certum 2. non eſſe altiores nubibus, ſaltem iis, ex quibus in ſummos vertices ruunt & funduntur nubes & grandines, quibus teguntur. Certum 3. Alpes longè altiores altiſſimis Græciæ, Thraciæque montibus, qui una die, Alpes verò non niſi quinta ſuperantur. Cum ergò *Plinius* 1250. paſſus tribuat Pelio, ſi eadem eſſet Alpium & Pelij acclivitas, Alpium perpendiculum eſſet 6250. Imò Cluverius l. 1. Ital. cap. 31. ſic habet. Sanè egomet alibi 50. alibi 30. millium expertus ſum: qua vero arte id præſtiterit non exprimit: fortè ex umbra ſummorum verticum: fortè ex diverſitate lucis diurnæ, qua fruuntur ij qui ſunt in vertice, & eorum, qui habitant ad radices: potuit etiam per partes, & latera & vertices emetiri. Ut ut ſit, difficulter mihi perſuadeo tantam eſſe alpium altitudinem perpendicularem, licet admittamus

ex il-

ex illis profpectum effe in Italiam , Germaniam & Galliam , vixque ullam effe noctem in Alpinis verticibus circa Solftitium æftivum.

Porro certiffima tempeftatum figna petuntur, ex his verticibus:nam fi nubes confidunt, hyems erit: fi vertices puri funt, ferena erit cœli facies,fi quando nube candicanti gravantur , imminet grando. Cœlo quamvis fereno apparens nubecula ventum dabit procellofum. Nebulæ è cœlo vel monte cadentes vel fedentes in vallibus promittunt ferenitatem.

In fingulis Alpibus, humiliora funt quædam juga,in quibus angufti funt calles, & viæ in Italiam: præcipuæ 4. fcilicet per Ligures, per Taurinos,per Salaffos,& per Rhætos.

Celtas , Bellovefo Duce primos tranfmififfe Alpes tradit Livius : poft hos Cœnomanos,deinde Bojos poftremo Senones. Immigrationis primæ caufa fertur quidam nomine Elicus, qui fabrilem artem Romæ profeffus,reverfus in Galliam fecum detulit ficum , racemum & aliquid vini & olei, quæ Gallorum palato grata,fecerunt animos fuperandi difficultates itinerum.

Multa in his admiratione digna.1. Lacus,Cenifius,Crava,Gemmius,Abbazellan⁹, & alij plures in fummis montibus non è nivibus collecti, fed è vivis & perennibus fcatebris orti.2. Cryftallus, terræ purior fuccus,qui frigore condenfatus lapidefcit, cujus maffæ reperiuntur aliquando librarum 50. 3. Animalia non pauca, quæ prorfus fiunt alba cùm propter nives quibus victitant, tùm propter fpecies , quas matrum Phantafiæ impri-

imprimit nivium albedo. 4. Ubertas agrorum & pascuorum, quæ tanta est, ut interdum in valle vix longa 20. millia pass. possis numerare 15. millia capitum majoris pecoris, ita sub ipsis nivibus luxuriant gramina.

Cap. XXXII.

Rhæti Alpini vulgò Grisones.

Deficiente Imperio Romano, Clodovæus I. Franciæ Rex Christianus, inferiorem occupavit Rhætiam: Theodebertus superiorem, circa annum 549. Iisdem potiti sunt, qui Imperium excusserunt è Gallorum manibus. Tandem utraque Rhætia in potestatem domus Austriacæ devoluta est; quâ cùm se liberare vellent populi inito fœdere factionem jurarunt, cujus tessera fuit Leucophæus vestitus, & mitella ex albo fusca, proptereaque amisso Rhætorum nomine, Grisæi Gallico vocabulo dicti sunt. Canos verò dixêre, qui elegantiùs putabant eloqui. Mitto rationes alias, quæ mysterij plus habent, quàm veritatis. Hîc montes superbi, & valles miseræ, in quas patet aditus per calles, non ampliùs quatuor, quorum singulos, homines 20. possunt præcludere, per Comensem lacum ex Italiâ. Per vallem Camonicam ex Venetâ ditione. Per vallem Oëni ex Comitatu Tirolensi, & per pontem Curiæ ex Suabiâ & Helvetiâ. Gens algoris & inædiæ patiens, studijs, est asperrima belli, in triplicem divisa factionem. 1. Sedens ad Rheni fontes, dicta est à situ, superius fœdus seu Liga Grisa, ejusque prima communitas est Discentisium cœno-

bium

bium ad Rhenum in lat. g, 46. m. 10. cujus Abbas monetam signat, & Trumbæ 46. 13. primùm locum obtinet in Comitiis. Inter Laïcos præcipua autoritate pollet Præfectus Rhætij castri 46. 15. quòd olim Rhetus à quo gentis nomen, ad confluentem utriusque Rheni alvei excitavit. Fœdus hoc initum est anno 1424. Secunda Factio vocatur Hopitalis Dei & Cathedralis, seu domus Dei propter Episcopatum & Collegium Curiense, sic dictum ab urbe factionis primaria sita in lat. 46. 18. cujus Episcopus est Imperij Princeps. 3. A decem Jurisdictionibus nomen invenit, quarum octo profitentur clientelam Archiducis Austriæ; duæ verò scilicet Malans ad ff. Langarum & *Mayenfeld* (Lupinum Romani dixere) Grisonum, quorum nomine Præfectus hic jus dicit: sicut Castelli, *Castelz*, qui ab Austrijs præficitur. Ad Comitia verò publica, quæ vocant *Bundstag*, quæ celebrant quot-annis in festo S. Joannis Baptistæ, mittunt cancellarium & lictorem. Unâ cum Helvetis fœdus inierunt cum Gallis, & Regi Galliæ militant.

Habent & Grisones judiciarias sedes & præsidia trans Alpes in valle Volturena, quarum prima est Pluriensis, *Pleurs*, in lat. gr. 45. m. 42. sit licet urbs oppressa ruinis proximi montis. Clavenna, *Chiavene*, g. 45. m. 40. dives & munita urbs, quod sit transitus ex Italiá in Germaniam; & valdis Telina, sic dicta ab urbe, *Tel*, sita in monte edito, licet urbs primaria dicatur, *Tiran*, ad fluvium Adda in latitudine, gr. 45. min. 32.

Cap. XXXIII.

Rhegusini & Sangalensis Abbas.

RHegusina vallis Tulingorum antiqua sedes, jacet in læva Rheni ripa ad Constantiensem usque lacum: pars illius pertinet ad Helvetios, pars ad Abbatem S. Galli. Incolæ culturæ vinearum & nendo lino student. Instante vindemiâ legati è singulis villis conveniunt ad S.Galli, nec priùs vindemiam legere, vel uvas cogere licet, quàm pretium vino constituerint in sequentem annum. Sangalensis vero Abbas 20. minimum oppidis imperat, constitutis partim in ea valle, partim ad Constantiensem lacum, quæ fuêre à Rege Francorum Sigeberto, & ab aliis principibus data S.Columbano, quòd ex eo Monasterio multi prodierent viri Sanctimonia insignes, maximè qui Helvetos Evangelii luce perfuderant. Philippus Augustus inter Principes Imperij Abbatem promovit, & inter Confœderatos Helvetis Cantones adnomeratus est anno 1454. in epulo, cui interfuerunt convivæ 1500. nuncque inter socios primas tenet Abbatia cum urbe sita in lat. g. 47. m. 2. lanificio nobili, quæ cum tota ditione sua inter Rhenum & amnem Thuras patet, inter Turgeam factionem & Abbatis cellam vulgo Appensell g. 46. m. 50. cujus incolæ se ex Abbatis potestate pecunia redemerunt, ut fœdus cum Helvetis constituerent quod inierunt anno 1513.

Cap. XXXIV.

Lacus Constantiensis & Collensis.

Constantiensis lacus abest à capite Rheni 90. mil. passuum, ejus longitudo est millium passuum 40. latitudo 10. altitudo orgiarum prope 300. Dicitur à quibusdam Acronius, quòd propius accedat ad foves Rheni, quam Cellensis. Brigantinus vero, Podamicus & Constantiensis ab urbibus ejusdem nominis, quibus coronatur. Præcipuus, qui in eum labitur ex parte boreali fluvius Schussia vallem præterlabitur amœnam & jugis vitiferis cinctam, in qua Ravenspurgum in Algovia sive Alemannia civitas Imperialis. In eo etiam est Insula Tiberio pugnanti contra Vindelicos olim opportuna, nūc illustris Lindavio g. 47. m. 18. oppido Imperiali, situ manuque firmo. Addit decorem sub ipsa fauce & ponte clusum oppidum Constantia g. 47. m. 25. à Constantio Imperatore Magni Constantini patre appellata, illustris Episcopatus, qui bis mille parœciis constat, qui huc translatus est ex Vindonissa urbe sita ad Arolatu g. 47. m. 10. posteaquam ab Alemannis fuit eversa, nunc in ea urbe plebeij mercaturis & officiis intendunt, nec ditiores facti, possunt ad altiorem gradum aspirare. Equites verò veteribus patrimoniis contenti vivunt nobiliter. Tertio milliari à Constantiensi lacu alius est dictus Venetus, quod palus sit potius, quam lacus, & Cellensis à Cella g. 47. m. 32. urbe ipsi apposita. Habet & Insulam Rinoviū vulgò

vulgo Richenau g. 47 m. 25. in qua ædificata fuit Augia major, seu Dives Ordinis S. Benedicti. In qua scholæ olim fuerunt totius Germaniæ celeberrimæ, & ex qua benè multi literis & pietate clari exiere præsules. Unita fuit hæc Abbatia mensæ Episcopi Constantiensis anno 1548.

Cap. XXXV.

Helvetia.

HElvetia antiquum nomen gentis inter Celtas Gallos bellicosissimæ. Longitudo agri est à Constantia ad Genevam millium passuum 172. Latitudo inter Arolam & ortus Rhodani, Rhenique 76. mil. pass. ævo Cæsaris oppida habuit 12, & vicos 400. omnisque Helvetiorum Civitas fuit divisa in pagos 4. Tigurinum, Urbigenum, Tugium & Ambronium. Eos totius Galliæ imperium affectantes repressit Cæsar, & cum reliqua Gallia Romano subjecit imperio, quo everso, eam iterum Galli occuparunt; avulsam deinde à Galliis, Germani suo corpori adjecerunt. Quo languescente recuperatam libertatem, inclementia loci gens aliquandiu tutata est, donec Rodolpho Comite Habespurgio evecto in Imperium anno 1273. ejusque filio Alberto, ditione Austriacâ, aucto, domui Austriæ insinuarunt se verius, quam subjecerunt. Animadvertentes tamen postea Austrios multorum Monasteriorum jura in Helvetios redemisse, & lacessiti insolentia quorundam præpositorum, quorum unus jussit

eos

eos pileum ex pertica pro gubernatore honorare; Alius, Imperavit cuidam Uriensi dicto Tillio, ut pomum ex capite filii sagitta decuteret, populi sylvestres Suitii, Urii & Vandervadi post deletas Leopoldi Copias fœdus inierunt perpetuum anno 131 . & sese in libertatem vindicarunt, dictique sunt Suitzii à Suitio pago, in quo primùm pro libertate pugnatum, vel ut volunt alii, quòd ex eo primi auctores fœderis prodiissent: anno deinde 1329 dato diplomate Papiæ, Imperator Ludovicus armis partam libertatem ipsis confirmavit.

Tota porrò Helvetorum publica res, dispertitur in tres partes. 1. continet tredecim pagos, vicos seu Cantones. 2. Confœderatos. 3. Acquisitos. Illis ultro, his armorum vi ad fœderis societatem compulsis. Pagorum hæc sunt nomina, Schafhouse Scaphusia oppidum situm ad Rhenum in lat. 47. m. 25. Societatem iniit anno 1501. Milliaribus 4. infra Scaphusiam Rheno miscetur Thurus fl. qui amnem excipit Sintram, ad cujus fontes sedet Abbatiscella, vulgò Appenzell. In his Alpibus ingens est specus, in quam dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die, turbini similis emicat procella.

Ad Confluentem Rheno miscetur fluvius Arula, ad quem & ejus influentes siti sunt penè omnes Cantones Helvetorum. Glarona Glaris g. 46. m. 50. olim vicus, quem cum attiguo suæ vallis tractu, Monasterio Seckingen, præpositus Rhetiæ à Clodovæo Rege Galliæ, dederat anno 500. fœdus iniit anno 1351. Uri Urbigenarum

Cæsa-

Cæſaris Metropolis, Hujus vici caput dicitur Altorf g. 46. m. 24. Suitz olim Forum Tiberii g. 46. m. 35. deinde colonia Suecorum in Italiam tranſmittentium. Undervalden Sylvania, cujus incolæ primi fœdus inierunt contra præpoſitos ab Auſtriis, anno 1308. Ejus vici caput Stantz. g. 46. m. 30. Lucerna g. 46. m. 40. cui nomen à turre Monaſterii, in qua nutriebatur ignis ad nocturnos, in lacu nautarum appulſus. Zug-Tugium ſeu Colonia Tugurinorum g. 46. m. 44. ſocietatem juravit anno 1352. Berna, cujus incolæ ſe Burgundos dicunt, fœdus iniit anno 1353. urbium eſt potentiſſima, ejuſque ditio à Geneva Baſileam protenditur per milliaria Germ. propè o. Friburgum g. 46. m. 30. recens quidem, ſed oridum, patens & eximiè munitum oppidum n minori Burgundia. Numeratum eſt inter lios Cantones anno 1481. Solodorum g. 46. m. . urbs antiquiſſima ad ripam Arulæ: fœdus iniit nno 1481. in ea reſidet Legatus Chriſtianiſſimi egis. Soloduro proximi Bipennenſes & Noocaſtrenſes ad lacum ſcilicet, cui appoſitæ urs Bienna g. 46. m. 52. & Novocaſtrum g. 46. m. . quarum hæc Dominum agnoſcit Longovilum Ducem Gallum: hæc olim Epiſcopum Baienſem agnovit. Baſilea g. 47. m. 38. urbs Helticarum ampliſſima, inter fœderatas venit an1501. picturata ſunt omnia paſſim ædium vebula: ad eam influit in Rhenum Byrſa amnis, i papyri molas plures rotat. Ex univerſis Cannibus Catholicæ regionis ſunt Lucernates, Frirgii, Solodorii, Tugenſes, Urii, Undervaldi,

 Suitii,

Suitii. Proteſtantium verò Bernates, Tigurini, Scaphuſii, Baſileenſes. Utramq; profitentur Glaronenſes & Abbatis-cellenſes. Conventus totius Helvetiæ habentur aquis Helvetiis, vulgò Reich-Baden g. 47. m. 10.

Fœdus habent cum Gallis, Auſtriis, Mediolanenſibus & Sabaudis. Primùm pepigit Ludovicus XI. qui ſeptem millia Francorum in ſingulos annos, ſingulis pagis promiſit. Renovavit Franciſcus I. anno 1516. Confirmarunt Henricus II. & poſt eum conſequentes Reges variis ſubinde additis, vel immutatis conditionibus.

Cap. XXXVI.

Antiqui Accolæ ripæ Gallicæ Rheni Helvetii, Rauraci, Sequani, Triboci, Nemetes, Vangiones.

HElvetiis, de quibus jam dixi proximos, faciunt auctores, Rauracos, hi ab Arolæ Rhenique confluentibus ad eam partem Rheni, quæ opponitur caſtello Iſteyn itinere quinque horarum infrà Baſileam, in Gallica Rheni ripa conſidebant, Vogeſo monte clauſi ab occaſu. Horum 24 millia unà cum Helvetiis in bellum profecti olim. Urbs præcipua Rauracum, in quam Plancus Conſul coloniam deduxit 40. annis ante JESUM natum, dictaque Auguſta, hoc eſt, urbs præcipua Civitatis Rauracorum, nunc tantùm pagus eſt, & quidem valdè exiguus, vulgò dictus Auguſt, ſitus ad ripam Rheni 6. mil paſſ. ſu-

pra

pra Basilicam, quæ ex ejus ruinis crevit agrumque possidet.

Post Rauracos Sequani habitarunt à prędicto castello Isteyn ad Burchemium situm itinere unius horæ infra pontem Brisaci. In Sequanis fuerunt Cambete, oppidum ad Rhenum, nunc Kambs: & Argentaria, nunc vicus Horburg ad Rhenū è regione Colmarię, vel ipsa Colmaria, & mons Brisacus Brisack ex adverso Argentariæ. In Sequanorum agro continentur nunc Elsatia superior, Burgundiæ Comitatus & ager Bressensis.

Sequanis finitimi fuerunt Triboci, & his Nemetes, utrosque dirimebat fl. Motra, sicut Nemetes & Vangiones fl. Luterius, qui ortus ex oppido & lacu ejusdem nominis in Rhenum defluit ad Altam Ripam, hosque Treveri excipiebant, a omnes Germanæ originis ambitiosi, tanquam per hanc gloriam sanguinis, separarentur à Mediomatricibus, quos ab hac ripa expulerant. Sunt nunc in finibus Tribocorum Elsatiæ superioris pars dimidia Septentriones spectans, & inferioris pars dimidia illi proxima; memorantur in iis Helellum oppidum nunc vicus, Elle dextræ Elli mnis ripæ appositum, à quo regio Elsass & nūc Alsatia dicta. Argentoratum unum olim ex castellis Drusi, quod in amplissimam urbem Strasburg Alsatiæ Principem crevit. Brocomagus nunc Brunt ad Sornum amnem, & ad eundem Tabernæ Zaberne, qui miscetur Rheno ad oppidum *Offembourg*.

In Nemetibus ad confluentem Moterni amnis, fuit Concordia munimentum Romanorū

quod hodie Drusenhemium dicitur, quasi Drusi domicilium, ubi Chonodomarius & alii Alemannorum Reges cum Julio Cæsare commiserunt prælium, quòd auctores *b* dixerunt Argentoratense, quod tunc nobilissima hujus tractus urbs esset Argentoratum; fuit & Saletio, nunc *Seltz*, oppidum cum arçe ad Rhenum, ters Tabernæ, *Rhein Zabern*. Vicus Julius Germerhein. Noviomagus Nemetum, *Spir*. Alta Ripa, *Altrip*, ad confluentem Luteri amnis in extremis Nemetum finibus.

In Vangionibus urbes præcipuæ tres. Bormitomagus, seu Wormatia, civitas Vangionum. Bonchonica, nunc *Oppenheim*. & Maguntiacum, de qua fusè posteà.

a *Cæsar. l.* 1. *belli. gal. Tacit. l. de Germ. Strabo l.* 4.
b *Marcell. lib.* 16.

Cap. XXXVII.

Alsatia.

Quæ Tribocorum regio dicitur Cæsari, posteà à fl. Ill. qui olim Ell, imò & Elsas & Helellus dictus reperitur, vel à vico Elsebo, qui etiã nunc Elle, nomen invenit Alsatia. Ejus montes maximè ad vallem Leberthal turgent argento, cupro, & plumbo; Sunt & sylvæ castanearum, colles vino abundant generoso, valles pascuis, planities vi magâ frumenti, flumina salmonibus. Duplex est, superior, cujus caput Brisacum: & inferior: cujus primaria Strasburgum. Utraque dicitur continere 46. urbes, quarum eas jam recensui,

cenſui, quæ ſunt poſitæ in Germana ripa Rheni. In Gallica verò fuit Eiſemburg terminus ſuperioris Alſatiæ, arx Marchionis Durlacenſis, ex qua priuſquàm ab Auſtriacis excinderetur, poterat tormentis bellicis impeti pons Briſacenſis. In poſtremo eſt ſylva Enſenthal: Schenau arx familiæ nobilis. Strasburgum, olim Argentina, g. 48.m.25. Trevirenſium colonia à Romanis occupata, in cujus campis cum exigua manu copias penè innumerabiles delevit Julianus, & plures 30. millibus Alemannos proſtravit Imperator Gratianus. Eam deinde per 200. circiter annos obtinuerunt Franci, quando Clodovæus Apollinis Coloſſum 26. cubitos altum (cui pubes aurea, & arcus erat in manu argenteus, à quo dicebatur civitas Argentina) exturbavit, & ut caſtitatem à Deo impetraret, D. Virgini Templum ædificavit, cui anno 1277. turris impoſita pedum 574. quæ Europæ eſt altiſſima. Nam Viennæ in Auſtria, quæ in Templo S. Stephani eminet, tantùm 486. eſt: quæ Antuerpiæ 461. quæ Carnuti 378, quæ Pariſiis, 204. Nunc prima inter civitates liberas Imperii, regitur ſuis legibus. Primarii ſex Magiſtratus dicti *Ammaiſtres*, priuſquàm admittantur, probant ſe ignobiles ab octo generationibus, ambitus urbis eſt 8000 paſſuum, agger latus 18. orgiis. Ex quo hæreſis urbem invaſit, Epiſcopus ſedem tranſtulit Tabernas. Ab Illa fl. ſecatur, qui in Rhenum labitur proximè urbem, ubi ponte ſternitur, qui tribus unius horæ quadrantibus tranſmittitur. Rhen Zabern, 48.54. tenue veſtigium Tabernarum, quas hîc excitavit

Cæſar, nunc oppidum eſt Palatinatus in termino Alſatiæ.

Ad fl. Helellum & influentem in eum amnem Rubeum, urbes reperiuntur Mulhuſium, 47.40. oppidum Imperiale, quod ſocietatem iniit cum Helvetis anno 1464. quod vicini nobiles urbi eſſent infeſti. Rubeacum 47. 50. urbs à Romanis condita, ſedes aliquandiu Regum Franciæ, qui arcem in ea ædificarunt anno 623. & ſeveras in fures tulerũt leges, unde tritũ illud, *Le vieil Gibet de Ruffach eſt fait de bon bois de Cheſne.* Colmaria 47.57. urbs Imperialis, elegans, munita, vino abundans & frumento. Scheleſtat, 48 6. paludibus & Benfelt, 48. 10. operibus munitæ urbes. Ad amnem Sornum ſitæ ſunt Tabernæ Alſaticæ 48. 11. operibus & arce in monte ſita munitæ, ſubmiſerunt ſe Regi Galliæ anno 1634. Eſt & Haguenoa, 48. 40. urbs caput Laudgraviatus inferioris Alſatiæ, cincta foſſis, aquis, aggere. Supra Tabernas in Sornum labitur rivus Zintel, qui oritur ex Lotharingiæ Principatu Phalsburg, 48. 40. & ipſi proximo Ducatu Lutzenſtein. Sornus verò amnis influit in Rhenum ad inſulam Calcehouze. Denique ad lævam in radicibus voſagi ad Lutram amnem condita eſt Wiſſemburgum urbs Imperialis, in qua Dagobertus Rex Galliæ, Monaſterium ſumptibus infinitis extruxit, & dotavit anno 664. pertinet nunc ad Electorem Trevirenſem. Germeshein 49. ultima urbs in loco paluſtri, ad quam in Rheno capitur vis luporum infinita.

CAP.

Cap. XXXVIII.
Spira & VVormatia.

AMnis Spira Neustatium rigans, Rheno mergitur ad Neomagum Nemetum olim caput, quod Spiram, 49 10. dixit Rudigerus 30 ejus Episcopus, postquam urbis pomœrium, ad pagum & amnem Spiram dictos ampliavit. In Ecclesia Cathedrali multa sunt Mausolæa Imperatorũ, qui hîc sub tutela D. Virginis voluerunt sepeliri. In adversa ripa non longè à Rheno in loco palustri Philippus Spirensis Episcopus, posteaque Elector Trevirensis in pago Oudenhein celeberrimam munitionem excitavit Philippiburgum, 49. 3. dictam ab ejus effigie, quæ in omnibus portis eminet. Ab ea itinere mediæ horæ distat Sacellum D. Virginis de Wagheuse ob miracula celebre. De Manheimio & Frequendalio dixi in Palatinatu. Wormatia Vangionum Metropolis 49 32. subjecta fuit Romanis usque ad Attilam, qui eam subvertit. Instaurata deinde à Clodovæo, fuit aliquandiu sedes Regum Galliæ: sæpius in ea habita Concilia, & Comitia, quod solum mirum in modum sit fertile. Episcopatus cũ reliquis Germaniæ certat antiquitate. Inter Spiram & Wormatiam factus est conflictus ille horrendus inter Albertum Austriæ & Adolphum Nassovię Reges Romanorum electos, in quo periit Adolphus anno 1298. Anno similiter 1455. plerique Germaniæ Principes à Friderico Palatino victi sunt, & cæsi ad oppi-

dum Pfeddersheim, uno à Wormatia mill. Anno denique 1525. 30. millia seditiosorum rusticorum ibidem cæsa. Vinum in partibus illis & copiâ & generositate pollet.

Cap. XXXIX.

Moguntia.

SIta est eo loci, ubi Rhenus excipit rivos Ma, Gon, & Cia, unde & nomen. Illi dedit initium Julius Cæsar, perfecit Claud. Drusus frater Tiberii, in illa planitie, in qua modo Leprosorum domus & Monasterium sanctæ Mariæ. Hinc Drusilocus, seu agger triangularis, in summitate tricornis, Romanorum militum clypeis aggestus in honorem ejusdem Drusi, & posita statua ex cupro, tribusque totius operis cornibus superpositus, qui Drusi viscerum cineres continebat, nodus aureus, à cujus splendore dicta sæpius Maguntia urbs aurea. Ducis, qui à Romano, aut Senatu, aut Imperatore constituebatur, sedes fuit. Decies, ut minimum est eversa â Romanis, Francis, Vandalis, Hunnis, & Germanis. Clodovæus Rex Francorum Templis ædificiisque eam ornavit. Dagobertus 158. annis post eversa ejus mœnia ab Attila ad ripam Rheni, in qua nunc est, iterum ædificavit, tuncque effecta est caput Regni Orientalis Franciæ, ac Metropolis urbium Cisalpinarum Galliæ & Germaniæ. Fuit etiam Pipini patria & Regia. Hîc sæpiùs jam inde à Cæsare pontes ex navibus compacti & Rheno impositi, Carolus Magnus 10. annis arte mirabili unum

unum posuerat è ligno 500 passus longum, qui tribus horis fortuito incendio sic conflagravit, ut præter id, quod aquâ tegebatur, nihil planè fuerit super. restituere cogitabat lapideum, quando vitâ functus est: urbis figura est alterâ parte longior, circum Rhenum nobilibus templis & ædificiis ornata, & versus montem, quo Galliæ contigua est vinetis. Primus Episcopus fuit Crescens discipulus S. Pauli, de quo mentio in 2. ad Tim. c. 4. ei successerunt Præsules 40. ad S. Bonifacium, natione Anglum Germanię Apostolum, qui anno 746. primus fuit ejus loci Archiepiscopus, 14. habet suffraganeos. Willigisus Archiepiscopus 16. factus est ab Othone III. Electorum Imperii Ducatus, & mortuus est anno Christi 1011. hic memor parentis, qui plaustrum agebat, in conclavi suo rotam depingi curavit, cum hac Epigraphe, Willigise memineris, quis sis, & quis fueris; hinc rota consequentium Episcoporum insigne. Hic Elector intra mensem Comitia vocat, suffragia legit, primus jurat, moxque aliorum juramentum recipit.

Circum altare primarium Eccles. Uncialibus aureisque literis olim scriptum Ecclesiæ Romanæ fuisse filiam specialem Moguntinam Ecclesiam. Canonici in ea duo & 40. quorum tres insigniuntur mitris capita. Universitas illic instituta anno 1477. Quomodo, quando & à quo hîc reperta ars typographica, vide apud Serrarium Moguntiacarum rerum l. 1. cap. 36.

Nunc Electoris ditio constat urbibus plurimum inter se disjunctis: nam pręter Moguntiam

possidet ad Rhenum Rhingaviam, ubi castrum Ernfelt 50. In Hassia Amenebourg g. 50. m.48. & Fritzlar. g. 51. m.10. in Franconia Orbe g 50. m. 15. Inter Franconiam & Palatinatum Rheni Miltembourg g. 49.m. 38. In Thuringia Erfordiam g. 51. m. 6. Residet verò Aschasfenburgi g. 49. m. 50. in medio propè ditionis suæ, ad Mœnum. Obtinet etiam Bingium g. 49.m.54. ad ostium Navæ in Rhenum oppidum dives vini & frumenti emporium. Juxta eam in medio Rheno Turris Murium, vulgò Meustheur dicta, à Hattone II. Archiepiscopo Moguntino 15. valdè avaro, qui pauperes divitum mures vocitabat, & in Muribus in ea cõsumptus dicitur à Trithemio à Chron. anno 967. quod tamen meram esse fabulam optimis rationibus probat Serrar. lib. 4. cap. 4.

CAP. XL.

Treveri, Mosella, Leuci, Mediomatrices, Vosagus mons, Lotharingia, Luxemburgensis Ducatus, & Trevirensis Elector.

EOrum limites antiqui secundùm Rhenum ripam erant à Navæ confluente ad confluentem Abrincæ, ab ortu verò in occasum excurrebant inter urbes, quas jam dicimus *Andernach* & *Charlemont*, eorumq; limitibus continebantur Westrasiæ pars inferior inter Navã, Moseliamq; amnes: Trevíricus Episcopatus omnis, Ducatus Bulloniensis, Sedanensis ditio, ager Masiriensis, Luce-

Luceburgensis Ducatus major pars & Coloniensis Episcopatus oppida aliquot.

Oppida secundùm Rhenum sunt Bingium, quod nomen antiquũ adhuc servat, de quo priùs. Vesalia, vulgò Ober-Wesel 3. millia Pas. à Bingio dissitum oppidum, superius dictum ad differentiam ejus, quod fuit posteà inferius cõditum, ubi Lupia redditur Rheno. Bodobriga, vulgò Boppart, ubi vectigal ab evectis exigitur. Oppignerata olim ab Henrico VII. Archiepiscopo, distans 10 m. pas. à Vesalia. Hinc ad Rheni & Mosellæ confluentes 9. m pass. est Antunacum, vulgò *Andernac*, ad ostium Abrincæ.

Mosella oritur in Vogesi montis Comitatu Ferrette, vico Bussans ad fines Lingonum haud longè à fontibus Araris, alluebat olim Leucos, Mediomatricos, & Treveros; nunc verò Lotharingiam, Luxemburgum, Bipontium & Treveros, & ad Confluentiam abit in Rhenum tanto cum impetu, ut diu utriusque fluminis diversa appareat aqua.

Leuci coluerunt ripas Mosellæ & Murtæ, à fontibus ad confluentiam utriusq; amnis. Præcipua eorum oppida fuerunt Tullum *Toul* ad Mosellam & Nanceium *Nansy* ad Murtam.

Mediomatrici Gallica gens fines obtinuit amplissimos secundùm Rhenum, Mosellam & Mosam, priusquam eos à ripa Rheni expellerent Triboci, Nemetes ac Vangiones, de quibus supra. Contracti deinde inter Saranum, Mosellam & Mosam, ubi nunc Lotharingiæ major pars. Au-

ſtraſia, quæ vulgò Weſtereich dicitur, Palatinatꝰ Rheni pars cis Rhenum & Elſatiæ inferioris pars. Caput gentis Divodurum, vulgò *Metz*, alia oppida Decem pagi, vulgò Dieuze in Lotharingia. Totonis villa *Thionuille* & Scarpona, nunc vicus *Samponne*

Voſagus mons cum ſylva ſuperfuſa, in Lingonibus ortus per 25. Leucas excurrit verſus ortum ad Baſileam, Burgundiam dirimens à Lotharingia, indeque verſus Septentrionem continuo jugo, perpetuaque in eo ſylva, eandem Lotharingiam ſeparans ab Alſatia per 50. Leucas ad Moguntiam & Treviros expanditur. Ex eo Moſa, Moſella, Araris, Helellus, innumerique alii fl. in omnes partes derivantur.

Sub prima Regum Franciæ familia, Mediomatrices & Leuci, quos nunc dicimus Lotharingos, partem cõſtituerunt Regni Metenſis, ſeu Auſtraſiæ & Franciæ Orientalis: imò & ſub familia ſecunda ad annum 843. quo ea Belgicæ Galliæ pars, quæ Scaldi & Rheno comprehenſa eſt, dicta fuit Lotharingia à Lothario Imperat. cui hæc pars ex parentis Ludovici Pii hæreditate ceſſit. Diviſa deinde eſt in Lotharingiam ſuperiorem & inferiorẽ, Moſanam & Moſellanam, ſuperiori hęſit nomen Lotharingiæ, inferiori Brabantiæ. Anno ſiquidem 939. victo Ludovico Francorum Rege in Alſatia ab Othone Germanorum Rege, Lotharingię regnũ magnam partẽ venit *a* in poteſtatẽ victoris. Varia fuit deinde ejꝰ facies, nũc à Francis, nunc à Teutonibꝰ occupata, donec Otho II. eam accepit in feudum à Lothario Galliæ Rege.

ge. Qui Otho contra leges eam dedit in feudum Carolo fratri Lotharii, deinde Godefrido Barbato Comiti Arduennæ, quem Lotharingiæ Ducem constituit Carolo in vinculis detento Aureliæ. Quare verò Ludovicus XIII. Galliæ Rex eam occupaverit anno 1634. consule Duplex in historia sua. Lotharingiæ urbes secundùm Mosellam sunt Remiremontiũ.g.47. m.47. nobiliũ Monialiũ Abbatia celebris. Epinaliũ, vern. *Espinal* 48. ubi texuntur Mappæ exquisito planè artificio. Charmæ, Tollum Episcopali sede percelebri & turre eximii operis clarum, vern. *Toul*, g.48. m. 49. Fruartium, infra quod Mosella excipit Murtam amnem, qui Nanceium rigat, vulgò *Nancy*, urbem munitissimam, Ducum sedem, in lat. g. 48. m 40. Fanum S. Nicolai burgum, ante nupera bella cultissimum totius Lotharingiæ, Roserias, ubi Salinæ celebres, & fanum S. Desiderii, ubi venæ metallicæ, vulgò *S. Diey*. Auctior aquis Murtæ Mosella, abit Mussipontum, vernac. *Pont à Mousson*, castro & Academiâ perillustrem lat. g. 48. m. 55. & post minuta 15. rigat Divìodurum Mediomatricorum, quos nunc Metenses dicimus, *Le pais Messin*, caput olim regni Austrasię, nuncque urbs ampla, munita & sita loco maximè feraci in lat. g. 49. m. 10. ad confluentem Sellam *la Seille*, qui erumpens ex lacu Linderio Diusam rigat oppidum, Marsaliam Marsal, ubi salinæ & urbs munitissima. Moienvicum munitionem aliam longè celeberrimam & Vicum urbeculam operibus etiam firmatam, quæ tria loca fuerunt aliquo modo causa vastitatis illatæ

toti Lotharingiæ. Nomenium Baronia eidem Sellæ apponitur.

Post minuta 10. à *Metensi* urbe incipit, qui nunc dicitur Luxemburgensis Ducatus, aliis Mosellanus, qui olim in Catuacis & Leucis censebatur. Oppida in eo censentur circiter 20. præcipua sunt Totonis, aliis Theodonis villa, vern, *Theonville*, urbs naturâ loci & arte munita, ad Mosellam sita in lat. g. 49 m. 28. & Luxemburgium ad Alizontiam in lat. g. 49. m. 41. distans à læva *Mosellæ* ripa minutis 10. caput Comitatus, qui evectus est in Ducatum ab Henrico VII. primo ex ea familia Imperatore. Nunc est in ditione Regis Hispaniæ. Sirka *Sirck* locus utcunque munitus est in dextera *Mosellæ* ripa.

Minutis verò 18. infrà Sirkam *Mosella* excipit amnem Saram, ortum in vico Vezunze ex principatu Salmensi in lat. g. 48. m. 26. ex quo defluit ad pontem Saræ, seu Saraui *Sarbruk*, indeque transit ad Ustringam & Ducatum Bockenhein, quem Lotharingus possedit ex decreto Spirensi, mox abit Gemundam & Valdefringam, vern. *Vandrevange*, ad quam Lazurum nobile eruitur: mox excipit amnem Nidam, qui Bossonis villam, vern. *Bossonville* Abbatiam, & post salutatam Sarburg, urbem quidem Imperialem, sed juris Archiepiscopalis, abit in *Mozellam* ad munitionem Kerich.

Succedit in læva *Mosellæ* ripa in lat. g. 49. m. 50. Augusta Trevirorum, vern. *Trier*, urbs à Julio Cæsare expugnata, opulentissima totius Belgicæ Galliæ sub Clodii principatu, omnium

transal-

transſalpinarum maxima ſub Conſtantino, ſedes Imperatorum Romanorum ævo Ammiani Marcellini. Everſa deinde ab Attila, & à Francis reſtituta. Nunc Archiepiſcopum ex Electorum ordine agnoſcit dominum, cui tanquam *M*etropolitæ ſubſunt Epiſcopi *M*etenſis, Tullenſis & Verodunenſis. Inter Electores verò cenſetur ditiſſimus ob portoria, quæ exigit cùm in *M*oſella, tum in Rheno, vixque ullus eſt, qui plures habeat nobiles ſibi ſubditos. Reſidet ut plurimùm Vittelici 50. in urbe munita, quæ minutis 15. diſtat Treviris ſita ad amnem Leſerum, qui miſcetur *M*oſellæ è regione Veldentii *Veldentz* urbis, quæ caput eſt Comitatus ejuſdem Electoratus. Urbes reliquæ ſunt *M*ons Regalis *Montreal* g.50 m.:9. ad amnem Eltz Confluentia. g.50. m.2 .ubi miſcetur Rheno, & ipſi oppoſita Hermanſtinum munitio, ut creditur inexpugnabilis.

a *Flod. Regius. Otho. Fri.* 6. *c.* 19. *Goth. Viter.*

Cap. LXI.

Vbii, Gugorni, Colonienſis Electoratus.

TReveris ſecundùm Rhenum ad Septentriones ſuccedebant olim Ubii gens tranſrhenana, quæ ſedibus ſuis pulſa à Cattis anno ante natum Jesum 35. tranſmiſſo Rheno agros accepit Condruſorum & partem Eburonū & *M*enapiorum, & ripam Rheni coluerunt ab amne Aar, quibuſdam Abrinca, fluvius ad Geldubam,

quod

quod unum fuit è L. castellis Drusi, quodque volunt aliqui esse Gelre caput Gueldriæ, alii Geldub exiguum in Rheni ripa vicum, 9. millibus passuum infrà Novesium, tribus supra oppidum Ordingen, ubi nunc Coloniensis Episcopatus fermè totus, & Juliacensis Ducat9 pars maxima. Ubiis verò fuerunt contermini Gugerni, in quorum agro nunc Clivensis Ducatus sita pars magna & Geldrensis Ducatus portio trans Mosam & Juliacensis pars aliqua. Initio caput gentis Ubiorum, imò unicum eorum oppidum fit Bonna, priùs dicta Ara Ubiorum sacra Augusto Cæsari novo cœliti, ut vult Lipsius, sive Druso, ut sentit Cluverius, deinde cũ longo tempore suam probassent Romanis fidem veteranorum Colonia jussu Juliæ Agrippinæ Germanici filiæ deducta est anno à nato Jesu L. ad locum, qui propterea Colonia Agrippinensis appellari cœpit, quæ facta est inferioris Germaniæ caput. S. Maternus viduæ filius, ut putant, quem à mortuis Christus revocavit, hîc Evangelii sementem primus jecit. Romanos expulit Marcomirus Frãcorum Rex circa annum 400. & Clodovæus Clothildis uxoris præsentem Deum expertus est in prælio, quod contra Alemannos ad Tolbiacum, g. 50 m. 40. non longè à Bonna in Ubiis gessit. Francos ejecit Otho Magnus, urbemque tradidit Episcopo Brunoni, qui lapideum pontem, quo Rhenus transmittebatur, diruit, ũt volunt aliqui. Postmodum Heribertus inter Electores relatus est circa annum 996. Philippus de Heinsberg partem Vesfaliæ, cujus caput erat Ansberga, suæ acqui-

acquisivit Ecclesiæ circa annum 1180. hîc Palatium ære tectum, in quo sępiùs Elector cōmoratur ad Rorā in lat. g. 51 m. 50. ut alibi ibidem dixi, tunc verò urbis Archipręsuli suberat quidquid erat ad Oceanū, nunc autē constitutis in Belgio novarū sedium præsulibus ei subsunt Episcopi non ampliùs 4. scilicet Leodiensis, Monasteriensis, Mindensis & Osnaburgensis. Possidet verò secundùm lævam Rheni ripam Antunacum, g. 50. m. 30. vern. *Andernach*. Bonnam in planitie maximè feraci situm oppidum, in quo Elector sæpiùs commoratur, sicut & Brielii *Broël*, ubi castellum egregiè decoratum minutis tantùm 7. distans Coloniâ. Ad Bonnam finiuntur Montes Rhenenses, qui à Bingio incœperant. Ipsa verò Colonia, g. 50. m. 58. urbs est Germanicarū maxima, Emporium celebre ædificiis nitens. 55. trium Magorum & 11. millium virginum reliquiis illustris. Joannes Duns hîc sepultus anno 1308. apud Franciscanos. In Germanica ripa è regione Coloniæ excitatum Divitense munimentum. Qui nunc Elector Coloniensis idem est Episcopus Leodiensis, Monasteriēsis, Paderbornensis, tenetque præposituram Stalbo, g. 50. m. 21. in Luxemburgo & Hildesemium in Ducatu Brunsuicensi. Zontium, g. 51. m. 5. portorium est Archiepiscopi & castrum munitum. De Novesio jam dixi. Nunc de Cliviensi Ducatu.

Ducatus IV. Bergensem, Juliacensem, Cliviæ & Gueldriæ primus simul possedit Wilhelmus, qui anno 1543. cum stetisset à partibus Francorum, victus à Carolo V. ditione suâ spoliatus

est,

est, quæ tamen ipsi posteà fuit restituta, except
Gueldriâ Zuthaniaque. Hic cùm duxisset uxorem
*M*ariam Austriacam Ferdinandi filiam, ex ea sus
cepit Joannem Wilhelmum, quo mortuo sin
prole, magnæ sunt pro hæreditate ortæ discor
diæ. Nam Elector Brandeburgicus Joanne
Sigismundus, nepos Leonoræ primogenitæ so
roris Joannis Wilhelmi, contendebat sibi debe
ri. Idem sibi vindicabat Dux Bipontinus, & *Mar*-
chio Burgraviæ, filii aliarum sororum. Dum
verò omnibus repugnat Dux Neoburgicus Ba-
varus, quòd proles esset Annæ sororis alterius
quæ unica superstes erat, quando Joannes Wil-
helmus obiit: Imperator armis Leopoldi fratris,
Juliacum occupavit, illud, ut inquiebat cessurus,
cui judices dirimendæ controversiæ præpositi
adjudicassent. Batavi nomine Brandeburgici oc-
cupant Embricam, Reesam præsidiis firmant &
Francorũ armis Juliacũ. Rex Hispaniæ Neobur-
gico suppetias laturus, illud denuò intercipit,
partem hęreditatis tradit Neoburgico, & aliquot
loca Præsidiis firmat, tandem sic fœdus initum,
ut Dux Neoburgensis retineret Ducatus Bergen-
gensem, & Juliacensem, reliqua obtineret Bran-
deburgicus, Hispani servarent Juliacum, Sit-
tardum & Orsoyum, Batavi Embricam, Ree-
sam & Vesaliam, donec à principibus, quorum
nomine arma moverant satisfieret. De partibus
Transrhenanis Clivię Ducatus jam egimus, nunc
dicendum de Cisrhenanis. Ex adverso ostii Ro-
tæ Hollandi nunc obtinent oppidum *Mœurs* ag-
gere, fossis, lunulis & pentagona arce munitum.

Succe-

Succedit Orſoyum g. 49 .m. 30. Orſoy loc⁹ alius, qui habet aggerem ramis & truncis ſic implicitum à fundamentis, ut cuniculum agere in eam ſit planè impoſſibile, fuit ante annos aliquot à Principe Auriaco interceptus, ſimul cum Rhinoberga, oppido etiam ſito ad Rhenum, & ab Orſoyo vix leucâ diſſitum, naturâ & arte prævalidum. Burikum ſimiliter Batavi propugnaculis ſex firmarunt, nec longè à Rheno in regione feraci ſita eſt Santena. E regione Reeſii Rees in ripa læva Rheni munitionem excitarunt Batavi alterâ parte longiorem propugnaculis ſex, & cornibus tribus conſtantem. Idem etiam præſtiterunt ex adverſo Embricæ urbis, à qua minutis non amplius 5. nec pluribus à divortio Rheni abeſt Clivia urbs caput Ducatus, ſic dicta, vel à Clavis, quas geſtabant Menapii in bello, vel quod inter clivos videntur pendere.

Cap. XLII.

Batavia.

BAtavi Cattorum, quos nunc dicimus Haſſos, quondam populus, ſeditione domeſticâ pulſi, extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, ſimulque inſulam inter Vada ſitam occupavêre, quàm mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluſtrat. *a* Amnicarum inſularum tunc erat maxima *b* patens in longum 100. m. paſſus *c* cùm nunc inter munitionem Schen, & Graveſande reperiantur tantùm 83. reliquum ſcilicet Oceanus, vel abſtulit, vel inun-

inundationibus suis ex fronte quæ spectabat O-
ceanum,fecit insulas,quas nunc dicimus Hollan-
diæ & Zelandiæ. Batuam corruptè dixeru
mediæ ætatis scriptores , *d* & vulgus nunc *B*
tuvve. Eam duplici alveo complectebatur Rh
nus,dextero quidem qui à munimento Schenck
Arnhemium versus Trajectum Leidamque d
ctus ad Cattorum vicum,vulgò *Cattvvyck* evo
vebatur in Oceanum , qui jam à tempore *Plini*
ad hanc usque diem nomenRheni retinet,fuitqu
semper Galliæ & Germaniæ terminus. Porr
cum metus esset ne in Gallias se effunderet Rh
nus , quod hæc ejus ripa esset humilior , volu
Drusus aggerem ducere , sed fato functus, tan
tum post 66. annosPaulinus absolvit opus:quo
deinde Civilis Batavus rebellans evertit , sicqu
Rhenum in mediam effudit insulam , unde ena
tus alveus, qui nunc Lecca dicitur *de Leckhe* qu
Culeburgium, Vianam & Schonhoviam delatu
abit postea in Mosam. Præterea ab urbe Lug
duno ducta est à Corbulone fossa alia dicta nun
de Fliel,quæ per Delphum miscetur Mosæ ad vi
cum Sluys. Exinde cùm alij quoque alvei in Lec
cam,Mosam & lacus complures , qui ex prima
illa effusione orti sunt,in dies agerentur, tandem
celeberrimus ille & primarius Rheni alveus, sui
destitutus aquis non valens arenas propellere,
quas venti vehementiores ingerebant , tandem
hoc præclusum est ostium,ad quod & armamen-
tarium & arcem Romani posuerant.

Sinister alveus , qui & latior & placidior Gal-
licam ripam à Batavia separabat insula , Vahales
dictus,

ꝺus, is nunc eſt qui Noviomagum , Tiliam, omelium Geldriæ oppida, præterlapſus, adhuc omen retinet ad arcem Loeheſtin, ubi foſſa ma- u ducta junctus Moſæ, novus Moſa dicitur, ſed lterius quem habebat olim ductum aperire eſt lane impoſſibile, propter paludes & lacus, quo- im nulla mentio apud antiquos, nec non pro- ter alveos à varijs puta Merovæo Rege dedu- tos, à quo nomen Merue aliqui nomen dedu- unt: certam reſumpto nomine Vahalis, mi- eri moſæ & immenſo ejus ore in Oceanum ef- ındi.

Utrum Batavi Reges habuerint non ita cer- um, conſtat eos inter Germanorum equites fuiſ- præſtantiſſimos, armorum peritia & animo ad ggrediendum inſignes, & Romanos antiquæ ocietatis cum ipſis initæ jura coluiſſe quam reli- ioſiſſimè: enimverò nec tributis eos conte- nnebant, nec publicanus exemptos oneribus & ollationibus eos atterebat, ſed tantum in uſum rædiorum ſepoſiti, velut tela atque arma bellis eſervabantur. Batavos extra inſulam ſuam quoſ- lam agros coluiſſe, ut eſt certum, ſic qui illi fue- int certò definire non videtur poſſibile.

a *Tacit. hiſt. l.* 4 b *Zozim. l.* 3. c *Plin. l.* 4. *c.* 15. d *Aimonius. Regino.* e *Tacit.* 13. *Ann.* f *Tacit. l. de Germania.*

Cap. XLIII.

Belgij Confœderati Reſpublica.

CUm Margareta Philippi II. Hiſpaniarum Re- gis ſoror, fratris nomine Belgiũ gubernaret,

armiſ-

armiſque infeſta eſſent omnia, ad pacandam Provinciam Ferdinandus Albanus Dux an. 1567. miſſus eſt; at ſecus omninò accidit: nam aſperitate morum & animadverſionis ſeveritate, ac præſertim duorum primæ nobilitatis Comitum Egmondani & Hornani ſupplicio, omnium irritavit animos anno 1568. Ea propter Batavi, quos Hollandos vocant, & Taxandri, qui Zelandicas inſulas nunc colunt, primi anno 1572. ſignum libertatis ſuſtulere, excuſſo Hiſpanorum imperio, quod immodicis vectigalibus abſque Ordinum conſenſu exactis inviſum reddiderat Albanus. Ad illorum fœdus acceſſere ſubinde civitates cæteræ, & in eam coaluêre Rempublicam, quæ Fœderatorum dicitur. Currens annus, quo hæc ſcribo 78. eſt à tempore, quo primùm coaluit, & tamen in tantam excrevit potentiam, ut per totum orbem colonias ſparſerit, nec ullus ſit Princeps, qui plures armatas naves in bellum poſſit educere, nam præter Groningenſem agrum, Friſiam, Tranſiſalaniam, Gueldriam, Hollandiam, Zelandiam, Trajectenſem Diœceſim, partemque Brabantiæ & Flandriæ, ex quibus ipſum corpus Reipublicæ conſtat, poſſident in Africa Caſtellum *d' Arquin* in Nigritis, inſulam ad caput viride ſitam, Caſtellum S. Georgij de Mina in Guinea, in inſulâ S. Thomæ ſub ipſo Æquatore Panoaſan, ante regnum Congo inſulam Loandam, & trans caput bonæ ſpei inſulam Mauritij. In Aſia, Gueldriam in ora ſcilicet Coromandelis, in inſulâ Zeilan Columbo. In regno Seani emporium Malaca, in Java inſulâ Novam Bataviam prius dictam

tam Jacatra. In Molucis pene omnes insulas: &
n Calonesо *Belle Isle* ad Sinas arcem insignem. In
America verò Novum Belgium, plures insulas in
inu Mexicano & partem Brasiliæ.

De eorum societatibus, & locis in quibus mer-
aturam exercent, fuse egi in mea hydrographia.
Hagæ, ut plurimùm tractantur publica negotia;
rimum suffragium in Comitiis, dat Gueldria &
Zutphanium. 2. Hollandia. 3. Zelandia. 4. Traje-
tensis ditio. 5. Frisia. 6. Transisellana. 7. Gronin-
a & Ommolandicæ. Singulæ regiones regun-
ur partim à suis ordinibus, partim à Generali-
us.

Cap. XLIV.

Hollandia.

HOllandia terra est cava, sub equorum un-
gulis tremens, æstuante Oceano depressior,
c solis tuta aggeribus, quos inter nautæ, dùm per
ltum vehuntur, arborum trans aggeres cacu-
nina infra se vident. Continetur Oceano, parte
reti austrini, rivo, qui Amstelodamum jungit
Ultrajecto, indéque alveo antiquo Rheni & Va-
ali Regionis ambitus est 60. milliaribus defi-
itus, lat. 8. ubertas soli tanta ut 44. lactis hemi-
as unâ die fundant vaccæ singulæ, observa-
ūmque Ascendelphi è 4. vicinis pagis, tan-
ūm lactis uno anno colligi, quantùm è Ger-
naniâ superiore vini Rhenani devehitur Dor-
rechum. Verbo dicam, tota pascua est, na-
es ædificat propè innumeras, etsi ligno careat,
lani-

lanifica est sine lino, omnibus quædam est cum discriminibus pelagi, non notitia solùm, sed etiam familiaritas. In domesticæ suppellectilis nitore nulla orbis regio cum ea contendit. Equos habet ferendæ panopliæ idoneos, sed succussatores plerosque. Avium palustrium copia nusquam major. Censentur in ea pagi 400. & urbes 33. quarum præcipua Amstelodanum 52.26. emporium ex præcipuis Europæ in tristi, licet & squalida uligine situm ad rivos Amstellam & Danum, ex qua plus vectigalium colligitur, quàm ex reliquis statuum ordinibus, cùm tamen ante annos circiter 300. pagus esset sine nomine. Reliquæ Medenblicum 52.53. cujus aggeres algâ tecti maris rabiem spernunt. Enchusa 52.48. quæ factitij salis gloriam affectat, ubi Carolus Cæsar, & Philippus Rex Hispaniam petituri navim conscenderunt. Horna g. 52.m. 43. à portu flexuoso sic dicta, naves industria singulari ædificat, cuditur in ea Vestfrisiæ moneta. Alcmaria g. 52.m. 44. urbs nitida, vallo tuta & exsiccatis lacubus dives, ab ea leucis duabus distat lacus Zippa *le Zype* Oceani sentina, munita aggere Hontsbos g. 52.50. seu sylva Canina longum spatium patens secundùm littus, in quo muniendo contra latrantes & rabidos Oceani furores accolarum continuus labor exercetur.

Harlemum g. 52.m. 28. templo, curia, foro, structura ædium, telarum cãdore & luco insignis. Hic anno Christi 1403. vixit Sirena capta in vicino lacu quæ vescebatur pane, & nebat sed semper muta. Lugdunum Batavorum g. 52.m. 10. urbs

urbs munda, post Amstelodamum populosissima, pannis & Academia celebris, medio Rheni ostio apposita. Cattvvick Cattorum vicus Rheni ostium medium Galliæ & Germaniæ terminus Straboni. In eo deteguntur rudera arcis & armamentarii ibidem à Romanis ædificati.

Haga Comitis municipium totius Belgii pulcherrimum, sedes præfecti Hollandiæ, sacrarium juris & ærarii, ubi singulis ordinum collegiis sua sunt atria, ut de communibus negotiis decernant. Est & Palatium Principis Arausicani longè pulcherrimum, ubi trabes ex Hibernia allatæ, quæ nulla cariæ nullis aranearum telis inficiuntur. Delphium *Delft* Lotharingi gibbosi opus. Rotterodamum grad. 52. m. 3. oppidum propter mercaturam post Amstelodamum maximè celebre. Dordrachum, vulgò *Dordreck*, ad trajectum Dorti amnis, atroci tempestate diruptis aggeribus à continente Brabantiæ avulsa anno 1421. in hac olim fiebat Comitum Hollandiæ inauguratio, nulliq; adhuc ædium splendore & civiū opulentiâ cædit. Fretum Hollandiæ ingens se hîc aperit ad urbem Gerttudobergam. Pluribus pagis jam ab anno 1421. hîc absorptis. In eo tam fœlix est Salmonum captura, ut anno 1620. observatum sit in unica urbe Dordracho venisse salmones 8921. In hoc freto plures, nunc sunt, insulæ cùm olim, ut dixi superius, unica esset Batavia. Earum feracissima censetur Voorna, in qua Briela oppidum, quod opulentissimum foret, nisi eius luminibus officeret Roterodamum. In ea insula nulli tolerantur mendici, sed omnibus ex

ærario providetur: Viduę verò nisi intra triduum nubant, jus amittunt capiendi Harengos.

CAP. XLV.

Mosa.

ORitur in Galliis in monte Vogeso proximè Abbatiam *Voyge* in vico *Meuse en Bassi-gny* in lat. g. 47. m. 55. ex lacu, qui 25. minutis di-stat Lingonibus. Rivus ita exiguus, ut ad mo-lendinum Harcuriæ nono minuto à fonte, utra-que manu possis aquas sistere, ad vicum tamen S. Tibaldi m. 15. à fonte cimbas tolerat. Inde pro-gressus inter Ducatus Bari & Lotharingiæ rivum excipit, qui collem rigat, in quo Mottense castr. munitio valida jussu Galliæ Regis Ludovi-XIV. excisa, anno 1646. abit postea Novum ca-strum *Neuf-Casteau*, g. 48. m. 14. urbeculam mu-nitam, indeq; Valcurium *Vaucouleur*, g 48. m. 3 cui proximæ Arquæ *Arques* municipium, in qu orta ex pauperculo Opilione Joanna Arcuria vulgò Puella Aurelianensis dicta, quæ soluta ob-sidione Aureliæ, desperatas res Francicas restitu posteaque intercepta ab hoste Anglo & Magi postulata, Rhotomagi flammis addicta est, s redacto in cinerem corpore, cor illæsum repe-tum est. Eam Callistus III. Sum. Pont. innoce-tem pronunciavit. Sequuntur oppida Commer g. 48. m. 42. in finibus Bassigniæ, Fanum S. M-chaëlis, vulgò *S. Miel* g. 48. m. 54. in quo fuit Sen-tus Lotharingi sedes; Virodunũ *Verdun* g. 49. 10. urbs Episcopalis jam ab A. 1552. Galliæ re-

tu

tuta, quam Ludovicus XIII. arce novâ cõmunivit, Stenaium *Stenay* g. 49. m. 25. municipiũ Barrensis Ducatus naturâ & arte munitũ. Mosoniũ *Mouson*, g. 49, m. 30. urbs ab hoste tentata sæpius, & à civib⁹ semper defensa fortiter. Sedanium *Sedan*, 49. 38. munitio principatus Ducum, qui Bullonii dicuntur à Castello Bullonio sito ad amnẽ *Semoy* in lat. g. 49. m. 45. quod olim Dux Godefridus Hierosolymas profecturus Leodiensi Capitulo oppigneravit. Meseriæ *Maisieres*, gr. 49. m. 42. quam Baiardus Eques olim contra Cæsarianos generosè defendit. In ejus conspectu est Carolopolis, urbs in peninsula Mosæ, fundata à Carolo Nivernensi, postea Mantuano Duce, quæ nunc cõmunito Olympi monte à Ludovico XIII censetur expugnatu perquam difficilis. Castrum Regnautium, terminus Arduennæ Sylvæ & limes Galliæ. Arduennæ Saltus summa longitudo inter ortum & occasum fuit à Mosellæ Confluente ad extremos Atrebatium fines & littus Oceani. Latitudo maxima inter Meridiem & Septentrionem à Mediomatricorum confinio ad Vahalem usque, ut constat ex Cæsare & Strabone. Verùm hanc latitudinem nego Cæsari posse esse 500. m. par, ut ipse ait, sed ut summum 250. m. mil. latitudinẽ 150. Agris postea excultis in varias partes divisus est, quarum nunc maxima à Theonuilla Leodium usque excurrit per leucas circiter 30 hîc Andainũ, seu Andaginum, nũc fanũ S Huberti 50. 6. in quo sanantur, qui laborant rabie. Montibus hinc inde tumulatur regio in duas partes divisa, quarum una Famenna dicitur.

Famenne,corruptè *Famine*,nam frumenti omni
generis feracissima; altera Arduenna nominatur
omnisgeneris venatione celebris. Carlomon
tium 50. 9. oppidum in Comitatu Namurcensi
Carolo V. munitum anno 1555. in montis fasti
gio, ut esset propugnaculum contra Mariebur
gum munitionem à Maria Hungariæ Regina in
ter amniculos Album & Nigrum ædificatam ju
su ejusdem Caroli anno 1546. quæ in Gallorum
potestatem venerat anno 1554 Marieburgo di
stat sesqui milliari, munitio altera à Philippo H
spaniarum Rege dicta Philippopolis quinque in
structa propugnaculis, ædificata similiter ann
1555. Eidemque *Ma*riebutgo etiam proximum
est Chimacum, Principatus titulo & Palatio A
schotani Ducis insigne ad caput ejusdem Alb
amnis, qui miscetur *Mo*sæ minutis 5. supra Ca
lomontium. Dionantum *Dinan* 50. 18. Ebur
num Leodiensium prædives oppidum propt
ærea *Me*talla, Alabastrum & *Ma*rmor omnis g
neris. Arcem habet Ovalem in extrema rupe
tam. Boviniacum *Bovines* sæpius vastatum
nec non celebre ob pugnam ad illud oppidu
commissam. Namurum *Namur* 50. 28. Com
tatus nobilis, fodinas habet carbonis, ferri
marmoris. Arx sita in edito loco, urbs verò
ostium Sabis *la Sambre* in *Mo*sam, ad Sabim h
bes in lat. 50. 10. munitionem Landreceium *La*
drecy 5. propugnaculis pessimis, sed operibus e
ternis non contemnendis instructam: mox aug
tur amniculo Hepra, qui Avenias rigat arcem
Carolo V. fundatam, nec non fanum D. Virgin
de Lies

de Lieſſe, toto orbe Chriſtiano celebre: hinc abit *M*albodium, *Maubeuge* 50.20. capitulo Canoni-carum à S. Aldegonde dictum nobile.
Hoynis *Hoey* 50. 37. urbs Condruſorum Leo-dienſium ad oſtium amnis cognominis in Mo-ſam ſita, cui imminet caſtrum antiquum & illu-ſtre, hinc ad Leodium ſecundùm lævam Moſæ ripam extenſa regio, dicitur Arbain, ſeu Haſpen-govv Comitatus Juris Epiſcopalis, pars Duca-tus Hasbanii & Moſellani, cujus erant Comita-tus 4. ut habetur in capitulis Caroli Calvi. Leo-dium Eburonum urbs Primaria Belgis Luyck 50.30. Tungrorum Epiſcopatu celebris, fontibus irrigua, in qua Opificum Collegia 32. cum urbis Magiſtratu de omnibus decernunt, ſit licet Epi-ſcopus loci dominus. In ea eſt Academia olim quàm nunc celebrior, dives eſt, quia Gallorum, Flandrorum & Germanorum nexus. Hîc ex Ar-duenna ſylva miſcentur amniculi plures. Veſam, qui Limburgum alluit Urbem caput Ducatus cognominis ſitam cum arce ſua in rupe prædura, & prærupta. Ex agro circumpoſito eruitur pluri-mum æris & ferri. Thenus Franchimontium rigat Marchionatum Epiſcopi Leodienſis. Urtus amnis prodit ex Luxemburgio, ubi Rupem alluit oppidum naturâ munitum & Durbutum caput Dominatus. In eum labitur Alba amnis alius, qui prodit ex Comitatu perantiquo, cui nomen Sab-ra. Infrà oppidulum Veſetiam miſcetur Moſæ Servinum fl. qui rigat Dalhemum oppidum cum arce munitâ, & Vallem Dei Abbatiam per-celebrem. Trajecto, vern. Maeſtricht, g. 50. m. 40.

in Tungris urbi amplæ nomen à ponte, quo hîc trajicebatur Mosa, ubi rivum admittit Jecker, qui Borckvvormium perluit caput Comitatus Hasbaniæ, indeque Tungren, g. 50. 40. Nobilissimâ Galliarum Metropolim, quâ furore Attilæ funditùs eversa, iterumque à Northmannis excisa, Episcopatus primò Trajectum, deinde Leodium translatus. Ab ea urbe per 60. leucas Parisios usq; via erat strata lapidibus, aggere & peribolo munita. Inter Tungrorum rudera Virgo Tungrensis senescit nunquam, sed in celeberrimo ejus templo, quod ipsi primum in Galliis fertur consecratum, cultus ejus propter innumera cœlitus collata in dies dona, efflorescit.

Ad Ruremondam, g. 51. m. 12. Gueldriæ Metropolim, cinctam muris ab Othone III. Gueldriæ Duce, nunc frequentem habitatore, situ & arce munitam, & Episcopali sede donatam anno 1559. Mosæ affunditur Rora, qui urbes alluit Marcodurum, vulgò *duren* g, 50. m. 50. propter caput S. Annæ celebre, nec non Juliacum, vern. *Gulick*, g. 50. m. 56. caput Ducatus cognominis. Roræ miscetur amnis Vorm, ad cujus fontes longè saluberrimos, sedet Aquisgranum, Belgis Aken, g. 50. m. 48. Caroli Magni aula insigne & sepulcro, in quo sacrum ejus corpus Opobalsamo conditum, in sella sedet aurea, Imperatoriis vestibus decorum, interius tamen amictum cilicio, quo sæpius usus est dum viveret. Sceptrum tenet unâ manu, alterâ Evangelium, & peram, quam tulit, dum religionis causâ ad limina Apostolorum profectus est. Fulget in capite diadema signo

S. Cru-

S.Crucis conſpicuum,enſis affixus eſt lateri. Scutum à Leone conſecratum pendet è fornice. Quę porrò contigerint, quando Otho Imperator illud ingreſſus eſt ſepulchrum, quomodo ungues, manuum Wantones, id eſt Chirothecas, perforarant,vidè apud Cheſneum tom. 2. Ubi etiam habes Apologiam, in qua quidam Marquardus oſtendit Carolum nunquam paviſſe barbam,nec prolixam geſtaſſe. Minutis 6.infra Ruremundam eſt Venlonum *Venlo*, urbs munita ad Moſam,unde initium foſſæ S Mariæ deſinentis ad Bergam Rheni, qua duo hæc flumina Hiſpani parabant jungere. Ad validiſſimam munitionem *Gnenep.* Moſa admittit amniculum *Niers*, ad quem ſitum Gueldria oppidum,vulgò *Gelre.* Sequuntur ad Moſam Gravia urbs munita. Megha & Raveſteinum oppida præcipua Comitatuum, qui ab illis nominantur. Ad munitionem S.Andreanam, aliamque ipſi oppoſitam in inſula, Voorna Moſa primum jungitur Vahali, moxq; ab eo ſejunctus excipit Domelam amnem, qui Boſcum Ducis rigat,g.51.m.40. Abit deinde Hueſdenum,& ad urbem Gorcum,g.51. m.56. iterum miſcetur Vahali : hæc urbs opulenta eſt, munita,ex ejus turri duo & vicena oppida muris cincta contueris, arcem habet cultiſſimam, & portum commodū. Hinc fretum ingens ſe aperit,pluribus pagis,jam ab anno 1421.abſorptis. Ad illud eſt Geſtrudoberga,& in eum aquas immittit fl.Merke,.qui rigat. Bredam urbem munitiſſimam captam fame ab Hiſpano,menſibus 11 receptam duobus menſibus fortitudine exercitus Batavici.

CAP. XLVI.

Insulæ Hollandicæ & Zelandicæ.

AD ostium Rheni unicam olim fuisse insulam dictam Bataviam dixi superius, nunc ad Mosæ ostia hæ sunt præcipuæ. *Ouormars* insula Roterodamo opposita, ubi gleba totius Hollandiæ feracissima. Vornannus ager multis constans insulis, in quibus nascitur Helm aptissima ad firmandos aggeres. Præcipua urbs Helium Castellum nunc Briela *Briel*, ubi jacta fundamenta confœderatorum Statuum, Anglis in eum finem oppignerata, deindeque redempta. Goërea additur à quibusdam Vornano agro, urbeculæ habet plantam, non mœnia.

Ab Hollandiæ insulis modico freto separantur insulæ septem, nunc dictæ Zelandicæ, vel à Zelandis Danicæ insulæ populis, vel à verbo *Zee*, quod ipsis idem est, quod aqua. Orientales ab Occidentalib⁹ insulis, discriminat Scaldis amnis. Orientales præcipuæ sunt tres Tolla à vectigalibus nomen sortita, Brabantiæ contermina. Duuelandia, cui nomen à columbarum frequentia, in qua urbes multæ, quæ peierunt anno 1530. Scaldia quæ maris sævitia in dies atteritur, Occidentalium insularum primaria & maxima Suitbevelandia, à qua avulsa civitas Romersvvallia, quæ unica salis negotiatione subsistit. Huic in Boream Norbevelandia opponitur, cujus magna pars aquis jam periit. Inter utramque *Wolfersdiich*, duos saltem pagos habens. Walchria, *Walcheren* Brabantiæ obversa est, urbes continet Ulissin-

Ulissingam Anglorum, & Francorum navigatione, necnon Principis Arausicani Palatio claram, Middelburgum urbem munitam, in qua vini Stapula, & Camponeriam: quæ omnes pascuis abundant & cuniculis, sed aër ibidem paulo est asperior.

Eas multâ effossione à continente Flandriæ dissecuisse Impetatorem Othonem anno 980. habent Annales Hollandiæ, & insulas fecisse, ne à Francis facilè occuparentur. Rollonem posteà Danorum Ducem Valachriam aliquandiu, eiq; vicinas insulas tenuisse, priusquàm in Gallias transmitteret, ostendit Pontanus in historia Daniæ.

Cap. XLVII.

Belgium.

Galliæ Belgicæ limites statuunt plerique, post Cæsarem l. 1. Comment. Rhenum à medio ejus ostio ad Tribocos, hincque lineam ductam per fontem Matronæ, ad ejus os in Sequanam, inde ipsum Sequanam, & maris Oceani littus, inter ostia Sequanæ & Rheni. Strabo eam producit ad Ligeris ostium, & inter Belgas, quorum populos numerat 15. ponit Venetos. Qui Cæsarem attentius legerit, maximè libro 5. & 8. judicabit genuinos Belgas, à quibus est cæteris inditum nomen, fuisse Bellovacos, Veromanduos, Ambianos, & Atrebates. A Scaldi ad Sammaram, secundum littus incoluerunt *a* olim Taxandri, Morini, Oromāsaci, Britāni Ambiani, Taxandri natio Germanicæ originis, à T. Labieno Cæsaris Legato domita, eas partes

obtinebat,in quibus nunc insulæ Zelandicæ. Oppida certè neque tunc, neque multis sæculis post habuere post Cæsaris ævum.

His succedebant Morini à proximo mari sic dicti,ab iisdem insulis ad Bononiam usque extensi, Belgarum extremi respectu urbis Romę.Hi similiter ævo Cæsaris, nec urbes,nec oppida habuisse noscuntur, sed in tuguriis habitasse, omniaque quæ habebant cara abdidisse in paludibus & sylvis, quibus tuti plus damni intulerunt Romanis, quàm ab ijs ipsi acciperent. Hi omnes ipsisque conjuncti ad Amisim & Rhenum, sunt postea à depressiore regionis situ, & quod pro majori parte lingua Teutonica utantur, Germani inferiores dicti. Flandros nunc vocamus ab una earum clarissima Provincia. Collabente Imperio Romano Franci anno 431. transmisso ad Duisburgum Rheno, prima Regni Franciæ jecerunt fundamenta. Frisia similiter postquàm jugum Imperij Romani excussit annos ferè 400.sub Regibus suis stetit donec illis extinctis omnes eas partes ad Daniam usque Carolus Magnus sibi subjecit: cum verò per extima Galliæ Belgicæ littora Lidericum,Harlebecum,Saxonem, Gardianum, & Forestarium Flandriæ constituit, & Comitem seu Præfectum littoris & syluosæ regionis; cui ex gratia Regum Franciæ, successere varij ad Balduinum de brachio ferreo cognominatum, qui Comes Flandriæ creatus à Carolo Calvo,in gratiam Juditæ filiæ, quæ ei nupsit. In alijs similiter Provincijs circumpositis, varij fuerunt à Gallis constituti Comites, quorũ ditiones

per

per varias subinde affinitates diversis Principibus adhæserunt, donec tandem anno 1356. ad Philippum Franciæ, Ducem Burgundiæ, cognomento audacem, Joannis Regis filium, qui Margaretam Ludovici III. Flandriæ & Burgundiæ Comitis hæredem duxerat uxorem, plurimæ dynastiæ pervenerunt. Occiso verò hujus pronepote Carolo Burgundiæ Duce ante Nanceium, anno 1477. Januarij 5. quando non jam Burgundiæ Dux, vel Comes Flandriæ, sed Gallicæ Belgicæ Rex appellari, omni arte satagebat, Maria ejus filia & hæres, anno 1477. Augusti 20. nupsit Maximiliano Friderici Imperatoris filio, & nobilem antiqui Belgij partem, in Provincias 17. ad imitationem antiquæ Galliæ, tunc divisam transtulit in domum Austriacam, in qua ad hanc diem perseverat, si partem illam excipias, quæ ab anno 1572, in Remp. coaluit quæ Fœderatorum ordinum dicitur, & aliam quam Franci his ultimis bellis occuparunt. Quatuor fluminibus præcipuis irrigatur, scilicet Agnione, Lilio, Scaldi & Demero; quæ omnia ad Candavum confluunt, hincque varijs ostiis & canalibus in æstuarium Zelandicum evolvuntur.

a *Plen. lib.* 4. *c.*17.

Cap. XLVIII.

Agnio, vulgò Aa.

A A Danis, Belgis & Teutonibus, fluviolum significat: hic noster oritur in Atrebatibus in Marchionatu *de Renty*, eo penè loco, ubi com-

commissum acre prælium anno 1554. inter Imperatorem & Regem Christianissimum. Hinc secundùm fines Morinorum progressus, perlabitur Abbatiam *Sithieu*, quæ nunc Audomaropolis *S. Omer*. 50.45. intra cujus Ecclesiam D. Bertino sacram, ex quo sepultus in ea D. Audomarus nulla mulier viva est admissa, nec post mortem sepulturæ mandata, Huic proximus est lacus, in quo enatant mobiles insulæ pascuis uberes. Mox sinuose per Vindocinensis Ducis Vicecomitatum *Bourbourg*, tendit Gravelinguam *Graveline* 51. oppidum ejusdem ditionis, à Theodorico Elsate conditum anno 1528. à Carolo V. in cujus urbis conspectu; post atrox prælium Polemarchus *de Termes*, captus est anno 1558. ipsaque tandem vi capta à Gastone Franciæ Regis Ludovici XIV. patruo, anno 1644. Hinc aquarum parte ad singulos portus effusa, junctus amnibus Emelo & Colmæ, sui parte maximâ Oceano parallelus agitur per Slusam in Euripum Zelandiæ. Sunt verò urbes in hoc littore celebres *Mardic*, armamentarium nauticum Belgij. Dunikerka 51. 5. à Balduino fundata anno 966. & nuperrimè capta ab invicto Principe Enguineo, anno 1646. sic dicta à templo, quod *Kerke* Flandri dicunt, & rupibus quas vocant *Dunes*. Et vero ejus turris sic eminet, ut ex ea Duverana rupes Angliæ appareat. Subit postea lacum *Moêr*, qui ita altus est, ut naves, quæ Dunquerqua, Furnas & Neoportum commeant, interdum absorbeãtur. Ad Neoportum *Nieuport*, 51. 7. qui mœnibus cinctus est anno 1383. Agnio excipit Iprium fl. cui nomen ab urbe Ipra

50.53.

50. 53. in solo totius Flandriæ feracissimo sita, cujus equi, butyrum, & domesticæ volucres sunt in pretio. Laudantur & quæ sunt in foro publicæ porticus, quarum ligna ex Dania, ut creditur allata, quòd toto mari interjecto fluctuarunt, nullis aranearum telis inficiuntur. Ostenda 51.13. celebris obsidione, quam toleravit annos tres, menses duos, & dies quinque, tandemque dedita anno 1604. ajunt ad eam periisse hominum 72124. in urbe 50000. Brugæ 51. 11. Emporium olim Hanseatici fœderis, urbs tota pascendis oculis dicata, propter ædificia & cultum civium, laudatur & hydraulica ejus machina. *Dame*, munitio celebris, ad quam nundinæ equariæ mense Majo Slusa, Sigeberto Clausulæ, vulgò *Sluys* capacissimum habet portum, quem Zuinum vocant, in quo & locis ipsi proximis Carolus VI. classem paravit 1400. navium, cùm invadere Angliam cogitaret.

Cap. XLIX.

Lilium fluvius.

Lilium, *le Lis*, fluvius ad instar Lilij argenteus, alijs dictus Lisa & Legia, fontem habet in vico *Lisbourg*, in quo S. Audomari Morinorum Præsulis corpus, quod Hugo Quintinopolim transferre moliebatur, immotum stetit ad ann. 843. quo in *Sitieu* relatum urbi nomen dedit. Vix à fonte Lilij minutis 4. distat Azincurtius pagus in quo 25. Octobris, anno 1415. commissa pugna

adverſus Anglos, in qua flos Gallicæ nobilitatis perijt: ad proximam Abbatiam *Rouſſeauville*, locus adhuc oſtenditur, in quo mandata humo occiſorum cadavera. Poſt aliquot minuta recipit Meldam amnem in vico Eſca ortum, haud procul Audomaropoli, ubi exiſtimo fabricatas naves 40. quas Cæſar in reditu è Britannia reperit factas in Meldis: quid enim cum Matronenſibus, aut Narbonenſibus Meldis Cæſari, tunc commune? Lilium admiſſo Melda apud Thinnas petit Taruennam 50. 38. à Romanis conditam, à Vandalis everſam, à Saxonibus reſtitutam, à variis Principibus obſeſſam, & à Carolo V. everſam funditus anno 1553. Hinc abit Aerias, *Aire*, 50. 38. quæ urbs eſt altera parte long or bella & munita, à Gallis capta, & ab Hiſpanis recepta, anno eodem 1641. ab ea Audomaropolim uſque Balduinus Inſulanus, Flandriæ Comes, duxit foſſam plenam aquis, *le Neuf foſſé*, ut limes eſſet Arteſiæ. Excipit deinde amnem Limpidum ortum ad Perniacum, qui Atrebatenſem Epiſcopatum proprie dirimit à Morinico ſeu Tarvennenſi: mox alium qui Bethunias caſeis celebres alluit. Duellam poſteà admittit, qui inſulas *Jisle* 50. 37. rigat Gallicæ Flandriæ urbem præcipuam, in qua ingens commercium panni cilicini, qui lubrico pilorum texto arcendæ pluviæ eſt aptiſſimus. In ea hodieque apparent rudera caſtelli *de Bucq*, ubi ſedes olim Sylvanorum Flandricorum, qui toti Provinciæ præerant, à Regibus Galliæ conſtituti. Auctus aquis Cortracum petit 50.50. urbem ex antiquiſſimis Belgij, unde

Remos

Remos usque via fuit lapidibus strata : ad eam tempore Philippi pulchri commissa est pugna Gallis cruenta, tandem abit Gandavum, ubi miscetur Scaldi.

Cap. L.

Scaldis fluvius

Fons ejus in Veromanduis altera leuca suprà Castelletum 50. munitionem in finibus Galliæ sitam palustri loco; in stagna mox dilatatus Atrebates ingressus Cameracum abit 50. 9. urbem Archiepiscopatu celebrem & arce quam Carolus V. in monte Gaugerico excitavit annó 1543. ut de tenuissimæ telæ officina taceam. Exinde Bochanium 50. 15. alluit oppidum Nerviorum, quod Pipinus fundavit in memoriam devictarum in eo loco Theodorici, ut ajunt, copiarum Urbem ingreditur Valeucenas 50.21. propter loci amœnitatem variis gratam Principibus, telà quam Sayam vocant, & stapula vini Francici celebrem Pergit Condatum 50.25. oppidum quod Dux Monpenserius vendidit, ut se redimeret, quãdo in prælio ad D. Quintini captus est. Ad Condatum, Scaldis amnem excipit Henium, à quo Hannoniæ nomen, ortum in Saltu Carbonario propter Bingiũ 50. 24. ubi Margareta Hungariæ Regina Carolum V. fratrẽ suum excepit, an. 1549 & palatium hortosque ad delicias excitavit, in quibus laudabatur Ceres alta pedes 28. Mons Parnassus ex cocleis gemmarum & Corallio, Fons Helicon cum novem Musis ex marmore, &

Mallu-

Malluvio ex Porphyrete. Mensa operis musivi, & innumeris testulis versicoloribus, quæ urbem Bingrum referebant ad vivum. Herbulæ & flores tanto artificio ficti, ut licet ex solido essent metallo, levissimo tamen auræ flabello moverentur. Plantæ ex remotissimis conquisitæ orbis partibus, columnæ marmoreæ, fictitium cælum, quod præsente Carolo V. intonuit, pluvias & fulgetra immisit, & alia innumera, quæ anno 1554. Rex Galliæ in cineres redegit, memor injuriæ ab eadem Regina acceptæ, quando vastata Picardia, hortis Regijs & Palatio *de Folambray* 49.30. prope Noviodunum faces intulerat. Idem Henius Montes *Mons.* 50.25 alluit Hannoniæ urbem præcipuam, in cujus agro fodinæ sunt ferri, plumbi, marmoris, carbonis, & calcis. Henius, Trullam excipit venientem Bavaco 50. 16. urbe antiquâ, in cujus foro dicitur Brunichildis Regina statuisse columnam, à qua inchoarent viarum capita, quæ in omnes Galliæ partes feruntur, vulgò *les chemins de Brunehaut.* Verùm hæc est eadem via, quæ Tungris Parisios. Ad pagum *Mortaigne,* in scaldim influit Scarpius amnis, qui ortus in monte S. Eligij urbes alluit Nemetacum vulgò *Aras:* 50.15. Atrebatum Metropolim, quæ licet 42. leucis distet Parisijs, unâ tamen die non mutato equo ad eam pervenit Joannes Burgundiæ Dux, post necem Ducis Aureliæ. Commendatur in ea S. Vedasti cœnobium dives: Manna quod D. Hieronymus suâ ætate illic pluisse refert in Epist. Cereus acceptus celitus, miraculis clarus, habitationes subterraneæ & urbis fossæ cum aggere,

aggere, cui externa opera non pauca addiderunt Galli, ex quo eam occuparunt anno 1640. Eandem urget ripam Duacum urbs in cujus Academiâ, auditores Philosophiæ numerati mille ducenti. Mox Origiacum *Orchies*, sequuntur ad Scaldim Lannovium 50. 50. ubi ex lino & lana texitur Holosericum adulterinum, vulgò *Tripe de velours*. Hujus loci dominus erat Lanovius ille Prorex Neapolitanus, cui se dedidit Franciscus I. Galliæ Rex, ad Papiam bello captus. Tornacum *Tournay*, 50. 36. Ecclesia Cathedrali celebris & muro ex crassiori marmore coloris cærulei. Oudenarda 50. 50. ubi telæ, & peristromata magno numero texuntur. Gandavum 50. 5. Flandriæ Metropolis, varijs fluminibus partitum in 27. insulas, quæ pontibus 98. committuntur. Hîc Dominicanorum Ecclesiam obstupesces latam pedes 60 sine ullis columnis.

CAP. LI.

Demerus fl.

ORitur in Eburonibus prope Tungros: urbes alluit Leodiorum *Bilsen*, g. 50. m. 54. & *Hasselet*. Illi proximum est S. Amoris Monasterium prædives Canonissarum, videtur etiam *Curinghen* Palatium â Cardinale Marchano excitatum quò Leodij Episcopi solent divertere. Diestum oppidum 51. in Ambivaritis, Baronia Nassoviæ gentis, ad quam etiam pertinet oppidum Sichemium, in cujus finibus medio illinc milliari collis exurgit leni fastigio, quem acutum

vulgò

Vulgò dicunt, in cujus quercu reperta à pastore Deiparæ icuncula, ad quem incredibilis hominum etiam dissitorum concursus propter mira quæ ibi patrantur, etiam excisa arbore. Arescotum, ita vestutiores dicunt, Ducatus titulo insignitum à Carolo V. in gratiam Guillelmi de Croui. Mechnia g.51 m.2. urbs in umbilicio olim Ambivaritorum, nunc Brabantiæ, Archiepiscopatu, & supremo Belgij Senatu illustris, Demermunda urbs sita ad confluentes Demeri & Scaldis in qua texuntur panni quos dicimus *Futaine.* In Demerum influunt, *Geest* qui perluit Tillemontium g. 50. m. 48. urbem sæpius captam & receptam. *Dielins* qui Lovanium g. 50. m. 53. urbem Brabantiæ primariam quæ anno 1427. jussu Philippi Audacis dimensa, major deprehensa Gãdavo tribus Virgis, Leodio 8. Parisiis decem, Colonia 18. Ipsum verò continere virgas omnino 3691. singulis pedes assignando 14. referunt qui de ea urbe scripserunt, quos ego falsitatis manifestæ, ut convincant, an tum dico, Parisiensis civitatis Pomerium, quod ab eo tempore fuit toties amplificatum, nec dum eam habet amplitudinem, quàm ipsi volunt, tunc obtinuisse. Illius Academia fertur instituta anno 1422. Zena, fons ejus in Hannonia, rigat Halam oppidum modicũ, ubi sacellum D. Virginis, cujus religio ingredientes tangit, & concursus maximus, propter mira quæ crebra & assidua ibidem fiunt. Bruxellas g. 50. m. 52. quæ nunc est sedes Principum Belgij propter situs amœnitatem. Conservantur in ea exuviæ equi qui Archiducem Albertum ex prælio

Nipor-

Niportensi reportavit, qui cauda & juba humum verrebat. Viluorden castrum, in quo asservantur authêntica privilegiorum Brabantiæ.


Cap. LI.

Æstuarium Scaldis,

AD Gandavum, Oceani reciprocantis æstum sentit Scaldis, trigesima ab ostio leuca: quæ spatio illo reperiuntur celebriora loca sunt Rupelmunda, Mercatoris eximij Geographi patria, & eorum qui Principi dubia fide putantur, custodia. Antuerpia, ocellus urbium Brabantiæ & Emporium celeberrimum, antequam bellis civilib⁹, excitatæ arces Liloę, machinis & tormentis bellicis eò navigantes impeterent. Visenda sunt in urbe non pauca, ut fluctuantes terræ, quæ ventis, vel conto quolibet impelluntur. Horologium, cui tam suavi modulatione anteambulus cuique horæ ludus est, tam plena symphonia, ut admirationem stuporemque adventantibus creet. Senatoria domus, cujus elegans structura, certat cũ maculoso & candicante quo constat marmore, Bursa, Osterlinga domus officina Vitri, castellum aquarium, dispensandæ in universam urbem novam per subterraneas formas, tubósque aquæ, industria & velocitate mira. Typographia Plantiniana in qua 100. prope characterum genera. Sinus octo, atque hinc navium in ipsa urbe receptacula totidem, quæ grandiores onerarias 100. de facili excipiant. Prominentes è littore aggeres, in quibus fora sunt littoralia, urbis

moenia

mœnia octo validissimis in mutuam tuitionem procurrentibus propugnaculis, præter arcem quinque propugnaculis mutuo se defensantibus firmatam. Ecclesia denique Societatis nostræ, quæ non ultimum est hujus urbis miraculum. Ad Castrum Saftingen quarta infra Antverpiam leuca, Scaldis in duo se dividit cornua, quorum alterum versus occasum profluens *Hont* dicitur & post leucas 12, Oceano committitur inter Slusas & Walcriam insulam. Alterum cornu in Septentriones labens ad urbem Bergam, g. 51. m. 30. Soomam excipit amnem, iterumque in duo brachia divisum, quorum unum *vos Meer* dicunt & una leuca supra *Tolen* influit in Mervam verum Scaldis ostium tempore Cæsaris: alterum Zelandiam in varias partitur insulas & Scovvnam inter & Valacriam in Oceanum evoluitur. Nullum hoc in tota Europa flumen magis piscosum. Canes marini in ejus littore exponunt ova, catulos fovent & lactant, donec aquas subeant, pilosi sunt, sed vocis ingratæ.



GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

PARTIS PRIMÆ.

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

Mare Britannicum, & insulæ in eo.

CUm mare, quod Galliarum pulsat littora à Rheno ad Sequanæ, *a* vel etiam Ligeris ostia, majores dixerint Britannicum, quando Albion necdum appellabatur *b* proprio nomine Britannia, nec ullis adhuc erat ad navale bellum armata navigiis, contenta *c* vimineis: E contra verò Galli imminentes Oceano, portus obtinebant præstantissimos, prœliares Gaulos magni modij numerabant bene multos, omnésque eos, qui eodem mari uti consueverant, habebant *d* vectigales: non planè aliena à verò erit ejus ratiocinatio, qui dixerit, hoc ipsi nomen fuisse impositum à Britannis Galliæ Belgicæ populis, quos Plinius post Gessoriacum pagum ante Ambianos constituit *e* quos Dionysius celebrat, & post eum Eusta-

Eustathius: Britannorum inquit nomen ferentes sunt è regione Britannicæ insulæ. Ex quo autem à Britannis, Atrebatibus, Morinis & Armoricis hoc est Gallis ad mare positis in varias hujus maris insulas missæ sunt Coloniæ, omnes communi nomine primùm dictæ sunt Britannides, deinde earum præcipua appellata est magna Britannia, tandémque mare his omnibus circumfusum, ab ultima *Thule* ad extremum Galliæ cornu dictum est Britannicum, cujus partes sunt Fretum Pinthlandicum, mare Scoticum seu Calcedonium, mare Vergivium, seu Hibernicum, & pressiùs dictum Britannicum. Pinthlandicum fretum dicimus, eam maris hujus partem, qua è Cathenesia Scotiæ parte maximè boreali versus Orcades periculosè omninò navigatur propter impetum quo labuntur adversantes sibi undæ, cum à mari Germanico, tum ex Occidentali per varios insularum anfractus reditúsque emissæ.

Caledonium mare alluebat, quicquid Britanniæ ultra murum Antonij Pij versus Septentriones utrinque prominebat, quod omne spacium sylva Caledonia in immensum, per incurva Grampij montis diffusa, occupabat. Tamen magis propriè qui partem ejus incolebant sinistram hoc est ortivam, Vecturiones dicti reperiuntur: *f* qui dexteram, seu occiduam Deucaledonij (*Deheu* enim Britannis dextrorsum significat) à quibus & Deucaledonium mare.

Quòd autem à Deucaledonio mari vergit ad occasum & austrum, in quo sita Hibernia, Vergivium mare dicitur à plerisque, & si sint qui ver-

nacu-

naculum putent hoc nomen Hibernis. Vallem Scythicam appellat Gildas eam Vergivij maris partem quæ Angliam separat ab Hibernia quæ nunc dicitur Canalis S. Georgij, cujus periculosa admodum est navigatio propter concursum fluviorum qui ex utraque insula tanto cum impetu in eum prolabuntur, ut insolito æstu penè semper videatur effervescere.

DeniqueBritannicum mare dixitPtolem.quod Britanniæ partem Australem rigabat. Nunc totum illud quod Angliam inter & Galliam excurrit passim Galli vocant.*La Manche*, Hollandi Canale, Angli Sleifl.

a *Plin. l.* 4. *cap.* 19. b *Ptol. tab.* 1. *Europa. Virgilius.* c *Paneg. dictus Maximiano.* d *Cæsar de bello Gallico.* e *Plin. l.* 4. *cap.* 17. *Pomponius Lætus.* f *Apud Marcellin.*

CAP. II.

Britannicarum insularum commendatio

BRitannides naturæ gaudentis opus, miraculorum orbis epitoma, insulæ fortunatis beatiores, in quibus mite cœlum mensibus æstivis, & hyems non inclemens ob perennes auras quæ circumfluentis maris tepore recreatæ homini pecorique blandiuntur. *a* Numerantur plures 350. pleræque omnes lætis & dulcibus herbis abundantes: aliquæ tam uberes habent segetes & luxuriosa frumenta, ut Cereris & Liberi muneribus abunde cæteris sufficiant. Certum Romanos olim

olim ex iis tanquam & Occidentalis Imperij altero horreo, octingentis navibus frumenta quotannis exportasse *b* ad limitaneos exercitus alendos per Germaniam. Dicam postea regiunculam cujus solum probe subactum sponte fundit hordeum absque omni semine. Sunt in iis sylvæ feris plenæ omnis generis, in quibus venationes publicæ sæpiùs in anno instituuntur, in quarum una pedicæ & capistrum interdum quingentis sylvestribus equis iniicietur, qui intra sex menses fiunt cicures & generosi, modo non sunt vetuli, alibi una venatione octingenti cervi mactabantur. Narrat Lellæus Episcopus visum à se Cervum vastæ molis cujus obesum, seu pingue latum erat decem digitos. Sunt vaccæ Candidæ, quarum adeps solvitur in oleum. Sunt tauri densè instar leonum jubati, nec minus truculenti. Sunt oves, quæ carnium teneritudine omnes superant, quæ vellerum mollicie certant cum Apulis, sunt, quæ auro videntur tinctæ, sunt, quæ tergeminos edunt partus, sunt, quæ terna, quaternáve habent cornua: sunt arietes, qui sena. In quibusdam sunt equi, qui Asturconibus non cedunt fortitudine, nec alacritate: alibi qui gradientes per stagna vix tenui luto insidentium ocreas inficient, ita molliter ambulant: sunt, qui flexis poplitibus paludosa loca transmittunt per quæ vix pedites audent insequi: sunt & gradarij adeò agiles, ut quoscunque antevertant. Quid dicam de canibus, quos dixerunt antiqui Agasseos nunc Agassehound, sunt villosi, qui aves imò, qui pisces acutissimè odorant. Sunt rufi, nigris respersi macu-

maculis,quorum tanta ſagacitas, ut fures & abigeos ad 20. leucas ſine ullo errore aſſequantur, tanta audacia & fide, ut in iis pluſquam in forti milite ſpem ſalutis reponant domini. *Si* conferam me ad montes, aliquos reperiam candidi marmoris, ex nonnullis præcipitant torrentes in quibus auri ramenta. Sunr magneſij lapidis ingentia ſaxa, rupes adamantum feraces, ſunt ex quibus lazurium paſſim eruitur: ſunt Gemmæ, ſunt Margaritæ Indicis tantum inferiores, ſunt & thermæ jam ex antiquo celebres. Compertum nullibi-gentium carbonis foſſilis ſtanni & plumbi ditiores eſſe venas unde & Caſſiterides dictæ. In quarundam inſularum ſylvis & rupibus falco, niſus, accipiter, aquila ponunt cubilia, in aliis Gallus Faſiano colore & ſapore perſimilis, qui piſciculis victitat, alibi Guſtarda guſtu perdicem referens, olorem magnitudine. Ad lacus ſi me converto, Lucios, tructas & ſalmones tam copioſos reperio, ut piſcatores retium rupturas tantum conquerantur; ſi ad littora, hîc electri maſſas ingentes reperias, alibi conchilia & uniones non contemnendos, ubiq; verò piſcium omnis generis, ſed maximè harengorum tantam copiam, ut is ter mille naves quot-annis onerentur.

Imprimis verò laudanda corporis conſtitutio nſulanorum, quorum aliqui centenarijs majoes ſub dio in medijs nivibus dormiant ſuaviter. Robur quorundam qui repagula ferrea confregerunt. Nonnullorum qui centum viginti milla paſſuum pedites inambulant continenti tractu, aliorum qui intra ſpaciũ leucarum 12. equilis

K regij

regij celerrimum jumentum prævertunt: pluri-
morum qui feras assequuntur cursu,& ad luctam
provocant. Hospitalitas talis apud eos, ut vi
publico sit opus diversorio, ita passim private-
rum domus omnibus apertæ sunt, gensque pe
hospitalis: ingenio sunt ut plurimum docili, a
doctrinam prompto, & in deposcendis per
culis audaci; sed præcipua est adolescentu
ingenuitas, tantáque oris venustas, ut non alic
vultus induere Angelos existimem,cum se viser
dos præbent hominibus. Ipsa etiam mancipi
proceræ staturæ laudavit Strabo. A nullis Roma
ni duriùs habiti, etiam muliere, hoc est Buduic
Regina ducente ordines; Macres equos sperne
bant Romani, velocissimos experiebantur; ride
bant brevem gladium, & hastam ad cujus pa
tem inferiorem erat affixum pomum ex ære, hu
jus tamen Sonitu territi sæpius, & illius certo
ctu confossi.

Ante Christi adventum, pelliceis induti vest
bus,vel potiùs nullis,corpore glasto infecti, pro
misso capillo, & barba omnino rasa, præter la
brum superius, pro oppidis sylvas colebant, di
jectis in circulum arboribus impeditas, viveba
lacte & carne; lepore, gallina & ansere abstin
bant, uxores habebant deni duodenique inter
communes, fratres cum fratribus, parentes cu
liberis, & palam iis miscebantur ut canes. Adra
sten,hoc est Nemesim, Andatem seu victoriam
& Minervam pro numine coluerunt Druydæ eo
rum Sacerdotes. Ex quo autem Christi luc
sunt imbuti, fuit apud eos pietas eximia, Britan
nido

nides insulæ prima terra Dei, prima Sanctorum terra, & tumulus Sanctorum dictæ sunt. Monasteria ædificata sive numeroi; duo tantùm commemorabo, unum in quo fuerunt simul Rectores 7. qui trecentos singuli Monachos regebant, aliud in quo tanta cum suavitate vacabant pietati, ut propterea Suavicordium diceretur.

Hæc si placent, non pigeat legere consequentia, in ijs longè plura reperies adhuc gratiora, ab authoribus fide dignissimis excerpta, quæ si essent in omnibus hisce insulis passim obvia, in ijs majores debuisse Campos Elisios statuere confidenter pronunciarem. A minoribus insulis ducamus initium, ad majores facturi gradum, ut tandem in proximam ipsis continentem Galliam, ex qua digredimur, oratio revertatur,

Minutius Fœlix & Tacit. b *Vide Zozimum & Marcellinum, ubi de Iuliano.*

Cap. III.

Orcades.

AD Septentrionem Scotiæ sunt Orcades vern. *Orcadnay*, numero 83. si credimus Isidoro, re vera autem 33. è quibus 13. habitatæ. Incolæ lingua utuntur, vel Scotica, vel Gothorum antiqua; tritici apud eos omnino nihil: Arbor nulla aut frutex, præter Ericam; crassiori junco horrescunt aliquæ, alias nudæ arenæ & rupes nent; boves & capræ frequentes: oves sæpe partus geminos imò & tergeminos edunt; equi

parvi, sed laborum tolerantissimi: nullus hîc se
pens, nulli amentes, pauci ebrij, etsi bibant quàn
strenuè, parsimoniam vulgus retinet; hinc ra
morbis, plerique solvuntur senio. In Pomon
Orcadum maxima sunt fodinæ plumbi albi & n
gri sanè optimi, urbs Kircua, duæ arces una reg
altera Episcopi. In Eglisa D. Magnum Norv
gorum Regem, gentis Apostolum fuisse sepu
tum fama est.

Cap. IV.

Æbudæ.

AD Occidentem ejusdem Scotiæ, ad trece
tas, sive rupes, sive insulas Æbudas an
quis, Hybridas Gildæ & aliis, sed recenti app
latione, & incertæ originis dictas numerant a
qui. Dani postquàm eas 160. annos possedera
his cesserunt Alexandro III. Scotorum Regi,
cti victori. Incolæ fortes & duri, summo ma
& vesperè paulum panis ex hordeo & avena c
gustant, reliquo die venantur, veste variâ invol
potiùs quàm tecti: Cubant sub dio in mediis
tiam nivibus, si nox eos intercipiat. Domi s
ternunt Ericam, & tam scite lectos concinnant
ea, ut mollicie cum pluma certent, salubritate
perent. Si verrant solum, curant maximè ne d
ciis solvantur. Loco tubæ, tibia utuntur utricul
in bello: musica delectantur & chordis æneis,
tuntur plerique vetere Gallorum sermone.

Ila vern. In, cervis abundat, salmonibus,
plumbo, & conchas habet satis nitentes. Regu
insu

insularum sedem in ea habuit, longa est 24. millia, sedecim lata, amnem aquæ dulcis habet nomine Laiam, præterea aquæ dulcis lacum in quo est insula Falangama dicta, olim sedes omnium Insulanorum reguli. Huic propinqua Rotunda, n quatuordecim è primoribus assiduè jus dicebant, & de summa rerum etiam agitabant consiia. In Insula D. Columbi Insularum Episcopi edem statuerunt, vetere domicilio, quod erat in Eubonia, ab Anglis capto. Sunt & Regum tunuli, in quorum uno corpora sunt Scotiæ Regum 48. in secundo Hiberniæ, ubi quatuor Reges onditi. in tertio Daniæ, ubi Reges octo. Multi tiam hîc libri antiquissimi sunt diligenter asserati, quos Fergusius Scotorum Rex, cùm Roma Gothis diripiebatur, huc transtulit. Skia onnium maxima 42. millia passuum longa, octo t minimùm lata, arcibus 5. munita, quinque annes habet salmonum, sinus verò omnes, harenorum fœcundos, abundat sylvis, pascuis, frugius & vitulis marinis. Episcopũ etiam habet, qui ovem præest insulis. Vatersa stationem habet nultarum & magnarum navium capacem, ad uam piscatorum magna frequentia convenire olet: juxta hanc innumeræ sunt, in quarum aliuibus sunt oves feræ. Barra piscatu Asellorum signis, arcem habet munitam, & præterea colm, qui ab imo ad summum herbescentem viritatem elicit, è cujus summo fons salit aquæ ulcis, è quo rivus defluit. Est & Pygmæorum sula, in qua si effodiatur terra altius, reperiũtur pita parva, & aliarum partium officula. Bale-
 narum

narum verò in his partibus tanta copia, ut uno anno Sacerdotibus Skiæ decimarum nomine 27. fuerint oblatæ.

Ad Orientale latus Seutæ, subterranea crypa est amplissima ad quam naviculæ minores, velis & remis agi solent, dum fugiunt violentiam æstus, qui ad propinquum promontorium magno cum fragore sævit. Mitto cæteras quæ minoris sunt nominis. Solinus & Ptolemæus quinque tantum numerant, Plinius 30. Numerum auxerit maris violentia. Solinus dixit earum Regem nihil proprium habuisse, ne quidem fœminam, & ne ad avaritiam diverteret didicisse paupertate justitiam.

CAP. V.

Hibernia.

PArvam Britanniam proprio nomine majores dixerunt, *a* Jernam & *b* Hiberniam, ab Hiere vernacula dictione, quæ occasum significat. Est enim totius Europæ regio ad Occidentis plagam remotissima. Meritò Plutarchus eam appellat Ogygiam, seu perantiquam: unde enim huc se contulerint primi ejus incolæ, non scitur. Simile verò, ex ea Hispaniæ parte Occidentali, ab Hibernia non multum remota quam Strabo vocat Ierne. Ejus figura est lenticularis altera parte longior, longa trecentos mille passus, lata centum viginti. Extensa versus Boream à gradu 51. m.25. ad g.55.10. sub climate 10. ubi dies longissima horarum 17. Incolas nec calor compellit ad umbram, nec frigus ad focum, adyenis

advenis tamen diſtillatione noxij humoris palu-doſum ſolum incommodat. Cælum ad maturandas uvas, & ſemina iniquius eſt, ſed herbis lætum adeò ut æſtate niſi pecudes prohibeantur pabulo, in periculum adducat *c* ſatietas, hinc præcipuæ regni-opes, ſunt armenta & greges ovium, quas bis detundent quot-annis, & è longiori lana faciunt villoſa ſtragula, quæ ſunt ubique in pretio. Omnia liqueſcunt melle: ita paſſim in truncis arborum & rupium fiſſuris, fingunt favos apum examina. Abundat ligno, quod emittit in vicinas regiones ad dolianos aſſeres, & naves fabricandas; nec enim per Leges Anglicas, ſuperioribus annis ipſis fuit licitum bellicas ædificare. Equi quos vocant *Hobies* non cedunt Aſturconib⁹, nullique reperiuntur, quorum ſit mollior, alterno crurum explicatu glomeratio, vix enim, etiam gradientes per ſtagna, tenui luto inſidentis ocreas inficiunt: verùm ſi educantur ex Hiberniæ molliori ſolo, claudicant illico. Alicubi nulla apis, imò hinc elatus pulvis, aut lapilli apes abigunt ex alvearijs, aves raræ, ſunt tamen Pavones feri, Ciconiæ nigræ, Apodes ſeu Halcyones, quæ putreſcunt nunquam ſi in loco ſicco aſſerventur, & quæ plumis exutæ iterum plumeſcunt. Nullum animal noxium gignit, non araneam, non ranam, nec alit aliunde invecta, affirmat Beda vidiſſe ſe raſuram è paginis codicum inde allatam, & ictis à ſerpente in potum datam, ex templo veneni vini reſtinxiſſe.

Quomodo Barbariem ex hac inſula pepulerit Chriſti fides, hinc accipe. Gentem inhoſpitam,

omnis virtutis ignaram, pietatis expertem quæ promiſcuos haberet concubitus cum ſororibus & matribus, quæ vultus obliniebat ſanguine interemptorum hoſtium, dixerunt Strabo, Solinus, Mela. Nunc incolæ, ingenioſi ſunt, corporis lineamentis conſpicui, & agiles, ſupra quam credi poteſt, propter eximiam carnis molitiem, & muſculorum teneritudinem. Ante annos aliquot repertus miniſter à pedibus Hibernus, qui admirabili celeritate, in decurſu leucarum duodecim, expeditum in equo equilis regii celerrimo, non prævertit modo, ſed longo inſuper poſt ſe reliquit intervallo. Prandere ſolent Hyeme antelucanis horis, Æſtate horâ 7. primus locus tribuitur matrifamilias, adeſtque ut plurimum cithariſta, qui unguibus pulſat fila ænea. Ubique ſtudioſa viget liberalitas, excipiendis tecto menſaque peregrinis. Nutrices loco parentum habent, & collactaneos amant, non minus quàm germanos fratres, mirum qantum delectantur poëſi & lyrâ. Novæ nuptæ & puerperæ putant ſe infames, ſi veſtes, quas habent optimas, non dent ei, qui Epitalamium vel genetliacum cecinit. Patris nomen, vel alicujus ex majoribus, non aſſumit filius niſi grandior, vel patre mortuo, ut ſciat ſimilem ab eo virtutem expectari.

Cæleſtinus Pontifex Romanus D. Patricium, S. Martino Turonenſi conjunctum affinitate, & S. Germani diſcipulum miſit in Hiberniam, circa æram Chriſti 432. qui functus munere Apoſtoli, tam eximiam ipſe & ejus diſcipuli, doctrinæ, & ſanctimoniæ ſementem fecerunt, ut Hibernia

Sancto-

Sanctorum patria dicta sit, suntque in hanc diem religionis summè colentes. Jejunium mulieres per totum annum Feria 4. & Sabbato observant: puellæ ut virum probum, & conjugio sibi idoneum obtineant à Deo: nuptæ ut corrigantur mariti, si minus probi, vel de meliori ipsis prospiciantur. Non immeritò credunt aliqui, Hiberniam in potestatem Romanorum nunquam venisse, quidquid ex Juvenale & Panegyrico dicto Constantino afferatur. Sub Honorio occupatam à Scotis contendunt alii, ut ut sit, ex antiquo Reges habuerunt indigenas. Non ita pridem ardentibus civili bello Hiberniæ regulis Henricus II. Angliæ Rex, exercitum superbissimo delectu conquisitum duxit in insulam, anno 1172. ab eorum uno evocatus, & postquam obtinuit, ut Imperium omne suum insulæ ordines signatis chartis transferrent in eum: Papa Urbanus rem totam confirmavit, & missâ ad Joannem Henrici filium coronâ de Pavonis pennis auro contextâ, jam inde à Joanne, Anglorum Reges, Hiberniæ domini dicti sunt. Regis titulus Henrico VIII. primùm tributus ab ejusdem insulæ ordinibus, & à Pontifice Romano confirmatus anno Christi 1555. in gratiam Mariæ Reginæ: Indeque ab Regibus Angliæ immissæ Coloniæ per maritimam oram, & præterea unus aliquis ad Rempublicam gerendam, qui Custos Hiberniæ, Justitiarius, Locum tenens, Deputatus & demum Prorex dictus est, cujus præcipua inter omnes, qui in Europa sunt Proreges, eminet auctoritas.

Sic *Hibernia* omnis in duas quasi partes nunc

divisa, interiorem veri Hiberni, maritimã Anglorum progenies colit, ritus patrios observant singuli quam tenacissime: suntque Anglo-Hiberni ab indigenis ita dissociati, ut colonorum ultimus filiam suam, vel nobilissimo Hibernorum non daret in matrimonium: Hiberni vero ab eorum horrent affinitate tanquam à sanguine putri & maris ejectamento. Porrò indigenæ non vagantur per sylvas omni humanitate destituti, ut falsò scribunt, qui innato sed parum Christiano in vicinos odio sinunt se abripi. Sunt inter eos plurimi & doctrina & moribus culti, & bellicâ virtute præstantes. Primariis, quorum imperio plures tenentur, sæpe præficitur quarta vocalis O, ob eminentiam, sicque dicunt, ô Neal, ô Morus, &c. Subditi tamen nullum ipsis pendunt tributum aliud, nisi quod evocati ad bellum, omnes tenentur adesse domino, vel bonis mulctati propriis pelluntur sedibus. Quæ autem Rex colligit ex ea insula vix sumptibus ordinariis & magistratuum honorario sufficiunt. Malè audiunt à multis, quod summas delicias putent, labore carere, nec velint, qui tenuioris sunt fortunæ, opus facere; deinde quod apud eos laudetur furti usus & receptus. Est præterea summè probrosum quod ad singula verba jurant & deierant per Trinitatem, Deum, S. Patricium & manum Compatris. Quod si per manum Comitis, vel Domini jurent falsò, grandem pecuniam Dominus exigit pro illata suo nomini injuria, si verò tangentes Evangelia, Altare, Sancti imaginem, vel Campanam peierent, solâ mulctati infamiâ liberi abeunt.

a Stra-

a *Strabo & Claudianus.* b *Cæsar.* c *Mela*, *Solinus.*

Cap. VI.

Hydrographica Descriptio.

EX situ & Regulorum numero fuit Hibernia jam inde à priscis temporibus in partes quinque divisa. Austrium spectat Momonia, ortum Lagenia, Septentriones Ultonia, Occasum Connactia, & in ipso ferme medio sedet, quæ hinc, Media appellatur. Archiepiscopos habet 4. Episcopos omnino 29.

Ordior à Liffio amne Lageniæ cujus ostium in lat. g. 53, m. 24. Is licet decimo quinto milliari ab ostio suo oriatur, anfractuosis tamen flexibus plurimum oberrat. In ejus ripa habes Kildariam urbem sede Episcopali ornatam. Ad septimum minutum ab ostio Liffij, sedet Dublinum vern. *Balla dich* urbs Hiberniæ Primaria, emporium nobile, ad quod naves jaciunt anchoram aquis extantibus Orgiis 4. Expectandus tamen maris æstus propter Grillium arenæ puluillum qui ostio Liffij prætenditur. Ipsa urbs castro fossis, mœnibus & Armamentario valida est. Templo S. Patricij, Palatio Archiepiscopi, Collegio S. Trinitatis & Bibliotheca insignis. Moratur in Palatio Regio Prorex insulæ. Eam volunt aliqui conditam ab Haraldo Noruego subjectis in loco palustri cratibus & aquarum impetu cancellorum crepidinibus cohibito. Juxta Dublinum marmor habes laudatum.

Superatâ Chersonezo Houth, quæ æstuario Liffii prætenditur, si navigando milliaria 24. legas oram, deveniens ad ostium Bouindæ, vernac. *Boyn*, qui Mediam interluens, Tryme melioris notæ emporiolum castro munitum præterlabitur, indeq; Navan & effunditur in mare infra Drogedam frequens oppidum, ponte, officina monetaria, & suis clarum immunitatibus. Super eum ad mare portus Dundalk urbs Episcopalis, à qua minutis 8. abest Carlinghfort portus alius utcunque celebris, inque vicinia Neurry oppidum conditum à Nicolao Bagnall Hiberniæ Marescallo ad ripam rivi ejusdem nominis lat. g. 54. m. 6. Hinc mare sese insinuat, lacus dilatat & Chersonesos facit. In uno Isthmo Dunum, vern. *Donne*, g. 54. m. 15. floruit sedes Episcopalis, in qua jacent trium Sanctorum Hiberniæ patronorum corpora, Patricii, Columbæ, & Brigidæ. Hinc etiam oriundum Scotum Joannem Duns volunt Hiberni, negant Scoti, non quod inficias eant, Hiberniam dictam olim magnam Scotiam, sed quod eam hoc nomine nullus appellarit ex quo vixit seculo Doctor subtilis. Ad mare sunt Arglas, gr. 54. m. 8. & sexto abhinc milliari Stangford portus tutus, ubi fluvius Coyn magno aquarum insultu in mare prorumpit ex lacu ejusdem nominis, ad cujus ripam est Episcopalis sedes Coverensis, cui præfuit S. Malachias, cujus gesta scripsit D. Bernardus. Sequitur sinus Knocfergus, g. 54. m. 35. ubi Monasterium quondam celebre, nunc oppidum, in quo portus commodus & castellum in rupe edita, cohors præsidiaria & armamentum. Oderfleet statio etiam malè tuta. Hinc

Hinc uſque ad Banney fl. dignum memoriâ occurrit nihil, niſi quod ante annos aliquot fertur hanc regionem poſſediſſe SaurlayBouy dict', hoc eſt, flavus, qui in ea vaccarum quinquaginta millia poſſidebat, cujus progenies adhuc viget, & antiquam colit pietatem. Banney verò quē Ptolemæus vocat Argitam, fluvius eſt eximiè pulcher, qui è montibus O Mourne exortus in lat. g. 54. m. 9. In lacum Eang ſe effundit, & poſt 30. milliaria exiens ad caſtrum Tome, ſuperbo alveo ſylvis coronat', per Glancolkein g. 55. m. 11. Oceanum petit Deucaledonium, ſalmonum totius Europæ fœcundiſſimus & limpidiſſimus. In lacum ſi haſtam diu relinquas, quæ pars hærebit in ſolo aquis ſubjecto, ferri naturam induet, quæ verò aquis, ſaxea fiet, quæ extans, lignea. In lacum ex parte auſtrali ſe effundunt rivi aliquot, & in his Kallin, ad cujus ripam ſita eſt Armach, totius inſulæ Metropolis, ſedes Archiepiſcopi hæreticorum incendiis ſic deformata, ut vix pauculæ viminibus intextæ ſuperſint caſę. Miniſtrum tanti facinoris pudet memorare, has partes caſtellis 56. contra Hibernos munierunt Angli.

Eſt quoque in eodem littore oſtium fl. Logiæ vern. *Liffer*, qui ab ipſo fonte, qui ebullit in lat. gr. 54. m. 35. dilatatur in lacum, in quo inſula & Monaſteriū, ubi crypta anguſtior ſpectris & religioſo horrore decantata, Purgatorium dicunt S. Patricii. Enimverò cum indomitas inſulanorum mentes, nec timore futurarū pœnarum, nec cœleſtium gaudiorum promiſſis flecteret, precibus à Deo fertur impetraſſe, ut quicunque hanc ſubi-

ret, ipſa Inferorum incendia intueretur vel experiretur, incertum an abſtractus à ſenſib⁹ ſive ipſis oculis corporeis: utut ſit qui huc ſe conferunt, ſentiunt ſe ad virtutem non mediocriter accendi. Advenis auctus aquis dum propius logia accedit ad mare effunditur in lacus Foylle & Svville qui diverſis oſtiis miſcent ſe Oceano per ſcopulos, qui à Borea in occaſum amplius ſemper reflectuntur ad portum Coleberg, g. 54. m. 48. & Donegall Monaſterium & oppidum quod nomen dedit comitatui. In vicinia aperit ſibi viam in mare lacus Earno, ubi nobilis Salmonum ſaltus. Olim fons erat in agro amœniſſimo, ſed ob nefandam cum beſtiis venerem ſuperfuſis aquis in lacum evaſit longum 40. mille paſſus latum 15. Sereno cœlo adhuc templorum turres apparent. Sylvis opacis coronatur, eſtque frequentatis inſulis confertiſſimus & à luciis, truttis & ſalmonibus tam copioſus, ut piſcatores retium rupturas tantum conquerantur. Hinc ad occaſum & Meridiem eſt Comitatus Letrim qui montibus aſſurgit, in quibus uno tempore pecorum capita ſupra centum viginti millia numerata ſunt.

Succedit ora maritima Connachiæ multis ſinubus & navigabilibus alveis pervia, Regio in qua nec à Salo, nec à Solo quicquam deſideres, in qua eminent inter cæteros O Brieni, ab Hiberniæ regulis prognati. Celebrioris notæ loca ſunt Galvvay vern. *Gallive* urbs Epiſcopali ſede clara, emporio dives ad oſtium fluvij Monmoy, in lat. g. 53 m. 14. ubi ampla ſtatio, & tuta quæ clauditur tribus inſulis dictis Arran in quibus ajunt non putreſcere hominum corpora, & pleroſque

rosque habere avos, atavos, majores in larario; mures similiter nullos esse, & si aliunde illati fuerint, dare se præcipites in mare, vel si impediantur, emori. In hunc eundem sinum influit lacus Corbes 20. pass. mil. longitudine & 4. latitudine fusus, tercentum insulis graminosis & piniferis distinctus.

Ultra progredienti obiicitur Seneus præcipuum insulæ flumen vern. *Shennin.* Oritur in Ultonia in Comitatu Letrim, è montibus Therne, in lat. 54. dum fertur in meridiem modo effundit se in stagna, mox se colligit in angustum. Macolicum vern. Malc invisit, iterumque spacioso lacu Rigith excipitur, ad quem Rigia Ptolemæi sita, hinc Athlon oppidum abluit, indeque superata Killo loë cataracta, maximarum navium capax Limiricum, g.53.20. urbem complectitur Episcopalem duplici castro munitam caput Comitatus Loumeagh emporiumque celebre, à quo per 60. circiter milliaria rectus, grandis & insulosus properat ad collem Patricij vern. *Knoc Patric*, ubi sese effundit in Oceanum. Castella habet Præsidiaria locis omnibus, in quibus putatur vadosus.

Inde meridiem versus occurrit Notium promontorium sive Austrinum vern. *Erangh* lat. 52. sub quo Iernus fl. seu potius sinus in Oceanum se exonerat ad Dunkeram oppidum Episcopale. Existimant aliqui ipsum esse Iernium quod & flumini & insulæ nomen dedit, ex eo quod occasum spectent. Nullibi harengorum abundãtia major, in brumali solstitio, quando se huc propterea classes lusitanæ conferunt.

Huic

Huic proximus alius ſinus Beantre cum promontorio Miſſen Head, g. 51. m. 45. & littore converſo in Orientem Heleſponticum poſt 40, circiter minuta appellis ad oſtium Dauronæ g. 52. m. 7. qui exortus in montibus Muskereiæ urbem rigat Comitatus ſui primariam Corcagiam vern. *Corach* emporiolum ſatis frequens, ſub ea flumen diſpertitum amplam & amœnam complectitur inſulam è regione vetuſtiſſimæ familiæ Barrycourt. In eadem ora paululum ſupra mare habes Vogall portum nunc puluillo arenæ obductum licet ad eum evolvatur in mare magnum flumen Broodvvater quod oppidum Liſmore præterfluit. Ultra progredienti obiicitur Dongaruan g. 52, m. 15. caſtrum mari imminens coronæ Anglicæ annexum. Deinceps ſcopuloſo oſtio immerguntur mari tres fluvij ſorores dicti ab antiquis. Oriuntur juxta Oſſeriam in vaſtiſſimis illis Blandiniæ montibus in quibus Lycaonum more homines interdùm degenerare in lupos fabulantur. Hæ ſunt Suirus, Neorus & Birgus. Suirus ſororum maxima Caſſiliam vern. Caſſel g. 52. m. 28. urbem Archiepiſcopalem præterlabitur & Waterfordiam civitatem Epiſcopalem quæ ſecundas tenet in Hibernia propter immunitates & commercia. Ad Neorum jacent fanum Canici eremitæ viri ſancti vern. Kilkenny municipium inter Mediterranea hujus inſulæ facilè primum, in cujus quaſi ſuburbio ſedem habet cum Hibernis Epiſcopus Oſſerienſis g. 52. m. 41. Ad confluentem amnis Calam in Neorum, oppidum etiam Thomæ filij Antonij vern.

vern. Balacmac Audan, g.52. m. 40. Denique ad Birgum sita sunt Præsidia Caterlogh, g.52. m.50. & Leighein, g.52. m.42. & ad confluentiam Birgi cum Neoro Ross. urbs ampla ob discordias religionis ad nihilum pœne redacta. A fluminis ostio excurrit sacrum promontorium vern. Banna, g. 52. m. 18. ubi Monasterium celebre & Turris ignibus nocturnis deputata. Supersunt amnes Slane & Ovoca illius ostium in lat. 52. m. 55. ubi stagnat ,, urbs est Wersford Comitatus caput, Anglorum Colonia, Fernes itidem oppidum sola Episcopali dignitate clarum Ovocæ ostium in lat. g. 52. m. 48. ubi Arklo castrum Comitis Ormondiæ. Ab ostio Slani Dublinum usque prætenduntur brevia & pulvini arenarij dicti The Grounds navigantibus admodum periculosi.

CAP. VII.

Scotiæ Magnæ Britanniæ pars Borealis.

QUi fidem adhibent fabulis, Scotorum initia repetunt à Græcis & Ægyptijs. Prudentius qui è Gothia & Belgica Gallia proximo ipsis continenti. Certum Borealem hanc Britanniæ partem, nec à Romanis, nec ab ullo Principe externo domitam penitus, quod maria sylvæ, lacus & paludes sint ipsi pro vallo ; in verticibus vero montium sint planicies & sylvæ pascuis abundantes & feris in quibus incolæ ,, nec vi possunt cogi, nec fame.

Com-

Compertum similiter Scotos hanc laudem ex religione non mediocrem consequi quod ab anno 197. quo pars Scotiæ Christi fidem suscepit sub Rege Donaldo I. & Papa Victore, reliquum vero æra Christi 429. sub Cœlestino vices Apostoli fungente Palladio, numerat ad hæc tempora Reges ut minimum sexaginta qui in Orthodoxa fide cum subditis constantes perseverarunt ad annum reparatæ salutis 1544. quo Guillamus quidam cœpit primus avitam fidem labefactare, postquam egregius ille fons lustricus, in quo Regum Scotiæ liberi consueverant baptizari, ex Edimburgo primaria regni civitate, translatus est in Angliam, vagiente adhuc Maria, cui natæ dies non amplius septem parens Jacobus V. agens animam Sceptrum reliquerat.

Crucis effigiem cui D. Andræas affixus Scoti passis Vexillis cum hoste congressuri præferunt, ex quo præsentem ejus opem stans in procinctu contra Pictos expertus est Rex Hungus, qui diem obiit anno Christi 819 Gentilitia verò scuti tessera imago est leonis fulvi jam ab ipso Fergusio I. Scotorum Rege: Limbum postea strinxit duplici filo aureo & Lilia intexuit Magnus Carolus Imperator, quando cum Scotis contra Anglos fœdus iniit perpetuum, & accitis Joanne, Rabano, & Alcuino Scotis hominibus summæ eruditionis Academiæ Parisiensis jecit fundamenta.

Cœli situs est inter gradus 54. & 61. in Climate 11. & 12. Creperæ tamen lucis beneficio per duos menses in Cathenesia & Rossia quivis tota

nocte,

nocte, vel legit commodè, vel scribit. In figura illius mirum quantum aberravit Ptolemæus. qui ad 32. longitudinis gradum eam inflectit, cum ad 23 vix procurrat in ortum. Nulla domus 20 leucis distat à mari, propter sinus quibus omnia littora proscinduntur. Insulæ pars multo maxima, agros habet uberes, sed qui silignem & avenam felicius quam triticum ferunt. Ex certo hordei genere, mense martio coquunt cervisiam quæ absque lupulo in quinquennium asservata vinum existimatur ab ipsis malvaticum. Habent & pascua admodum læta: partem aliam crebri montes occupant in quibus saltus Caledonius, olim proceris arboribus, nunc virgultis tantum opacus. Oves parvæ quidem sunt, sed carnium teneritudine omnes superant. Pleræque cornua ferunt terna quaternàve, Arietes nonnumquam sena. Cervi vastæ molis sunt, & frequentes adeò, ut in solenni venatione quæ Augusto & Septembri fit octingenti interdum mactentur. Narrat Leslæus Episcopus unum se vidisse tam obesum, ut ejus pingue latum esset decem digitos. Per idem tempus solennes aliæ venationes instituuntur in montibus borealibus Athol & Badenoch pro silvestribus equis, quos rustici ex verticibus montium clamoribus suis, & latratu canum deducunt, in paludes ubi pedicas & capistrum iniiciunt pullis (quingentos frequenter intercipiunt,) qui ut plurimum intra sex menses omni posita feritate cicures fiunt, & generosi, si annum ætatis tertium non excedant. Mitto meliteos canes quibus

sese

ſeſe recreant fœminæ: minores alios qui perveſtigant, quam ſagaciſſimè vulpes & feles ſylveſtres: majores villoſos qui aves imò piſces inter ſaxa deliteſcentes odorant. Prætereo alios qui omnes magnitudine ſuperant, quorum uſus in grandioribus cervis perſequendis, aut lupis petendis, quique ſunt tantæ audaciæ & fidei, ut in iis pluſquam in forti milite, ſpem ſalutis ponant domini. Unum dicam non minus verùm quam difficilè creditu. Certos quoſdam eſſe rufos, nigris maculis reſperſos, quibus tanta ineſt ſagacitas & truculentia, ut fures recto tramite ſine ullo errore aſſequantur. In ſolo amnium tranſitu laborant, quia ibi odoratum amittunt, quod cum ſciant prædones & abigæi per mæandros modò hanc, modò illam premunt ripam, ſimulantes exitum: interim canis cœlum complet clamoribus, nec priùs, vel ſiſtit, vel conticeſcit quam greſſus fugientis aſſequatur. Si quis autem eum, vel ab intimo ſuo cubiculo prohibeat, reus furti habetur illico.

Hinc exportantur in Gallias harengi, Salmones, pelles Cervorum & Canum. In Hollandiam pannus laneus albi & cærulei ſtaminis, nec non carbo foſſilis. Dantiſcum pelles ovium: Ex quibus librarum quinquies centena millia vix colligunt. Ab omni onere Vectigalium immunes ſunt omnes, tantum in Regis exercitu, ſi quando evocat, tenentur militare ſuis ſtipendiis, & ſuis ſe alere impenſis. Hinc miretur nemo cum audit Reges qui centum aureorum millia vix unquam habuerunt annui reditus, triginta hominum millia

lia præter naves classiarias sæpius armasse. Quando improvisus hostis imminet, flammas excitant in locis eminentioribus & intra horas aliquot cogunt ad decem equitum millia,

CAP. VIII.

Incolæ.

FUerunt semper corpore validi, fortes animo, audentes in bello. Ne genus læderetur, jam ex antiquo castrabant amentia, comitiali morbo, aut simili tabe affectos: quod si mulier his laborans concipiebat, terræ viva infodiebatur. Matres suo ipsæ succo proles educabant, probri id loco ducentes, nec adulterij suspicione carere, si quando eas lac deficeret ad nutriendum infantem. Vinolentos & comedones flumine mergebant, priùs tamen permittebant, ut quantum vellent cibi & potus ligurirent.

Olim urbes fuerunt ipsis omnino 28. nunc pauciores mœnibus cinctæ & vallo, ne, ut ajunt, propugnaculorum securitate freti incolæ, ab armorum usu torpescant, vel præsidia hosti intra regnum extruant.

Dividuntur in homines altæ terræ & imæ terræ: hi urbes & planicies littori proximas colunt, & quia videntur sibi non minus politi & culti, quam sunt Angli & Germani, cum quibus & origine & linguæ societate conjuncti sunt, interiores qui in montibus & sylvis dissipati sunt, viros altæ terræ, Barbaros & Sylvestres vocitant, quamvis moribus & lingua, quæ ipsis est Hibernica,

nica, indigenæ ſint. Certè majorum inſtitutis tam pertinaciter adhærent, ut eorum reguli, ſi in Regis aulam divertentes cultius ſe ornent, domum reverſi ad ſuos, patrio more illico ſe amiciunt. Braccas geſtant unius formæ omnes, & nobiles & plebeij, in ſinus quoſdam decenter contractas, quibus ſolis noctu involuti, ſuaviſſime dormiunt, terra nuda, aut craſſiore ſacco inſtrata; reliqua veſtimenta ſunt brevis tunicella ex lana, & induſium ad genu demiſſum, quod aliqui filo ſerico, viridi aut rubeo pingunt, unus cibus omnes reficit, neſciunt de penatibus invidere. Potum ſubminiſtrant fontes: victum lac & panis ex leguminibus, aut avena: Carnem bibulam & vitulinam capis & perdicibus præferunt: ſi deſit cacabus, bovis omaſum invertunt, lotum opplent aqua & carne, & affixum perticæ carnes igne ſuppoſito ſic elixant, ut eas maximéque juſculum quibuſvis deliciis præferant. Sic enutritos morbus paucos extinguit, pleroſque ſenectus extrema. Sunt agiles & firmi adeò, ut feras aſſequantur curſu, imò ad luctam provocent. Ante annos circiter triginta in Palatio Marchionis *de Hontelay*, inter cæteros nobiles adfuit Duncanus Makmartin vir tanti roboris, ut centum viginti millia paſſuum pedes inambularet ſola contentus frigida: verum ſe priuſquam viæ committeret quartam bovis partem ſolus vorabat: per annos 16 continuos, in medijs nivibus dormierat, per quam ſuaviter hoſtiles inſulas fugiens, vel parans, crudis ut plurimum ſalmonibus victitans. Quis jam miretur Croto-

Crotonitatem, qui bovem nõ ventre, ſed humeris ſuſtinens, ſtadium nec amplius decurrebat. Unum apud eos vitium, quod inimicitias vix deponant, filiique ſuperſtites hoſtium progeniem, niſi det manifeſta ſupplicis animi ſigna, innato odio inſectentur. Pauci Catholica fide exciderunt. Verum inter eos tanta eſt Sacerdotum paucitas, & rerum divinarum ignoratio, ut non priùs ſacro inaugurentur Baptiſmo, quam ſibi conjugem ſumant.

Eſt & tertium genus quorundam prædonum, qui in Marchia & limitibus regni commorantur, in montibus, vel in paludibus difficillimis, quæ etſi appareat eſſe terra ſolida, intrantem tamen hominem ſubſidentes abſorbent, per has autem illi non ſolùm tranſcurrunt, ſed & equos conſuetudine aſſuefaciunt, flexis poplitibus loca tranſire, per quæ vix pedites audent inſequi. Potentiores ex terra aggeſta in pyramidem domos ædificant, quæ nullo modo poſſunt incendi. Sive ab Anglis, ſive à Scotis prædas agant, ipſis perinde, nec unquam roſaria ſollicitius percurrunt, quam cum quinquaginta ſæpe milliaria ad abigendas prædas ſe conferunt; noctu per invia loca è ſuis finibus exeunt, interdiu in latibulis vires recreant, ſi capiantur tanta pollent eloquentia ut Judices, ſi non ad miſericordiam, ſaltem in admirationem vehementer permoveant.

Duo ſunt Archipræſules, ſcilicet S. Andreæ & Glaſgoënſis, quorum ille Primas totius Scotiæ, octo habet Epiſcopos ſibi ſubjectos, Glaſgoënſis tres.

Cen-

Censentur inter nobiles Rex, cujus filius natu major dicitur Princeps Scotiæ, Duces, Comites, Milordi, Barones, vulgò Lardis, & nobiles Gentilmen dicti. In nullam hæreditatis partem succedunt minores natu, proptereáq; ut plurimùm militant in Francia, & sunt vel regii corporis custodes, vel sagittarii, vel armati equites. Carolus III. dictus Crassus circa annum 893. primus custodes corporis sui 24. Scotos, quos dicimus à magna manica, adhibuit, quorum duo per vices nocte dieque excubias agentes proximi Regi (etiam demortuo, donec condatur tumulo) adstant. Carolus V. cognomento Sapiens, centum Scotorum Sagittariorum (quos *Archers* dicunt) ordinem instituit, quibus regia ex officio custodia incumbit, quique noctu intra regias valvas agunt excubias, & portarum curam habent. Carolus VI. Scotorum Equitum cohortem addidit, quibus Robertum Stuartum ex Lenoxii Comitis familia, Dominum Daubienie præfecit, qui omnes in hanc diem Regibus fidelem, & Regno strenuam navant operam.

Cap. IX.

Chorographia Scotiæ.

Regnum hoc omne in duas partes dividitur, Australem cis Taüm, & Borealem trans Taüm: illius Provinciæ in Daal desinunt, quod ipsis vallem sonat, hujus in Strath, quod idem significat; utriq; amnis vicini præponunt nomen. Dividitur ab Anglia Solvæo flumine, Cheviota monte

monte, & Thuedâ fluvio, qui è copioso fonte ortus in Tentoco monte, diu sinuosus oberrat: Tisum excipit, à quo Tifedalia vallis dicta, cujus præcipua urbs Jedburgus: castrum alluit Drimlar & Comitatum Peblis: augetur aquis Teviotæ ad Roxburg castrum Douglasiorum, & sub Bervico evolvitur in mare salmonum feracissimus. Sunt in Tifedalia, qui quatuor imò ad 10. millia ovium habent, qui sub dio, sicut & omnia per totam Scotiam armenta pernoctant.

Ostium Tuedæ excipit Marchia, ubi Barvicū Anglici nunc juris urbs præcipua: Dunsæum vicus celebris, ex quo oriundus Joannes Duns Scotus Doctor subtilis; Coldingha Monasterium à Danis excisum, quod Ebba cum suis, & labra & nasum sibi præcidissent, servandæ causâ virginitatis.

A Marchia ad fretum Scoticum procurrit Lodoneium, vernac. *Louthiane*, in cujus litore habes Dumbar, castrum olim validum, sedes Humiorum, qui inde dicti sunt Comites Dumbar & Marchiæ. Suprà illud miscetur mari Tina amnis, cui Hadington quatuor urbs munita propugnaculis: Hinc reductis litoribus æstuarium aperitur Boderia, vernac. *Frith*, variis refertū insulis, inter quas Bassa rupes atra & prærupta eminet, hæc Augusto mense albicat præ multitudine Anserum marinorum, qui ex austro huc convolant: secundo ab adventu die, si è domo egrediatur nullus, ligna cogunt quantum & suis nidis & castelli custodibus in annum sufficit. Mox ponunt ova, fovent, excludunt, pullosque alunt tam stu-

diosè, ut menſas ipſis extruant non conchiliis, ſed piſcibus imprimis nobilibus: qui ſi ut crebro fit, à militibus ſubducantur, indefeſſo iterum labore novos ſubiiciunt, unde Præſes arcis ex ligno, plumis, oleo, carnibus, & piſcibus pecuniæ ſummam colligit non contemnendam. Ponit & nidum Scout avis vix anatem magnitudine ſuperans, cujus ova anſerinis majora ſi excoquantur ſolida fiunt, & à corruptione diu manent integra. Scopuli partem ſupremam occupant paſcua fons & Caſtellum quod nullus ingreditur, niſi fune ſurſum trahatur ex imo.

Recedente dein littore, Seton eſt in conſpectu, nobilis familiæ cognominis domicilium. Superius ſita eſt Edemburgus, urbs Regni caput ſitu editiori ab ortu in occaſum mille paſſus porrecta, latitudine dimidio minore: in Orientali plaga Regium eſt Palatium, cum Monaſterio S. Crucis: in Occidua Caſtrum puellarum in præcipiti rupe ſitum: à qua ſecundum Letham amnem, diſtat uno lapide Letha portus commodus. Huic conterminus eſt ager nobilium frequentia, & ſoli ubertate clarus, Sterlinenſis dictus à primario oppido; & Epiſcopatus Dunblan in Taichia. Anguſtum terræ ſpacium quod hic ſupereſt ad mare Occiduum, firmavit olim prætentura Antoninus Pius contra Pictos qui dicebantur Caledonij, à radice Caled, quæ ſignificat duritiem: ſunt etenim Boreales populi ex ſanguinis abundantia audaces & duri; hicque celebris incipiebat Caledonia ſylva in immenſum diffuſa per montem Grampium, in quo vaccæ candidæ & tauri ſylve-

ſtres

ſtres nunc pauci, olim frequentiores, denſe inſtar Leonum jubati & admodum truculenti.

Fiſa ſequitur, inter æſtuaria Fortham & Taüm. Ejus terra ubique conſtat pinguedine viſcoſa omninò ſterili, in qua nec tenue creſcit virgultum. Si ad 8. cubitos defodiatur, ingentes reperiuntur quercuum aliarumq; arborum trunci, aliqui putres, alij ad ædificia apti. Arbitratur Leſſæus, aquis diluvij ſuperinjectam humum, quæ ſylvas radicibus luxatas obruerit. Qnod ſi ejus terræ herboſum ceſpitem demas pro foco, excreſcit denuò, nec deprimi ſolum advertitur. Eminet in littore oppidum S. Andreæ, ubi Academia & Archiepiſcopus Regni Primas, huc Abrenetio translatus. Interius media fere regione eſt Cuprum, quo Fifani ad jus accipiendum conveniunt.

Taüs totius Scotiæ maximus fluvius, Albaniæ per agros proruit, mox in lacum diffunditur longum viginti quatuor millia paſſuum, in quo plures inſulæ: inde Perthiam regionem fœcundat, & rivum accipit Almundum, qui labitur ex Atholia regione, quæ licet ſit adeò fertilis, ut ejus ſolùm probe ſubactum, ſponte fundat abſque ullo ſemine hordeum longè optimum, malè tamen audit, cùm propter maleficia muliercularum, tùm propter latibula urſorum & taurorum ſylveſtrium. Jam plenior Dunkelden petit, Epiſcopi ſede ornatam, unde fluit per rudera urbis Berthæ, pro qua ſitu commodiore Guillelmus Rex Perthum extruxit, à templo in honorem S. Joannis poſito S. Ihontoun dictum, à quo vix

leucâ diſtat Scona Abbatia,in quam ex Argathelia fuit traducta fatalis illa cathedra ex marmore, in qua ſedentes Reges ſunt per multa ſecula inaugurati. Gourea ſuccedit, regio fertilis. In ea quarto circiter milliari ab oſtio Tai eſt lapis non adeò magnus, quem poſſis in quamcunque volueris partem volvere, nunquam tamen movere loco. Ad tria millia paſſuum infrà Perthum eſt Abrenethium vetus Pictorum regia ad confluentem amnis,quem fundit Jernus lacus.

Ad ripam Tai borealem eſt Anguſa Comitatus Douglaſiorum, qui in Comitiis Regni,coronam Regi præferunt. Viſitur in litore urbs Donum Dei, vernac. *Dundee*, olim Alectum dicta,navibus & lanificio clara.Hector Boëtius,qui Scoticam ſcripſit hiſtoriam,hinc oriundus. Suprà rubrum promontorium, vern. Read Head ad oppidum montem Vozarum,olim Colurtam portum commodum, miſcetut mari Eſca fl. qui ortus è lacu Finnevim, alluit Bræchinum, ubi ſedes Epiſcopalis,ſit licet Forfar vicus ignobilis eo antiquior.

Huic adjacet Mernia frugum ubertate & herboſis paſcuis dives. In ea caſtrum eſt Dunnotyrum, arduæ rupi impoſitum, cujus Comites Scotiæ ſunt Mareſcalli hæreditarii.

Mox Dina & Donus fluvii, viam ſibi aperiunt in mare. Inter utriuſque oſtium (quod Aber Britannicè dicitur) unius agelli interjectu ſunt nova & vetus Aberdon, borealior ſcholis publicis & Epiſcopali honore clara; Auſtralior Salmonum capturâ dives. Tempore frictionis ad

ſobo-

ſobolem, cavetur ſub capitis periculo, ne quis rem piſcatoriam factitet, quâ ſecuritate gaudent à ſexto idus Septembris ad Calendas Decembres. Ubi autem concepta ova in alvo ad partem aluere, & in humo depoſuere non modò ſunt macilenti, ſed etiam pinguiores, quâ parte eos tangunt, ita violant, ut reperiantur, qui uno latere ſicci & graciles ſint, altero pinguedine turgeant. Soboles vix digito major petit Oceanum, & unius menſis ſpacio, aut ad ſummum duorum, in juſtam excreſcit magnitudinem. Præterea cognitum eſt frequenti experimento, reſciſſâ quibuſdam pinnarum parte, vel ſignatorio annulo ceræ ad caudam appreſſo, ad amnem, qui eos genuit, ſingulos redire, & in adverſos fluctus etiam rapidiſſimos, & per vadoſas Syrtes tanto ferri impetu, ut rupes & cataractas fluminum facto agmine ſuperent, ubi retibus implicantur, tam multi, ut ex hoc portu in Gallias tranſmittantur quot-annis ducenti ſupra mille cadi, in quibus Salmones cenſentur, ut minimum ſexaginta mille, quorum aliqui quadraginta librarum pondus adæquant. Gareotha Vallis frumenti feraciſſima horreum eſt Aberdoniæ: In ea mons eſt dictus Dundore, quod eum credant auro abundare, qui oves in eo paſcentes, quaſi auro tinctas advertunt.

Suprà Donum in mare prominet Buquhania paſcuis fœcunda & frumenti opima, nullus in ea mus major, quem Ratum vocant, vel gignitur, vel aliunde importatus vivit. Litus abundat Electro, quod aliqui putant Succinum Pini arboris,

cujus odorem refert, alij bitumen ex lapidibus profluens, quod maris frigiditate obdurescit: coloris est aurei, & grati, si modo perfricetur, odoris. Illius massa ingens quæ equi corpus æquabat magnitudine in hoc littus ejecta anno 1500. Reperiuntur & Anseres qui hic è vermibus deciduorum foliorum, è putri ligno, nec non ex testis plurimis enascuntur sicut & in Hebridibus insulis, quos tamen alibi & cubilia & ova ponere non negamus.

Bœna & Ainzia præfecturæ deinceps extenduntur secundum littus boreæ obversum ad montem Grampium. Ad amnem Davernum Salmonibus insigniter piscosum oppidum est Bamfum cum nobili Palatio: Est & Turesum & arces nobilium non paucæ, quas inter eminet Strathbolgia Huntlæi Comitis præcipua sedes. Littus protegit Finlater castrum quod aliqui existimant inexpugnabile. Spey fluvius Inclytus per Moraniam labitur. Roches Lisseiorum Comitum Castrum rigat, viamque sibi aperit in mare: nec ita multò post Loxa amnis & lacus Oloribus & Olorina herba abundans.

Passim hîc sicut & alibi per totam Scotiam, cùm vulpes nusquam nõ sint minoribus animantibus & alitibus infestæ, tali arte perniciem incolę antevertunt. Carnes vulpis & domesticorum animalium simul contundunt, & quæ volucres, aut pecudes hujusmodi cibos degustarunt, duos prope menses securæ oberrant, si qua inter cœteras ex iis non comederit, sola prædæ est.

Ultra Spæam usque ad Nessum urbem lacum & flu-

& fluvium ſequitur Morania olim Varar dicta regio paſcuis, frugibus & amoenitate regni facile prima: Neſſus à lacu Neſſu longo 24. milla effluit, ejus aqua ſicut & Loxæ ſemper eſt tepida, etiam hyeme aſperrima. In Eccleſia pagi Petty aſſervantur oſſa Joannis cujuſdam qui ante annos circiter 300. vixit; qui altus erat pedes 14. Nemo eſt qui non brachium immittat in ejus Coxendicem.

Moraniam excipit Roſſia, promontorijs in mare excurrens, hujus pars occidua Armanoch dicta avibus & feris Sylveſtribus abundans filijs ſecundo genitis regum Scotiæ ceſſit olim, poſtea vero Roſſiæ Comitatus integer, Antiquiſſimum illius oppidum eſt Roſmarkæum S. Bonifacij reliquiis decorum: unde non longè diſſita eſt Cathedralis Eccleſia Roſſenſis; non ab urbe, ſed à Provinciâ dicta: civitati enim ipſi in littore æſtuarij ſitæ Canonriæ nomen eſt.

Superius inter rupium ſcopulos, mare in ſinum amplum ſe explicat, quem majores dixerunt ſalutis portum, nunc Cromartæum vocant vernac. Cromarty. Statio eſt facilis acceſſus, tuta & cujuſcunque claſſis capax. In uno receſſu æſtuarij habes Dinquallium caſtrum regium ubi ingens Salmonum copia: In altero eſt Tana oppiduum Collegiata Eccleſia & reliquiis D. Duthaci Epiſcopi nobile Littoribus adhæret oſtreorum, & ſaxatilium mira copia & varietas.

Proxima Roſſiæ verſus Boream ſunt Navernia, Sutherlandia, Cathaneſia & Stranaverna, in

quibus singulare nihil præter montes candidi marmoris & alabastri, rarum in regionibus frigidis miraculum. Episcopi sedes est in Dornck, obscuro alioqui vico: Dunrobin munitum castrum, pertinet ad Sutherlandiæ Comites, è familia Gordonum. Girnego sedes Comitum Cathanesiæ, Wix præcipuum oppidum.

Inter promontoria, priscis memorata, omniũ maximè prominet Hovvburne Head, antiquis Orcas, Ptolemæo Tarvisium, quod Britanniam finiat. Tarvus enim Britannicè finẽ sonat: ex eo brevissimus est, sed periculosus per Pinthlandicum fretum in Orchades insulas trajectus. In Strathnaverna regione ad mare Deucaledonium tanta vis luporum, ut ter in anno teneantur omnes venationibus publicis interesse.

Ultrà progredienti ocurrit Rossiæ pars non exigua Vergivio mari apposita, plurimis interscissa æstuariis, & quæ ob montium nemorumque difficultates à feris commodius occupatur, quàm ab hominib⁹, in his nidos fingunt falco, nisus, accipiter, aquila, Capercalze, seu silvester equ⁹, corvo minor, saporis gratissimi, qui ex solis abieti extremis flagellis victitat. Gallus Tascorũ hirsutis pedibus & palpebris rubricantibus, tesquis victitans, fasiano minor, sed colore & sapore similis. Gustarda aspectabili formâ & gustatu perdicem referens, Oloremq; magnitudine superans, ova ponit nuda humo, sed ubi ea sentit ab homine attrectata, vel halitu violata, illicò deserit.

Litora omni genere piscium abundant, maximè harengis. Certum in Scotiæ litoribus occiduis

duis & borealibus, his onerari quotannis, ut minimum ter mille naves. Primam laudem diu obtinuit Loubrunus lacus, ad miraculum usque redundans harengis. Sed nusquam tam pingues & grati, quàm qui è lacu Fino educuntur. In mari occiduo capiuntur toto autumno & brumæ initio, in æstuario Cludæ & vicinis sinubus. Circa finem hyemis & deinceps aliquamdiu, tam in Orientali littore contra Fifam, quàm in meridionali apud Gallovidios abundant quidem, sed exhaustis jam lactibus macilenti. Observatum, si quo loco eorum occasione cædes, aut humani sanguinis effusio oriatur, ad aliquot deinde annos ab eodem harengos abhorrere.

Per Louquhabriam Rossiæ partem ferro abundantem, miscentur mari Louthea & Hispana amnes Salmonibus abundantes, Louthea ortus in dorso Badenachæ è lacu, in suo habuit ostio Inverloutheam opulentam civitatem, quam Galli & Hispani frequentabant, priusquam à Danis everteretur. Comites Louquhabriæ fuerunt Suartii, è quibus Robertus ante annos 400. per Marioriam matrem, filiam Regis Roberti Brus ad regnum Scotiæ, posteaque Jacobus VI. per Margaretham proaviam, filiam Henrici VII. ad Angliæ & Hiberniæ thronum conscendit.

Sequitur Lorna Regio plana, nec infœcunda, ubi visuntur rudera castelli Euonii, in quo Prisci Reges, aliquot sæculis habitaverunt: ex ejus ruinis enatum putatur oppidum Dunstafage, id est, mons Stephani. Mediam occupat lacus Leave, cui appositum Bergomum castrum, in quo olim justitiæ forum.

Lornæ contermina est Cnaplodia in cujus oppido Trarbar Jacobus IV. Vicecomitẽ constituit, qui Australium insularum incolis jus diceret.

Huic isthmo humili & arenaceo vixque passus mille lato jungitur Cantiera peninsula quæ versus Occidentem Hibernum sic porrigitur, ut ex ea in Hiberniam trajectus sit passuum nõ amplius 16. mille, sed difficilis propter æstuum sibi invicem resistentium concursum. Dunartæum castrum ferociam silvestrium hic cohibet.

Deinceps sita est Argathelia 7. Sinubus ex æstuario Glottæ infusis discissa quorum celeberrimus Finus à Fino fluvio quem recipit dictus, harengorum copia & bonitate celebris ultra sexaginta millia passuum porrectus in longum. In montibus qui ipsi sunt ad boream Vaccæ sunt non cicures, sed palantes ut cervi quarum carnes suavissimæ, & adeps solvitur in oleum.

Proximè post habes Lenoxiam, ubi lacus est aquæ dulcis Loumodus dictus, qui ad radices Grampij montis per vallem cavam se explicat viginti quatuor millia passuum longus, octo latus qui sæpe nullo flante vento magnis fluctibus æstuat, Salmonibus sapidissimis fœcundus quique supra viginti quatuor insulas complectitur quarum una cum gregibus & armentis natat; Erumpit ex eo meridiem versus Levinus amnis à quo regioni etiam Leviniæ nomen tributum, qui oppidulum rigat Britannodunum. & post quingentos passus junctus Glottæ simul cum eo in æstuarium evolvitur. A confluente herbosa planities circiter mille passuum ad proximorum montium radi-

radices extenditur. In ipſo angulo, ubi amnes commiſcentur, Alclutha rupes biceps attollitur. In altiori cornu quod Occidentem reſpicit ſpecula eſt longiſſimo in omnes partes proſpectu, alteri quod humilius eſt & præceps, Britannodunum, vernac. Dunbritovvn arx inſuperabilis imponitur, ad quam per inciſos in præduro ſaxo pertinaci labore gradus vix hominibus ſingulis patet aſcenſus: pro foſſis habet ſtationem navium Levinum lacum, Glottam & cœnoſam planitiem quæ Oceani æſtu irrigatur: in arce tres ſunt fontes perennes, & in ſuperiore parte ingens ſaxum Magneſij lapidis, ita cæteræ rupi adhærens, ut commiſſura omnino non appareat.

Magis ad Occidentem porrigitur Cludiſdalia ſuperior & inferior: in ſuperiore collis eſt non admodum editus, è quo in tria diverſa maria flumina effunduntur, Tueda in mare Scoticum. Annand⁹ in Hibernicum, in Deucaledonium Cluda tacito Glotta, qui variis augetur torrentibus, in quibus reperiuntur auri ramenta. Urbium quas alluit primaria Glaſgoum clara Archiepiſcopatu, Academia & Emporio, ex quo in exteras gentes exportantur Carnes, Boum tergora, lana, butyrum, harengi & Cerviſia melle & aromtibus condita, quam vernacule dicunt Brogat. Lazurium paſſim in his partibus eruitur ſine labore.

Conſequentem maris oram incolunt Siluri gens bellicoſa per regiones Cuninghamiam, Kilam & Carictàm diviſi, ubi plures reguli & nobi-

les, raræ sylvæ, sed pinguia pascua, & piscosa litora, habes in Kila sive Coila saxum 12. pedes altum, 33. cubitis extensum, quod vocant surdum, ad quod si vel tormentum bellicum explodas, ex adversa tamen parte auditur planè nihil: oppidum Air, quod & S. Joannis dicitur, portum habet frequētem & ędificiis splendidum ad ostium amnis cognominis.

His adjacet Gallovidia, olim Brigantia, celebris propter frugum ubertatem, subtilem lanam, & gradarios equos, parvos quidem, sed adeò agiles, ut quoscunque, si iter instituas plurium dierum antevertant. Oppida habet portusa Candidam Casam, ubi D. Minianus doctrinâ & miraculis claruit, nec non Monasterium, olim dictum Suavicordium, ob probatissimos cœnobiarchas, Victonam & Kircubrium.

Sunt denique in regni limitibus Anandalia, ab Anano flumine, & oppido sic dicta, & Liddisdalia, à Liddero amne, ubi castrum Eremitagium antiquum & validum contra Abigæos & nocturnos ambulones firmatum. Accolæ vadosi æstuarii Solvvay utrinque salmones, quibus abundat, jucundo spectaculo equis insidentes venantur hastis, sive mavis expiscantur.

CAP. X.
ANGLIA.
Magnæ Britanniæ pars altera.

HAnc insulam, quæ nunc divortio m. 21 separatur à Gallia, olim fuisse ipsi conjunctam existimarunt viri graves, *a* quod rupes quæ

coëunt

coeunt proximè ejusdem videantur esse naturæ, scilicet ex creta variis nigræ silicis distincta ordinibus: deinde quod lupos & alia hujusmodi noxia pecori animalia, quæ ibidem pauperiem faciunt agricolis, nemo voluisset illuc navi vehere. Etsi enim jam penè nulli sint in Anglia lupi, & sub dio impunè greges pernoctent, fuisse tamen constat ex historia tam multos, ut Reges Madan & Mempricius dicantur à lupis devorati, proptereaque Eadgarum Regem, luporum capita 300. exegisse pro tributo à Luduallo Walliæ Principe, qui tribus annis cum illud præstitisset, quarto destitit, nullum se ulterius invenire professus, ut habet Malmesburiensis. De sermone gentis sic habet Tacitus, sermo fuit Britannis & Gallis communis, infinita in hanc diem id testantur vocabula.

Censentur in tota Anglia Hidæ terræ, seu Cassatæ omninò 243600. Hida autem sunt quatuor virgata terræ, seu quantum uno in anno aratrum potest proscindere. Patet autem à 50. gradu ad 59. hoc est, porrigitur in longum per minuta Geographica 540.

Sunt Archiepiscopi duo, Cantuariensis Angliæ Primas, cui subsunt Episcopi 21. & Eboracensis, cui tres.

Urbes in toto regno paucæ admodum, omnino 22. numerant aliqui, sed mercatoria oppidula, sine numero, propter 325. amnes, stratos pontibus 857. quibus tota Anglia proscinditur & fœcundatur. Montes crebri procurrunt in omnem partem, suntque quasi arbitri inter regiones sive

Comitatus 52. in quos dividitur Anglia, unde eos Comitatus vernacule vocant Shires à verbo Shire quod ipsis idem est ac dividere. Alfredus Rex circa annum 1016. singulos præterea Comitatus diviserat in Centurias & decurias, jusseratque, ut si quis alicujus delicti insimularetur, ex sua centuria & decuria exhiberet qui se vadaretur, aut in eum ex lege animadverteretur; Si quis vero reus ante, vel post Vadimonium transfugeret, omnes ex ea centuria in Regis mulctam incurrerent. Quo constituto ea pax & justitia inducta est ut armillas aureas in quadrivijs suspensas non modo auferret nemo, verum etiam si viator quantamcumque pecuniæ summam in itinere amisisset, vel post mensem ad eum locum rediens integram reciperet. O Tempora!

a *Servius in Virgil. Claudian.*

Cap. XI.

Angliæ Imperium.

Rerum Anglicanarum melioris notæ historici ajunt è proxima Gallia transmisisse, qui numerosas insulas continenti Galliæ obversas, primi incoluerunt. Idem è nomine, situ, religione, moribus & lingua utrisque communi probant, quotquot sunt emunctioris naris critici, qui de hac re egerunt, Morini, Britones & Armorici, qui earum insularum præcipuam è suis littoribus albicantem cernebant, & quasi oculis eminus signabant, primo Albium dixerunt, quod Alp Celtica lingua altum significet, Alb

verò Album. Deinde cum eorum qui se in eam contulerant, aliqui dicerentur Atrebates, alij Belgæ, & nomen gens quælibet proprium haberet depromptum à locis Galliæ, à quibus ortum duxerat, omnium pars longè maxima è Gallia Britannica, quæ Morinis & Ambianis proxima erat, ut capite 1. hujus libri docui, advenisset, aut per eam in Albium navigasset, tandem invaluit, ut nomine communi incolæ Britanni præcipua insula Britannia, vicinæ verò Britannides appellatæ sint.

Insulanos hujusmodi paruisse Gallis dubitabit nemo, qui apud Cæsarem l 2. de bello Gall. legerit Diuitiacum Regem Suessionum, Gallorum potentissimum, optimam majoris Britanniæ partem obtinuisse, quando Galliæ Cæsar bellum intulit. Et lib. 4. Comium Regem Atrebatum, victum se in Britanniam ad suos recepisse.

Julius Cæsar Romanorum primus littore potitus, anno ante Jesum natum quinquagesimo quarto, Romanis eam ostendit, potiùs quàm tradidit. Claudius Britannis primus imposuit jugum, & partem insulæ redegit in Provinciam, circa annum Christi 52. Suetonius Paulinus Monam insulam devicit, & 80000. Britannorum, quibus Boudicæa fœmina Dux erat, interfecit anno 63. Julius Agricola, cùm defecisset, ad jugum reduxit anno Christi 82. ejusque classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit, partemque ejus Australem legionibus quatuor munivit. Severus Imperator anno Christi 210. interfectis suorum 50000 pacem firmavit cum

Britan-

Britannis, & Britanniam divisit in superiorem & ulteriorem; superior partem Australem & Occiduam, seu Walliam continebat, cujus præcipuæ urbes Caerleona, & Cestria. Ulterior Borealem, ubi Eboracum urbs primi nominis. Fuit deinceps divisa à Cõstantino Magno in maximã Cæriensem, Britanniam 1. & Britanniam 2. quartam addiderunt dictam Valenciam Imperatores Valentinian⁹ & Valens: quintam demum Theodosius, quàm de suo nomine Flaviam appellavit. Tuncque regio Australis, quæ hinc mare Britannicum, illinc Tamisim & Sabrinæ fretum interjacet, dicta est Britannia 1. hoc est, quæ venientibus Româ occurrebat prima: quæ nunc Wallia tunc appellata Britannia 2. quæ scilicet à Romana esset civitate magis remota: Flavia Cæsariensis à Tamisi ad Humbrum porrecta fuit: maxima Cæsariensis à Humbro ad Tinam: Valentia è Tina ad fossam juxta Edemburgum.

Picti & Scoti, qui advenæ ex Hibernia septentrionalem insulæ partem incolebant, Britonibus perpetuo infensi, faventibus Romanis repulsi sæpius: donec fatiscente Romanorum Imperio, evocatis ex insula Legionibus, & juventute per crebros delectus in externam militiam exhaustâ, Pictorum & Scotorum irruptionibus fatigati Britanni, cùm à Romanis, quibus Attila imminebat, auxilia non potuissent impetrare, tandem ab Imperio desciverunt D. propè annis post appulsum Cæsaris: electusq; circa annum Christi 435. à Britanniæ proceribus, Vortigernus virtute ac generis nobilitate præcipu⁹, qui libera sceptra capesce-

pefceret. Hic viribus fuis diffidens, quo patriæ fatum averruncaret, Anglos ad collum Cimbricæ Cherfonefi fitos, Vitas Bedæ, aliis Gutas & Jutas, unà cum Saxonibus, tunc rei militaris, terrâ, marique geftæ famæ illuftres, evocat. Hengiftum & Horfam, cum valida Anglorum & Saxonum manu, adventantes honorificè excipit, circa annum falutis humanæ 449. & Cantio ipfis ad habitandum affignato brevi poft conjunctis viribus, de Pictis & Scotis ingenti potiuntur victoria. Mox tædet Britannos tales hofpites evocaffe pugnâ fæpius inter eos commiffâ, Cum penes Anglos & Saxones victoria femper ftaret, victi in leges, nomen, & linguam vincentium conceffe-runt: hinc Regna feptem variis annis inchoata, quibus totidem Reguli præfuere in fumma penè femper difcordia, donec circa annum Chrifti 810. cum Anglorum progenies cæteris ampliores obtineret regiones, placuit ut communi nomine omnes dicerentur Angli, ipfaque regio obliteratis nominibus Britanniæ & Tranfmarinæ Saxoniæ, appellaretur Anglia.

Sæculo proximè fequenti, cum Anglorum res ad fummum gloriæ decus perveniffet, & ut fit in rerum omnium abundantia, vulgus otio torpefceret, nobilitas luxu folveretur, Clerus tumultuariâ literaturâ contentus, vix facramentorum verba balbutiret, ficque ad mala perpetranda omnes feftinarent, ut nefcire crimina crimen effe videretur: tum verò pœnas de tot flagitiis, repente numine, Imperium infulæ ad Danos pervenit Suevonem & Canutum magnum, qui tamen

brevi

brevi post sunt insula ejecti, & lata lex, ne quis Danus ad sceptrum Anglicanum vocaretur. Verùm legitimis hæredibus è Northmannia Gallica evocatis: Guillelmus Northmanniæ Dux, in Regem Angliæ salutatus est anno 1067. qui mox abrogatis legibus Anglicanis, Northmannicas gallice scriptas substituit, & ut causæ eodem idiomate agerentur jussit, qui mos ad Eduardi III. viguit tempora. Ante Guillelmum nulla fuit communis Regni tessera, sed Reges singuli sunt usi propria. Hic verò gentilitiam Northmannorum dedit Angliæ, in qua Pardus duplex, addidit tertium Henricus II. quando hæredem Aquitaniæ matrimonio sibi junxit. Guillelmi prosapia cùm defecisset in Henrico I. sine liberis defuncto: Stephanus genere Francus, Comes Bononiensis Henrici sorore genitus subrogatus anno 1135. ne in Reges suos bis peccarent Angli 1100. sive castella sive oppida mœnibus exuit, nec fuit in tota Anglia celebris ulla munitio, ad tempora Henrici VIII. & Elizabethæ, qui littorum omnium aditus castellis firmarunt.

Cap. XII.

Religio.

Suos hæc olim insula Druidas habuit & Bardos, qui mores excolebant. Prima Christianæ fidei fecisse semina D. Petrum, narrant Nicephorus & Lipomanus. S. Paulum Sophronius, & Theodoretus. Josephum ab Arimathia, D. Patricius, & Abbatiæ Glastembury monumenta.

Priorem

Priorem Nicephori sententiam confirmat Marianus in ruinis Romæ, lib 3. Epist. 34. ubi ait Claudium Imperatorem, post triumphatum Caractacum Britanniæ Regem, adoptasse ejus filiam, appellasse Claudiam, & dedisse in Matrimonium Pudenti Rufo Senatori, apud quem cùm S. Petrus hospitaretur, Caractacus ad fidem conversus, rogavit Apostolum, ut relicta tantisper Roma Btitannos fidei lumine illustraret. Certè Claudiam, quam Martialis Britannam vocat, à D. Paulo baptisatam, legimus in Epist. 2. ad Timotheum.

Constat sub Aurelio Commodo Lucium Regem Britannorum, qui nec dum Romanis parebant, Christianorum integritatem miratum, petiisse ab Eleuthero Papa S. Fugatium & Donatianum, à quo ipse & subditi Christiana religione sunt imbuti. Huc deinde Augustinus, quem vulgò Anglorum Apostolum dicunt missus à Gregorio Magno, qui Christum in ipsorum animis sic inservit, ut in ejus fide constantes perseveraverint ad tempora Henrici VIII. qui in Annæ Bolenæ pellicis amorem effusus, cùm impetrare non posset à Clemente Summo Pontifice, ut repudiata Catharina conjuge, Bolenam duceret, à Pontifice defecit, & Lutheri sectæ, quam scripto confutaverat, adhærens, primum vexare Catholicos cœpit rapinis & cruciatibus, deinde publico edicto se Anglicanæ Ecclesiæ caput & dici & esse voluit. Cum Rege Anglia pariter à fide descivit anno 1537. & è Parochialibus Ecclesiis, quæ tunc 9284. numerabantur

rabantur, plusquam 3845. transierunt in feuda, ut vocant Laicalia, & omnes Abbatię, & domus religiosæ, Regi sunt à Parlamento concessæ specioso obtentu eruendæ superstitionis. Cum verò Regnum morte Eduardi VI. ad Mariam Henrici ex legitima uxore filiam pervenisset anno Christi 1553. Reginaldus Polus Cardinalis Pontificis Legatus, Reginâ adnitente Angliam hæresibus expiatam, ad avitam religionem revocare cœpit, anno post ejus exilium fermè 20. verùm Mariæ morte anno 1558. Regnum Angliæ, ad Elizabetham Polenæ filiam devolutum est, & Angli sunt ad errores pristinos revoluti anno proximè sequenti.

CAP. XIII.

Chorographia.

ORdior ab illo duplici muro pictico, *The Poicts Wall*, quem Vallum Barbaricum, Prætenturam, Clusuram & Romanæ Provinciæ limitem appellant Spartianus, Cassiodorus & alii. Primum posuit Agricola inter Bodotriam, vern. *Edimbourg* 55. 57. & Glottam, vern. *Dunbriton*. 55. 57. Alterum Hadrianus à Blato Bulgio, vern. *Bulnesse*, 54. 58. secundùm Itunæ æstuarium ad Lugu-vallum, sive Carlil 54. 57. hincque per ardua montium ad Tinæ ostium, vern. *Tinmoult*, 54. 57. Id præstitere, quod in edomandis Britonibus, Caledoniis & Pictis plurimum laboris & parum emolumenti viderent. Primùm sæpiùs perfractum à Pictis, restituerunt Lollius Urbicus, Ale-

Alexander Severus, Carausius & Theodosius. Secundùm firmavit Severus muro saxeo, octo pedes lato, duodecim alto, turribus ad singulos mille passus, castellis, oppidis, aggere, viâ militari, & exteriore fossâ bene altâ & latâ. Tubulus ex ære muro insertus est, quo turri proximè significabat excubitor, cui loco hostis immineret, quod idem perfracto tubo posteri inflato cornu præstitere.

Nunc Vergivii maris litora à Septentrione in Austrum lustremus. Cumbria, vern. *Cumberland*, se offert primo loco situ frigida, metallicis montibus aspera, & gregibus abundans. In Itunæ æstuarium, quod nunc dicimus *Solvvay-Frid*, ab oppido Scotorum *Solvay*, quod huic imminet, evolvitur Esca fl. Scotiæ & Angliæ limes: & Ituna, huic imponitur Carleolum, vern. *Carlile*, oppidum Episcopale, amœnum, & citadellâ munitum, ab eo parum distat castrum *Drumbourg*, antiqua Romanorum statio. Promontorio incumbit Blatum-Bulgium, nunc *Bulnese*, viculus cum munimento, à quo itinerum Imperii ducit initium Antoninus.

Ad *Wirkinton* castrum 54. 42. piscaturâ salmonum nobile, miscetur mari Derventio fl. qui ortus in valle Borrovale serpit per montes plenos ære, & *Cokarmouth*, alluit forum copiosum. Stationem navium habes ad vicum *Moresby* 54. 38. Ad Ravenglas 54. 25. influit rivus *Irt*, in quo sunt conchæ, quæ margaritas insignes pariunt.

Succedit Westmorlandia magnam partem inculta propter rupes. hujus præcipua urbs Can-

dalia

dalia 54. 18. lanificio celebris ad Canum fl. qui duplici Catadupa, dum ſe præcipitat, ſi borealior inſonat clarius, ſerenitatem, ſi auſtralior imbres & nebulas expectant incolæ.

E regione Cumbriæ habes inſulam Monœda vern. *Man*, juris Anglici, licet incolæ lingua & moribus ad Hibernos accedant, patet in longum 30. minuta, lino, cannabe & paſcuis læta, urbs Epiſcopalis in ea Ruſſin, frequentior tamen eſt *Duglas*, quod portus ſit ad quem Galli ſal deferunt, & inde Coria, lanam & carnem bubulam ſalitam exportant. Judices hic dirimunt lites nulla mercede, & ſine ſcriptis. Mulieres verò, quocunque ſe ex ædibus conferunt; linteo, quo mortuæ involvendæ ſunt, ſe circumcingunt. Auſtrali promontorio prætenditur modica inſula, anatibus è putrefacto ligno enatis abundantiſſima.

Adjacent ſuperioribus Lanclaſtria & Ceſtria, Comitatus Palatini titulo inſignes, & frequentibus familijs ſpectatæ nobilitatis. Lancaſtriæ præcipuum oppidum Longovicum vern. *Lancaſter*, 54. 4. ſedet ed ripam Loni fl. qui ex Veſtmorlandiæ montibus ortus, accolas æſtivis menſibus opima ſalmonum piſcatione ditat. Mancunium vern. *Mancheſter* 53. 28. circumvicinis præcellit oppidis ornatu, frequentia, lanificio (*cottons de Mancheſter* vocāt) foro, templo, & Collegio, ad confluentem Irkus in Iruellum. Ad oſtia Merſeij floret Lirpoole 53. 24. commodiſſimus in Hiberniam trajectus.

Ceſtriam fœcundant nobiles fluvij Werverus, & De-

& Deva. ad Wervérum habes Congleton. 53 10. sacellum è ligno, tenue vestigium antiqui Condate Cornaviorum, ubi fuit sedes Prætoris & Senatorum sex. In eum influunt aliquot salsi fontes, è quibus sal excoquitur. Deva salmonibus ferax ruit è Wallia, ejus incolæ ab ea dicti olim Ordevices: nunc loca rigat insigniora Bonium & Cestriam. Bonium vernac. Banchor 53. Monasterium fuit, in quo 7. olim Rectores, qui 300. ut minimùm, singuli regebant Monachos, qui omnes die ac nocte in opus incumbentes, & ex virtutis præscripto, se moresque suos regentes, victum sibi comparabant, inter quos tamen repertus Britanniæ coluber Pelagius gratiæ Dei hostis infensissimus. Cestria vern. *Chester*, urbs est præclara & dives, quæ Eadgarum Regem, de octo Britanniæ, & insularum Regibus, vidit triumphantem in navicula, cujus ipse clavum regebat secundum Deam amnem, Reges verò subditi remis incumbebant.

Cap. XIV.

VVallia.

Regio est ampla Vergivio mari apposita inter æstuaria Devi & Sabrinæ, sic dicta à Gallis, qui hanc insulam primi incoluerunt, & quorum progenies tyrannidem Romanorum, Anglorum & Saxonum, fugiens libertatem tutata est suam in hac parte, quæ tota montibus, sylvis & fluminibus impeditur; & verò in hanc diem

diem usus est in Wallia, Cumbria & Cornubia linguæ, quæ putatur Gallorum antiqua. Eam Rodericus Magnus anno 870. in tria divisit Regna, Walliæ Aquilonaris, cujus præcipua urbs *Aber-Fravv*, in Mona insula: Povisiæ inter Vagam & Sabrinam extensum: Et Australis Walliæ. Porrò cùm fines Saxonum, sæpius invaderent Walli; Offa Rex Merciorum, fossam per centum millia passuum duxit per montes à Devę ostio in agro Flintensi, ad exitum Wagæ in agro Glocestriensi, qua se contra eos defenderet. Haraldus verò legem tulit, ut quicunque citra fossam, cum telo deprehensus esset, ei dextera manus præscinderetur. Aliam duxit Athelstanus, ab Oceano ad Iscum, seu Exoniam urbem in Devoniensi agro, & statuit, ut Tamara Regnorum limes esset. Licet autem tempore Eduardi, unita fuerit Wallia Angliæ, funestissimum tamen inter utramque gentem odium, vix potuit restingui, ad tempora Henrici VII. qui parem utriusq; gentis voluit jurium libertatisque esse conditionem. Cumque invaluisset, ut quemadmodum destinati Romani Imperii successores, Principes juventutis, Cæsares, Nobiles: Græci Despotæ; Gallici Delphines, Hispanici Infantes dicti: Ita Anglici Principes Walliæ, & Duces Cornvalliæ appellati, per sertum in capite, annulum in digito, & virgam argenteam, in hæredes Regni transcripti sunt ad tempora Jacobi Regis, cujus filius, qui nunc regnat, Princeps Magnæ Britanniæ appellatus est, de antiquis Wallis tradunt auctores equos habuisse vegetos & arma tersa, non nisi

ſemel de die ſumpſiſſe cibum, idque ſub veſperam, muſicam & eloquentiam coluiſſe, magni feciſſe natales, & verò etiam nunc multi in ſordibus & pannis nobilitatem tritavorum jactitant: nunc ex ea gente permulti operam dant literis & litoribus.

CAP. XV.

Walliæ Comitatus. Flintenſis: Caërnarvon: Angleſey: Merioneth; Cardingan.

DEvæ æſtuario prætenditur Comitatus alterâ parte longior, cui nomen à Caſtro *Flint* 53.12. à quo minutis decem removetur Aſaphenſis civitas Epiſcopalis S. *Aſaph* 53.15. Monaſteriū olim, in quo circa annum 560. numerati 663. Monachi, quorum 300. illiterati, agriculturæ vacabant: alii operibus intra Monaſterium maximè divinis, aliis continenter, aliis ſuccedentibus in templo. Huic proximè adjacet *Denbigh* ager, qui diſperſim habitatur, quod glabris & macientis montibus ubique ſit horridus, præterquam in valle, quam Cluida fl. mirum quantum fœcundat. *Alen* fl. ſemel atque iterum ſe recondens, cuniculum agit in regiuncula, cui nomen impertit uum, in qua vicus *Kilken*, ſitus in monte, ubi fons eſt, qui maris æmulus ſtatis temporibus, ſuas & vomit & ſorbet aquas.

Canovius amnis è palude ejuſdem nominis emanans, anguſtiori alveo, uſque ad oſtium ferè ollifus conchas alit, quæ margaritas parturiunt.

Eo transmisso offert sese Caërnarvon Comitatus, cujus interiora *Snovvdon* occupant Britannicarum Alpium montes altissimi, qui omnes unum quasi præcingunt, qui caput æternis tectum nivibus cœlo videtur inserere, in quibus omnibus frequentes pascuntur pecudes, vagantur armenta, & tutissimum incolis est à bello perfugium. Urbs primaria 53. 13. quæ nomen dedit Comitatui, putatur crevisse ex ruinis Segontii, freto tantùm dissita est à Mona. Hæc insula est, quàm nunc dicimus *Anglesey*, sedes antiqua Druidum, tritico, re pecuariâ, molari lapide, & alumine opulenta, cujus præcipua urbs Bellus Mariscus *Beaumarish*, 53. 23. Nam *Aberfravv*, 53. 21. sedes Regum Venodoriæ, sive Northvvalliæ, nunc est obscurior.

Comitatum & peninsulam Caërnarvon, excipit Comitatus *Merioneth*, dives numerosis ovium gregibus, quæ passim errant per montes, qui & altissimi sunt, arcti & in modum acus erecti, & sic æquales, ut ex verticibus pastores colloquantur, nullum hic appellabo oppidum, quod sint exigua & rara.

Ad austrum huic adjacet Comitatus, cui oppidum *Cardingan* nomen dedit, cujus ager præcedenti haud dissimilis.

Hinc grandi fronte procurrit in Oceanum Comitat. Pembrok, cujus pars borealis saxosa salmonibus abundat, ad Kilgarran in Tino amne, habet & falcones generosos, qui ponunt nidos in promontorio, quod Ptolemæus vocat Octopitarum, non longè ab urbe tenui S. *Davids* sacra, quæ

suos

ſuos olim habuit Archiepiſcopos, qui graſſante peſte pallium ſuum in Britanniam Armoricam tranſmiſerunt: Pars auſtralis frumento, & rebus omnibus affluit, & portum habet Milford g. 52. m. 48. quo non alter eſt in Anglia, aut nobilior, aut tutior. Inde ſe in terras mare inſinuat, ac primùm in duos ſinus finditur, mox patenti ore pelagus admittit, ſed quo magis penetratur, anguſtiùs fit fretum, quod à Sabrina, quam excipit, nominamus Sabrinianum, Pembroco ad Orientem ſuccedit Caermarden Comit. frugibus, gregibus, & carbone foſſili abundans. Urbs primaria Maridunum, vernac. *Caermarden* g. 51. m. 54. ad Tobium fl. qui lembis tantùm ſubvehendis par eſt. In ea natus olim Merlinus ex incubo, qui non vaticinia, ſed Oreſtis ſomnia ſuis effinxit. Walliæ Auſtralis, hic ſedet Cancellaria. Non ita procul ſpecus eſt, aſylus ruſticis belli tempore tutiſſimus Fons item, qui bis in die æſtuat, & deficit, non ſecus ac mare. Comitatum Glamorgan habet pro limite Auſtralis Wallia, in eo non procul à caſtro Ogmor g. 51. m. 30. nec multum à litore Sabriniano, fons eſt alius, qui æſtuante Sabrinâ deficit, defluente verò aquis abundat. Altius in ipſo litoris flexu ſternuntur inſulæ Sully & Barri. In hujus rupe marina, eſt rima modica, ad quam ſi aurem apponas, audis ſtrepitum quaſi fabrilis operæ, nunc follium flatus, nunc malleorum ictus. Vix tribus ab ea minutis Taffus fl. è montibus dejectus, urbes rigat Landaffe & Caerdiff, illam Epiſcopali dignitate claram, hanc mercimoniis.

Sequuntur Monmonthensis Comitatus palustria litora, per quæ Oceanum subeunt Isca & Vaga. Isca sive Osca è nigro monte proruens, præterit Breknok oppidum primarium, cui nomen à Brechanio Principe, qui filias 24. omnes sanctimonia insignes fertur suscepisse. Duobus hinc ad ortum milliarib⁹ lacus est, dictus clamosus, quod tonitrua ementitur, quoties in eo glacies solvitur. Levenus fl. per hunc invectus inconfusus faciem servat: Loventium Ptolemæi, in hoc lacu stetisse putatur. Ad Iscæ & Geveny confluentes, oppidum habes Abergevenny g. 51. m. 52. quod Antoninus dixit Gobannium, à quo 12. mill. abest Burrium, ab hoc verò totidem distat, Isca Legio II. in qua sub ingressum Saxonum ajunt fuisse gymnasium 200. Philosophorum, qui stellarum cursus observabant, nunc dicitur Caerleon, putaturque ex ejus ruinis crevisse Novus portus.

Vaga in Montgomeriis montibus ortus, urbes rigat Buelth & Hay in Comitatu Brechnoc: in Harcsfordiensi Clivum fortem, Bradvvardinum & Harefordiam g. 52. m. 6. caput hujus Comitatus, Lemster, ubi nascitur Linum laudatissimum, & lana, quæ soli Apulæ cedit. Inferius prope confluentem Lugum in Vagam, Collis, quem Marcleyhill vocant, anno salutis 1575. consurrexit, & triduum se immanissimam molem propellens, horrendo reboans mugitu, & obvia queque prosternens in superiorem locum se promovit. In eadem ripa ad ostium Munovv in Vagam, stat oppidum celebre Moumouth, in quo natus olim Henricus V. Hinc ad ostium Vagæ copiosa est salmo-

ſalmonum piſcatura à Septembri in Aprilem. In ipſo verò oſtio Ghepſtovv oppidum clivo impoſitum.

CAP. XVI.

Sabrina, & Varii ad eam Comitatus.

ORitur è Monte Plinlimon in Comitatu Montgommerio, cujus præcipuum oppidum ſurgenti ſaxo impoſitum g.52.m.35.præterfluit, ſicut & Thevvkesbury urbem celebrem g. 52. m. 44. hinc abit *Bridgnorth* nobile oppidum Salopienſis Comitatus, in quo & viculus *Pitchford*, à fonte picis, ſeu potius bituminis, quod in eo eſt, ſic dictus. Inde ſalutat *Beauudley*, ubi ædes Regiæ. *Droitvvich* g. 52. m. 15. ubi tres fontes, ex quibus ſal excoquitur. *Worceſter* vetuſtate & venuſtate urbem inclytam, & Gloceſtriam ingreſſus Avonam fl. excipit, ad quem ſedet *Rugby* laniis forum frequens, & Warvicum Romanorum olim præſidim, nuuncque caſtrum opere & naturâ munitum, cum oppido ſpecioſis ædibus claro. Inde Sabrina dum præterfluit Gleuum, inſulam facit *Alney*, in qua miſſo in compendium bello, utriuſq; gentis fata Edmundo Anglorum, & Canuto Danorum regib⁹ commiſſa, qui ſingulari certamine, de ſumma imperii in ea decertarunt: & poſt ancipitem æquo marte pugnam pax convenit, & regnum inter eos diſperditum. Mox tamen Edmundo non ſine ſuſpicione veneni ſublato, univerſam An-

gliam occupavit Danus. Glenum, vern. *Clocester* g 51. m. 50. urbs est pulchra Comitatus cognominis primaria, templis & ædificiis culta. In Choro Primariæ Ecclesiæ fornix est eo artificio constructus, ut si quis admodum summissâ voce ad unum ejus parietem loquatur, & alter applicet aurem ad aliam partem, facilè unamquamq; syllabam exaudiat. Infra Glocestriam Sabrina, alterno maris accessu plenior more sævientis pelagi exurgit, & petens Oceanum aperit se ad *Darcley* g.51 m.42. castrum munitum, sub quo Aven fl. mare subintrat. Succedit Bristolia g.51. m.30. ad Confluentem Avonæ & Formi sita, licitationibus faciendis Lōdini æmula, pulchritudine & dignitate ab Eboraco secunda. Quinto milliari ab ea distat Bathonia, Antonino dicta Aquæ solis, ob termas jam ex antiquo celebres: In cujus balneo sedilia sunt 12. in Regio 32. Avonæ ostio imminent rupes duæ adamantum feraces. Sequitur in eodem æstuario ostium Brivi, in cujus ripa fuit Glasconia, vernac. *Glastemburii,* Benedictinorum cœnobium longè celeberrimum, ab Henrico VIII. excisum, quamvis locus is ab omni ævo diceretur prima terra Dei, prima Sanctorum terra in Anglia, & tumulus Sanctorum propter antiquam ædem ibi ædificatam à S. Josepho ab Arimathia, qui Christi corpus sepulcho mandadavit. Ab eo 4. milliaribus distat Fontanensis Ecclesia, sita ad radices collium *Mendipp*, qui plumbi fodinis abundant: hæc Ecclesia in tota Anglia celebris est propter propylæum portæ principis: sicut D. Pauli Londinensis propter templi

templi obelifcum campanarium pedes 534. altum. Cantuarienfis propter opera ex Vitro: Bathę propter feneftrarum & columnarum numerum: Lincolniæ inter Cathedrales: Radcliffæ Briftolienfis inter Parrochiales, & W^e eft-Monafterium inter capellas Regias. Eodem quafi oftio mifcetur mari Pedredus fl. qui urbem alluit Bridgevvatter g. 51. m. 6. in his partibus celebrem, & rivum fufcipit, qui rigat rudera antiqui Somerton, à quo Somerfetenfi nomen inditum comitatui, qui cœnosâ vligine madet penè totus.

Cap. XVII.

Denshira & Cornuvvallia.

SOmerfetiam excipit Danmonia in Denshiriam & Cornuvvalliam divifa. Ad oram maritimam, quæ tota inculta eft habes Combmarton, ubi vetus plumbi fodina, & Ilfarcomb ftationem navium fidam. Uno deinde oftio effundunt fe duo fluvii Tavv & Tovvridge. Tavus è regionis meditullio defertur per Chimlig, Tavvton & Berftaple oppida mercatoria, mox junguntur Tovvridgo, qui Ockũ recipiens, à quo Ockhamptoniæ oppidulo nomẽ, mox per Tomerington, cui nomen impertit, & infra *Bediford* oppidum frequens, cum Tavvo petit mare Sabrinianum: ad Herculis Promontorium, vernac. *Hertypoint*, funt oppidula *Herton* & *Hertlond*. Hinc incipit Cornuvvallia à Promontoriolis, quibus quafi Cornibus excurrit in Galliam fic dicta, Britonum antiquâ adhuc linguâ utitur: à fonte & oftio Ta-

maræ ad Belerium caput extenditur per milliaria circiter 70. ſtanni divite venâ ubique fœlix. Ora maritima abundat alga, quæ agros fœcundat. In Septentrionali litore loca alicujus nominis ſunt Stratton & Tinagel, ubi ruinæ caſtri, in quo natus fertur Arthurus. *Padſtovv* emporiolum, ex quo horis 24. tranſmittunt in Hiberniam: *Lhanheron* & S. Columbæ oppidulum, aliudque S. Iiæ Sacrum, à quo litus arenoſis cumulis aggeratur ad Beleriumcaput, incolis *Pen von Las*, hoc eſt, caput finis terræ, ubi undeviginti lapides videbis in orbem poſitos, victoris alicujus trophæum: hinc non longè eſt ſinus S. Michaëlis, ſtatio ſæviente auſtro & phœniciâ navibus tuta, ab eo parum abeſt Ambroſii ſaxum magnæ molis, quod & ſi vel digito facilè moveatur in loco, nullâ tamen vi poſſit ab eo dimoveri.

Paſſim fœtus procreant in hoc litore *Pyrrhocorax* roſtro & pedibus rubentibus cornix, quæ ignem ædibus ſæpe fertur ſubjicere & pecuniam abſcondere. *Heilſton* oppidum eſt ſignandi metalli privilegio celebre. Ad auſtrum Kerſoneſus Menna in caput Ocrinum, vernac. *The-Liſard*, deſinit. Reducto dein litore occurrit ſinus navium capaciſſimus Voluba, vernac. *Falemouth*, in cujus faucibus caſtella duo excitavit Henricus VIII. Ad fl. Favvey eſt Uxella, vern. *Leſtuthiell*, oppidum Comitatus primarium, ubi metallorum Præſes. Mamara fl. haud procul à Septentrionali litore ortus ad meridiem curſum, agit per Tamaram, vernac. *Tamerton*: ab ejus ripâ

pau-

paulò remotius fanũ S. Stephani, vern. *Launston*, nitidum oppidũ publico carcere, & cõventu notum. Inde montem ſuſpicit Hengiſti, vernac. *Hengſtonhill*, & in collis dejectu poſitum Salteſſe emporium tenue ad oſtium Liveri. Inferius etiam excipit amnes *Lid*, ad vicum *Lidſton*, & Teanum, ad quem habes *Tauiſtoke*, ubi cœnobium celebre poſuit Ordulphus Devoniæ Comitis, filius tanti roboris & molis, ut portarum repagula confringeret, & fluviolum 10. pedes latum, divaricatis pedibus continuaret. Hinc Tamara jungitur Plimo citerioris Damnoniæ fl. qui nomen dedit ſuum incumbenti oppido Plimmouth, ubi portus, qui ſecurè maxima admittit navigia, tam in Tamara, quàm in Plimo: hinc oriundus Franciſcus ille Dracus Pyrata celebris, qui anno 1587. navibus quatuor 1189200. nummos aureos deprædatus, poſteaque navibus 24. oram Americæ depopulatus, rediit onuſtus immani prædâ & 240. tormentis bellicis. In proximo eſt Plimpton forum, utcunque frequens. Spatioſa deinde ſequitur Regio. Mox erumpit *Dert* fluvius, qui primum per ſqualida montana *Dertmore* dejectus ruit, deinde agros fertiles rigans miſcetur mari ad *Dertmouth*, portum inſtructiſſimis navibus celebrem. Ab eo ad Boream mare ſequitur litora ad Sinum *Torbay*, ſecuram ſtationem à *Notolybico*. Inde *Teignemouth*, viculus ad oſtium *Teigne* fl. ad quod Dani primùm egreſſi, quando inſulam vaſtarunt. Ad ſextũ inde milliare Iſca fl. magno oſtio evolvitur in mare ad viculum Examnout, fontes habet in

Exmore, labitur per *Teverton* pannificio celebrem, & divortiis ludens Iſcam, ſeu Exoniam allabitur urbem incolarum & convenarum frequentiâ celebrem, ubi nunc Cornubiæ Epiſcopatus. Magis ad ortum fuêre portus aliquot olim nobiles, nunc verò oppleti arena.

Cap. XVIII.

Durotriges.

DAnmoniis ſuccedunt Durotriges per 50. milliaria ſecundum litus. adnectitur continenti Peninſula Portland 7. milliaria ambitu colligens, ovibus dives & frugibus, ſed indiga ſylvis, unde & fimo bubulo ſole ſiccato pro ignis fomento utuntur. Incolæ inter algas Iſidis Plocamon ſæpius reperiunt, qui frutex eſt marinus corallio non diſſimilis. Eſt & alia peninſula *Purbecke*, magna ex parte ericetum, & ſaltuoſa, damis cerviſque referta, in qua Pole urbecula. Ad ortum ejus mare ſinum aperit, in quem labitur *Frome* nobilis fluvius, in ſaltu *Blacembre* ortus, qui Dorceſtriam rigat oppidum Comitatus cognominis primarium, ab Antonino dictum Dornonariam, à Danis pridem mœnibus exutum: magis ad ortum, ad confluentem Stouri in Avenam, habes emporiolum ab æde Chriſto ſacra *Chriſt-Churck* dictum. Ad ripam Stouri floret Vindogladia oppidum frequens, antiquum, & tumulo Regis Etheldredi clarum. In Avonam amnes varii feruntur, inter quos *Deverill*, ſic dictus, quod ſe ſub terram immergat, &

poſt mille paſſus iterum emergat. In eundem labitur Nadderus, qui oppidum rigat *Wilton*, totius agri caput, dictum antiquitus Ellandunum, ſolis nunc ædibus Comitis *Pembroch* celebre, quod ejus officiat luminibus Sorbiodunum, aut ex eo condita Sarisburia, ad influentem Nadderum in Avonem ſita, urbs templo, populo, & domo civicâ celebris, in qua Guillelmus Angliâ devictâ, in comitiis publicis luſtrum condidit. Septimo ab ea milliari verſus boream intra foſſam ingentia, & rudia videbis ſaxa coronę in modum eo in loco erecta triplici ordine. Ad ripam Orientalem oſtii Avonæ, Guillelmus omnia per 30 in ambitu milliaria in ferarum ſaltum redegit, dictum *Nevvforeſt.* unde breviſſimus in Vectam inſulam eſt trajectus, *Hurſt* caſtellum extruxit Henricus VIII. quod undequaque dominatur.

Vecta inſula à Vitris, qui cum Anglis advenerunt, nomen ſortita, ovalis eſt figuræ, cuniculos, perdices, faſianos & oves alit magno numero, 36. vicos, oppida vel caſtella numerat, quorum primarium eſt *Neuport*, per medium longo tractu procurrunt rupes.

In objectu inſulæ portus eſt egregius ad oſtia fluminum *Teſt* & *Alre*, nec non *Southanton* urbs opulenta & munita, in hoc litore Canutus Rex Daniæ & Angliæ, adulantium ſibi repreſſurus inanitatem, cum ſedens in ſolio fruſtra imperaſſet Oceano, ut undas reflecteret. Exiliens totus madidus, ſciant omnes (dixit) vanam Regum pompam, nec Regis quemquam

dignum nomine, præter eum cujus nutu cœlum terra & mare legibus obediunt, nec unquam sibi postea coronam imposuit.

Flumini *Alre* urbes imponuntur *Alreford* & Veneta Belgarum vern. *Wintchester* g. 51. m. 10. ex qua ad Imperatores Romanos Agasæi canes mittebantur. Pluribus locis per littus sal conficitur subviridis quem certo artificio in candidissimum excoquunt. Flexuoso littori prætenduntur insulæ *Pontsey*, in qua oppidum Portus magnus vernac. *Porthmouth* g. 50. m. 47. & aliæ minores duo Haling. & *Tornhey*.

Cap. XIX.

Suthria & Cantium.

Suthriæ vernac. *Sussex* littus atrox brevibus & scopulis, raras habet stationes. Præcipuæ urbes Cicestria vern. *Chichester* g. 50. m. 49. Episcopalis quidem, sed à mari paulo remotior. *Levves*, satis frequens. Ad promontorium. *Pemsey* Guillelmus Gentis domitor appulsus, navibus suis ignem injecit, ut spes esset in sola victoria, & prælium iniit, in quo *Anglosaxonica* periodus finem accepit in planitie juxta *Hastings* portum præcipuum inter quinque portus Angliæ. Ad ostium fluvij *Rither* floret *Rhie* portus, qui immunitates habet, cum quinque portubus communes, hodieque usitatus est ex Anglia in Northmanniam trajectus. In Mediterraneis sylvæ sunt, & saltus frequentes.

Superius his adjacet Cantium vern. *Kent.* regio

gio pascuis aruisque læta, pomis vero ad miraculum abundans, necnon cerasis quæ anno à Roma condita 800. ex Italia huc translata fœlicissime proveniunt. Hæreditatem adeunt pupilli anno ætatis 15. eamque sine domini consensu cuilibet possunt alienare. Guillelmus Victor, ut Cantium Angliæ clavim firmius retineret, Conestabilem castro Doverensi constituit, eumque limenarcham quinque portubus ex veteri Romanorum instituto præfecit: horum incolæ, quia bello maritimo operam navare tenentur, Baronum gaudent nomine, supra regum, dum inaugurantur, caput conopoea sustentant, & à dextra Regis suam eo die habent mensam instructam: Ipse vero Limenarcha, sive Guardianus in sua Jurisdictione Admirallii habet autoritatem. Hi porro sunt portus. Othona vern. *Hastings* g. 50. m. 55. *Rumney, Hith, Dover,* & *Sanvvick. Rumney* & *Hith* mutuis sumptibus quinque naves bellicas apparare tenentur, *Hastings* cum suis membris naves 21. & Dubris totidem.

Dubris vern. *Dover* g. 51. m. 12 nunc est trajectu in Galliam celebrior quam frequentia. E rupe dextra assurgit Castellum, quod subjecto minatur freto. In sinistra Pharus olim nocturno cursui navium ignes ostendebat. Sandvvich g. 51. m. 33. ex ruinis antiquæ Rhutupiæ creditur succrevisse, portus nunc aggestis alenis impeditur, hinc delicata illa ostrea Rhutupina dicta quæ Romam usque deferebantur. Inter Doüeram & Sanduicum ad locum, qui nunc Deale dicitur, appulisse Cæsarem constans est fama. Extre-

mum Cantii angulum occupat insula dicta Thanatos vern. *Tenet* frumento fœlix, à continente divulsa amne Stour qui Durovernum nunc Cantuariam vern. *Cauterbury* g 51. m. 25. alluit urbem quæ Cantii fuit Regia, donec Ethelbertus Rex eam cum jure regali Augustino Anglorum Apostolo elargitus est.

Cap. XX.

Tamisis.

TAmisi nomen faciunt Confluentes ad Dorcestriam g. 51. m. 51. Tama & Isis: hic ex parte boreali Wiltoniæ ortus, Oxonium rigat, vern. *Oxforde* 52. Britannorum Athenas Collegiis 17. aulis 8. præcipuis, opimis reditibus & instructissimis Bibliothecis celebres, dicuntur aliquando numerata triginta studiosorum millia: Ille ex agro Buckinghamiensi supra oppidum Tamam effusus. Tamisim nobiliora circumstāt loca Reading cultum & dives oppidum in cujus vicinia Monasterium posuit Henricus I. in quo & sepultus una cum filia Matilde in cujus demortuæ sepulcro hæc fuerunt incisa:

Magna ortu, majorque viro, sed maxima partu
Hic jacet Henrici filia, sponsa, parens.

Fuit siquidem Henrici IV. Imperatoris uxor & Henrici II. Angliæ Regis Mater. Monasterium hoc in ædes Regias, nunc est conversum. Windesore castrum splendidum & amplum in quo Joannem Galliæ & Davidem Scotiæ Reges captivos

ptivos detinuit Eduardus III. & militarem Equitum Garterii Societatem conſcripſit quæ 26. conſtaret equitibus. *Shene* vulgò *Richemont*, ubi diem obiit Anna Richardi II. uxor, quæ prima mulieres Anglicas eam inſidendi equi formam quæ hodie in uſu eſt, docuit, cum antea parum decore divaricatæ perinde ac viri obequitarent. Sequitur & *Nouesuch* ſeceſſus Regius Henrici VIII. ubi tot abſolutæ artis miracula, ut meritò ſuum tueatur nomen quod Latine nulla ejuſmodi ſonat. Londinum vern. *London* Britannici regni urbs præcipua & toti⁹ inſulæ emporium. Antiqua ejusq; mœnia poſuit Conſtantinus magnus, pontẽ 19. fultum fornicibus è ſaxo qui continuis decoratur ædibus, Joannes Rex. D. Paulo Rex Æthelbertus ſacravit Baſilicam Epiſcopi ſedem, cui impoſita pyramis plumbo obtecta cujus vertex pedes 534. altus priuſquam cœleſti igne deflagraret anno 1087. Arx ampla Vallo turribus & foſſis cincta vulgò dicta turris Londinenſis, imminet Tamiſi. Suburbia continuatis ædibus ſecundum Tamiſim excurrunt ad Monaſteriũ Angliæ miraculum, quod ab occiduo ſitu Weſtminſter dixit, qui illud D. Benedicti religioſis tradidit Sanctus Rex Eduardus. Inaugurantur in eo Reges & mandantur tumulo. 122. Eccleſias Parochiales & 13. Conventuales in urbe aliquando fuiſſe, & poſſe ex ea educi peditum 40. millia, equitum 20. produnt qui de his ſcripſere. Infra Londinũ habes navalia *Depford*, ubi Regiæ naves conſtruuntur, vel quaſſatæ reparantur à Collegio nautico, in armamentario ſane percelebri.

Gre-

Grenovicum antiqua ſuit Danicæ claſſis ſtatio. Durobriva vern. *Rocheſter* g. 51. m. 29. ubi Medvveagus torrens Navale conſtituit claſſi Regiæ omni bellico apparatu inſtructæ in omnia momenta ad tutelam regni paratæ. Torrentis oſtio prætenditur inſula Toliapis vern. *Sheppye* dicta ab ovibus quarum numeroſos alit greges.

Porrò Tamiſis acceſſu æſtuantis Oceani tumidus, onerarias naves magnæ molis per ſexaginta millia paſſuum Londinum uſque defert, tuto & præalto alveo navigabilis. Olores agminatim læto occurſu ſubeuntes urbem nautas excipiunt, & riparum peramœnæ villæ prædiis, ac nemoribus diſtinctæ jucundo ſui aſpectu oblectant. Infra Greenvvicum, hic fluvius divulſis aggeribus plurima terræ jugera aquis obruit, idem in confinio facturus, niſi undas arcerent aggeres. Priuſquam in Oceanum ſe effundat Germanicum retia ſiluris & ſalmonibus paſſim expanduntur.

Cap. XXI.

Eſſexia, Suffolcia, Northfolcia, Cantabriga Northtamtonia, Lincolnia, Nottinghamia, Eboracenſis, Northumbria, Comitatus.

Borealis ripa Tamiſis, quam incoluerunt Trinobantes, poſteaque Orientales Saxones, diciturque jam Eeſſxia, Danorum & Anglorum ſanguine quondam ita rubuit, ut ex eo enata creda-

credatur planta ſanguineis baccis luxurians, quæ paſſim hic cernitur, Danesblood, hoc eſt Danicus ſanguis dicta, littori objecta *Canuey* inſula humilis quæ oves 4000. paſcit ſaporis admodum delicati, ex quarum lacte, maxima negotiatio caſearia. Ad ripam amnis Colni ſita eſt Colceſtria, g. 52. m. 14. urbs primaria, in qua nati Lucius, Helena & Conſtantinus magnus.

Suffolciæ Primaria oppida *Ipſvvitk* portus commodus & frequens, nec non *Kondeliſha* Saxonum Orientalium Regia ad Debenum. Ad Ori oſtium vernac. *Oreford Hauen* tempore Henrici Regis piſcatores Tritonem inter retia comprehenderunt qui ſpeciem humanam omnibus membris prætendebat, capillos habebat barbam prolixam & pineatam, circa pectus nimium piloſus erat & hiſpidus, qui ſemeſtri ſpacio in caſtello cuſtoditus, inde clam ad mare aufugit.

In Northfolcia Norvvicus urbs inter primas Angliæ propter magnitudinem, ſitum & frequentiam & opificium Levidenſium quorundam pannorum connumeranda eſt. *Yarmouthd* vero clavis eſt hujus maritimæ oræ ad oſtia Hieri ubi menſe Novembri nobiliſſim⁹ fit harengorum piſcatus, quinque portuum antiquiſſimum eſt membrum. Poſt *Northfolciam* magnus ſe aperit ſinus in quem varij evolvuntur fluvij quorum præcipui Camus, Uſa, Auſona. Ad Camum floret Cantabrigia vern. *Cambridge* provincia, urbs & Academia ex antiquo celebris, in qua Collegia numerantur 17 Bedfordia urbs eſt primaria Comitatus Cognominis ſita ad fl. Uſam

qui

qui anno 1399. paulo ante civilia bella Lantlastrensium & Eboracensium per tria milliaria aruit, aquis retrocedentibus, & ad ingentem molem tumentibus. Eidem flumini imminet Bukinghamia oppidum & Comitatus ejusdem nominis. Ausona Northamptoniam rigat. Succedit æstuarium quod Abus sive Humber dicitur, cui miscentur Trenta & Urus. Trentæ nomen quod vel 30. piscium genera in eo reperiantur, vel quod amnes 30. recipiat præter fossam quam per milliaria 7. duxit Henricus I. ut eum conjungeret Withamæ, ad quem sita Lincolnia urbs celebris & Regio captura avium ita dives, ut tmense Augusto in unum rete expansum supra er mille sive anates, sive alias ejusmodi volucres cogant agricolæ.

Nottinghamia 53. cryptis & cameris quæ ad bis mille passus in vivo saxo excisæ sunt, spectabilis ad Trentum fl. In prima Castri area in unam descenditur, in cujus parietibus insculpta visitur historia Passionis Christi, manu ut ferunt Davidis II. Regis Scotorum, dum in ea captivus detineretur.

Darbyensis Conventus celebrantur Plumbarij lapides & fontes calidi: Antimonium etiam hîc reperitur in propriis venis, nec non fluor candidus Crystallo simillimus.

Secundum Urum in Eboracensi conventu, cupro & carbone fossili divites sunt venæ. Ipsa urbs Eboracum Yorke Archiepiscoporum, Bibliotheca, & rebus præclare gestis celeberrima est; In ea patrum memoria in Cryptoporticu ediculæ, in qua situm Constantium Chlorum fuisse

fuiſſe opinio erat, lampas ardens reperta, artem ſcilicet habebant majores, qua aurum ſolvebant in oleum, quod per multa ſæcula ignem fovebat in ſepulcris. Nec multos ante annos, dum per vicum hujus Comitatus iter haberet Lodinum Jacobus, ut totius Britanniæ habenas capeſſeret, reperti ſenes 12. annos nati ſimul omnes omnino mille quingentos, qui coram ipſo dramaticam ſaltationem exercuerunt.

Oſtium æſtuarii firmat Hullum, emporium hujus oræ celeberrimum propter commerciũ cũ Islãdia, unde piſces induratos Stockfiſck eveniũt.


In prærupta rupe maritima eminet caſtrum Scearburg g.54.m.15. ad quod accedunt quotannis Hollandi, ut impetrent facultatem harengorum piſcationem longe quæſtuoſiſſimam in ſubjecto mari exercendi. In eadem Provincia prope Moulgrave reperitur Gagates, ſeu ſuccinum nigrum. In litore vero Skengrave, ante annos 100. interceptus homo marinus, qui cum per aliquot dies crudis piſcibus victitaſſet, capta opportunitate ad ſuum evaſit elementum. Recedente æſtu; ad eminentes ſcopulos frequentes ſe conferunt vituli marini, vel ut dormiant, vel ut apricentur, ſemper tamen unus excubat, qui ſi accedat aliquis, vel ſaxo dejecto, vel ſe cum ſonitu in aquas devoluto, cæteris ſignum dat, ut ſibi conſulant. Si quis eos aqua deſtitutos inſequatur, eum rejecto poſterioribus pedibus lapidoſæ, vel arenaceæ grandinis imbre repellunt. Eadem in ora inveniuntur lapides varia magnitudine perfectò globoſi, in quibus effractis apparent ſerpentes

saxei

ſaxei ſuis revoluti ſpiris, ſed plerique capitibus destituti.

In colle quam Vedra amnis undique fere circumluit, eminet Dunelmum vern. *Durhan.* g. 54. m. 51 urbs Epiſcopalis, Anglorum clypeus, multis gaudet immunitatibus quod S. Cuthberti Epiſcopi hujus loci præſentem opem adverſus Scotos Reges Angliæ ſint experti ſæpius, unde & ſede vacante, caſtelli claves in ejuſdem ſepulchro deponuntur. Eſt in eadem æde monumentum marmoreum Venerabilis Bedæ, qui natus *Iarrovv* fere ad ipſum Tinæ oſtium in hoc comitatu factus eſt Monachus. Wene movvthæ ad oſtium Vedræ influentis in Oceanum, ubi ut ſcribit idem Beda à Monaſterio Aberkernico incipiebat murus Pictticus, qua in regione ante annos 120. arx valida Duglaſiorum fuit Abercornum, Monaſterij verò nuſquam ullum veſtigium.

Northumbria Angliæ limes & propugnaculum adverſus Scotiam inter Tinam & Tuedam fluvios continetur. Ad Tinam ſitum eſt novum Caſtrum urbs amœna & dives, unde foſſilium carbonum vis ingens in omnes partes diſtrahitur. Ad Tuedam verò Bervicus ultimum & munitiſſimum Angliæ oppidum.



GEO-



GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

PARTIS PRIMÆ.

LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

De mari Gallico, & maritimâ Gallorum potentiâ.

CUm de ea re fusius egerim lib. 6. & 7. capitibus amplius 60. meæ Hydrographiæ, plura hîc non addam; placet tantum ex Sidonio, cum de Francis loquitur hæc proferre. Quorum inquit quot remiges videris, totidem te cernere putes Archipiratas. Ita simul imperant, parent, docent. Hostis est omni hoste truculentior, improvisus aggreditur, provisus elabitur, spernit objectos, sternit incautos, si sequatut intercipit, si fugiat evadit; Ad hoc exercent illos naufragia non terrent: est eis quædam cum discriminibus pelagi, non notitia tantum, sed familiaritas.

CAP. II.

Cap. II.

Galliæ fines & Divisio.

GAlliæ Solidæ fines sunt *a* Rhenus ; Alpes à fontibus Rheni ad Nicæam in ostio Vari fluminis, mare Mediterraneum ad Leucatam & fontem Salsulæ , Mons Pyrene ad caput Easo in Cantabris, ubi nunc Fuenterrabia ad amnem *Bidassoue* , indeque Oceanus ad vicum Cattorum , & Lugdunum Batavorum , seu medium Rheni ostium. Præter hos fines partem Europæ maximam suis coloniis occuparunt Galli. Nam cùm præ multitudine eos non caperent terrę quę genuerant, primùm Britanniæ insulas , & Hispaniæ partem, quæ ab iis dicta est Celtiberia , obtinuerunt. Deinde Tarquinio Prisco Romanis imperante, anno ante natum Jesum 613. missus Ambigati Biturigum & Celticæ Galliæ Regis, Sigovesus transmisso Rheno Hercyniæ incolas ad Vistulam usque pepulit, & amplorum finium satrapias condidit. *b* Bellovesus similiter juga Alpium, primus ab Hercule transcendit cum bellicosa gente , cujus pars in Italia constitit ad Padum, quæ postea Romam incendit , certumque Gallos amplissimum agri, oppidorumque modum in Italia obtinuisse, priusquam Romani suæ ditionis fines, triginta millia extra Romam promovissent : Pars alia Illyricos sinus penetravit, eorumque aliqui in Pannonia sedes fixerunt, alii Græciam & Macedoniam *c* capto Rege Ptolemæo, circa annum ejusdem æræ 285. protriverũt,

tan-

tandemque victi ad Thermopilas & Parnassum circa annum ante Christum 279. perrumpentes etiam in Asiam Galaciæ, sive Gallogræciæ, sive Gallogalliæ nomen fecerunt. Hinc est quod Romani partem eam Italiæ, interdum à situ Galliam cisalpinam & citeriorem, ad discrimen Transalpinæ & ulterioris vocarunt. Alias ab habitu Cisalpinam dixerunt Togatam. Transalpinæ verò partem, quæ à Lemano lacu & Gebenna monte vergit ad meridiem, à fluxis & intonsis caligis Bracchatam: quod denique superfuit ad Septentrionem & occasum, à promisso incolarum capillitio Comatam nuncuparunt. *d* Hujus rursum tria fuerunt populorum genera. Nam Aquitani dicebantur, qui Pyrenen inter & Garumnam incolebant, Celtæ qui Garumnam inter & Sequanam, & post eum Matronam & superiora Rheni: Belgæ denique qui inter Sequanam, Matronam, nec non lineam ab hujus fonte in medios Nemetes & Tribocos ductam, indeque secundùm Rheni ripas, & Oceani litus degebant. Cùm sic se res haberent, populus Rom. anno V. C. 629, robustior factus, cum Gallis Transalpinis, primùm dimicavit, *e* quos Fulvius Flaccus perdomuit anno ante Christi æram 123. Sequenti posteà Allobrogicum bellum confecit Fabius Cos. qui Bituitum Arvernorum Regem acie vicit, cæsis ad Isaram ex ejus exercitu 120. millibus, tuncque Narbonensis Gallia Provincia facta, & Narbonem deducta Colonia anno 119. Continuum deinceps cum Gallis certamen habuerunt Romani. *f* L. Cassius

Caſſius Coſ. anno 107. à Tigurinis Helvetiis in Allobrogum finibus victus. Q. Cæpio qui Coſ. direptâ Toloſa 110. millia auri pondo, argenti pondo quinquies decies centena millia abſtulerat, inſequente anno Proconſul, internecione Romani exercitus pœnas luit, cæſis Romanorum & Sociorum octoginta millibus, calonum lixarumque 60 *g* Anno poſtea 102. Marius Ambrones penè omnes trucidavit, interfectis in acie millibus ducentis, captis 70. *h* In Aquitania ſimiliter licet L, Valerius Præconinus *i* Legatus exercitu pulſo interfectus eſſet, indeque etiam Manilius Proconſul, impedimentis amiſſis profugiſſet, conſtat tamen Aquitanos, ſive à Pompejo, ſive ab aliis Ducibus devictos in Romanorum poteſtatem deveniſſe, priuſquam Julius Cæſar Gallias peteret: Cæſar tandem in Galliam venit anno 58. factionibus ſciſſam reperit, diſſidiorum fomitem incendit, ſicque bellicoſa gens propriis viribus attrita, decimo ferme belli anno, armis alienis tandem ſuccubuit, non tamen inulta: nam Aruerni ſoli cum ducentis millibus reſtitere ipſis ſæpius: & quadringentis etiam millibus cum Julio Cæſare Galli depugnaverunt, ut habet Strabo. Gallia tùm à Romanis in Provinciæ formam redacta eſt: plurimis tamen externæ dominationis jugum detrectantibus, qui in Germaniam ad Tectoſagos, Celtás & alios tribules ſuos trans Rhenum ſe receperunt, ſolumque vertere, quam Romanis parere maluerunt.

Sub Auguſto nullâ amplius habitâ ratione Braccatæ ſive Comatæ, Gallia omnis diviſa in

Bel-

Belgicam, Celticam (quæ & Lugdunensis) Aquitanicam & Narbonensem. Nec ita multò post in 14. partes, tandemque in 17. Provincias distributa est. Quæ partitio post divisum Romanorum Imperium in Orientale & Occidentale perseveravit. Nam cum Occidentale regeretur à duobus Præfectis Prætorio, quorum unus Italiæ, alter verò Galliarum diceretur, sub dispositione Præfecti Prætorio Galliarum erant Dioeceses, Hispaniarum, Galliarum & Britanniarum. Et in Gallijs censitæ sunt nationes 400. urbes 800. Provinciæ verò omnino 17, quæ sequuntur.

PROVINCIÆ GALLIARUM.	QUARUM METROPOLES.
Belgica I.	Auguſta Trevirorum, Treves.
Belgica II.	Durocortorum Remorum, Reims.
Germania I.	Moguntiacum, Mayencè.
Germania II.	Colonia Agripina, Cologne.
Lugdunenſis I.	Lugdunum, Lion.
Lugdunenſis II.	Rotomagus, Roüan
Lugdunenſis III.	Cæſarodunum Turonum, Tours.
Lugdunenſis IV.	Agendicum Senonum, Sens.
Maxima Sequanorum.	Veſontio, Beſançon.
Aquitania I.	Avaricum Biturigum, Bourges.
Aquitania II.	Burdegala, Bourdeaux.
Novempopulania.	Auguſta Auſciorũ, Aux.
Viemenſis I.	Vienna, Vienne.
Viemenſis II.	Narbo, Narbonne.
Viemenſis III.	Aquæ-Sextiæ, Aix,
Alpes Maritimæ.	Embrodunum, Embrun,
Alpes Graiæ.	Tarantaſia, Mouſtiers en Tarãtaiſe.

Porrò Iſidorus Gallorum nomen deducit à Græco *Gala* lac: exiſtimavitque D. Hieronymus ſic di-

ſic dictos, quaſi lacteos, propter eximiam ſpeciem quâ nitere ſolent. Et verò Tertulianus uxori ſuæ præcepit, ut ipſo vita functo, pudicitiæ ſuæ à Gallicis vultibus caveret. Addidit Ammianus celſioris fuiſſe ſtaturæ, candidos, rutilos, luminúmque toruitate terribiles.

a *Marcell. l.* 15. *Strabo. Ptolem.* b *Liv. Florus l.* 1. *c.* 12. *Plutar. in Cam. Eutrop.* 1. c *Polyb.* 2. *p.* 128. *&* 155. *Pauſan. in Phoc. p.* 335. d *Mela l.* 2. *c.* 5. *Cicero in orat. de Provin. Conſul. Cæſar. Ammianus. Plin. l.* 4. *c.* 17. e *Florus* 3. *c.* 2. *Eutrop.* 4. f. *Velle.* 1. *Cæſar.* 1. *ccom. Livius. Florus. Iuſtinus.* g *Oroſius. l.* 5. *c.* 16. h *Plutar. in Mario. Oroſius l.* 5. *c.* 16. *Florus.* i *Cæſar. l.* 3. *de bello cap.* 20.

CAP. III.

Sermo Galliæ.

GAllis olim ſermo fuit peculiaris & diverſus à Latino & Græco: nam Varro Hieronymo teſte, Maſſilienſes trilingues vocabat, quod græcè, latinè & Gallicè ſcirent. Poſteà fecit aſſidua cum Romanis conſuetudo, ut Latinum uſurparent, ſed ut exteris gentibus evenire ſolet rudem & incultum, quem uſualem vocat Sidonius, qui proinde Magiſtri ſtudio & induſtria perpoliri deberet; ideò laudat Ecdicium Sidonius, libr. 3. Epiſt. 3. quod ejus Exemplo, Nobiles Galli Celtici, ſermonis ſquama depoſita latinam linguam in ſcholis accuratè perdiſceſent. Quippe fuit ſolemne Romanis, populos,

quos armis ſubegerant latinæ linguæ aſſueface-re, ut conſtat ex his D. Auguſtini verbis, lib. 19. de civit. cap.19. Data eſt, inquit, opera, ut civitas imperioſa, non ſolùm jugum, verum etiam linguam ſuam, domitis gentibus per ſpeciem ſocietatis imponeret. Inde eſt quod colligimus præterea ex Xenophonte Gallorum literas antiquiores fuiſſe Græcanicis, ſed quæ fuerint illæ, & quæ Celtarum lingua vernacula, incertum planè. Similem ei, quæ adhuc viget apud Armſoricos, exiſtimant viri docti. Non dubium tempore Strabonis inſtrumenta publica græcè ſcripta, poſteaque latinè ad annum Chriſti 1539. quo Franciſcus I. id ne deinceps fieret edicto cavit, juſſitque ut Gallicè omnia ſcriberentur.

Porrò obſervabis, quod anno 1564. Caroli IX. edicto cautum etiam in Galliis, ut in publicis privatiſque tabulis, à Calendis Januarijs annorum repeteretur exordium, quod hactenus, vel à morte D. Martini, vel à Paſchate, vel ab Incarnatione capi conſueverat.

Cap. IV.

Francorum Regnum.

CEltæ Colcni Germaniæ, audientes Galliam patriam ſuam acerbiſſimo Romanorum oppreſſam jugo, contra Cæſarem & conſequentes Imperatores ſæpius arma ſumpſerunt, ſed fruſtra, donec inclinante jam Imperio plurimi deſerendæ Germaniæ conſilium inierunt, dimicaturi pro aris & focis, qui Francorum nomen uti ſocia-

socialis belli tesseram sumpserunt. Horum præcipuos viri docti probant fuisse Bructeros, Angrivarios, Salios, eodemque nomine alias gentes Rhenum inter, Oceanum & Albim promiscuè appellatas reperies. Clodio inter eos anno 429. post Honorij mortem, trans Rhenum primus in Gallias erupit, & annum circiter 445. occupatis Atrebato & Cameraco ad Sumniam usque ditionis suæ fines extendit. Meroveus longius progressus est. Childericus Aurelianos & Andegavos subegit Clodovæus Syagrium qui Suessionibus præerat, occidit anno 486. Perdomuit Turingios anno 491. Ipso die Natalis Christi anno 496. post Gundobaldum ad Divionem castrum acie victum & Godegilisum circumsessum Viennæ, Burgundiæ leges constituit anno 501. Cum Alarico Rege congressus in campo Vocladensi, decimo ab urbe Pictavorum miliario, eundem suâ manu peremit, & Gothorum magnâ strage editâ, victor opima spolia reportavit. Aquitaniam, Tolosam, Arelatum victoriæ præmia tulit, & quicquid Gothi trans Ligerim Rhodanumque possidebant, Francorum Regno adjecit, solâ Narbonensi Gothis relictâ anno 507. Acturus verò gratias Deo ad D. Martini Turonas perrexit, blatteâ tunicâ chlamyde ac diademate ornatus, indeque Lutetiam reversus regni sedem constituit anno 507. & in ea decessit anno 511. Nec ita multò post Gothi Massiliam, & omnem oram maritimam Francis tradiderunt, exceptâ Narbonâ, quæ tandem ad eos etiam pervenit anno 731. Carolo Martello Duce, quando cæsis Saracenis, quæ reliqua

tenebant oppida, expugnavit. Ejusdem armis & virtute Franci trans Rhenum Saxoniæ partem obtinuerunt, Turingiam, Franciam Orientalem, Sueviam, Bajoriam, & Noricum. *Postea* Childerico Merovingiorum postremo Rege ob inertiam exauctorato, Francorum Regnum in novam familiam transiit consensu *Procerum*, qui *Pipinum* Caroli Mantelli filium approbante Zacharia Summo Pontifice, ad augustum Francorum Thronum evexerunt an. 752. Carolus Pipini filius, *Princeps*, sine controversia maximus, post debellatum Longobardorum Regem Desiderium, Italiâ potitus, temporalem Romani Pontificis ditionem propagavit, Saxones longo bello domuit, fines Regni Franciæ trans Albim, ad Chersonesum Cimbricam & mare Balticum protulit, Transalbianis omnibus cùm suis familiis in Gallias transportatis, Slavos & Bajoarios ad obsequium reduxit, ac denique Saracenis in Hispania profligatis, partem ejus haud modicam Francis subegit. Anno demùm 987. hæc Caroli progenies, ac secunda Regum familia desiit morte Ludovici V. anno post inaugurationem Pipini 235. Ludovico enim sine prole defuncto, Regnum ad Carolum ejus patruum Ludovici transmarini filium jure pertinebat. Sed quod ab Othone Ludovicus creatus esset Dux Lotharingiæ, ut fratris sui Lotharij Galliæ Regis conatibus obsisteret, imò & contra Regis Regniq; Francici jura, clientelare obsequiũ propter Lotharingiam Othoni Imperatori edidisset, Ludovicus moriens, Hugoni Capeto illud dona-

donavit, & in RegniComitiis donatione confirmatâ, Franci proceres eundem sibi in Regem delegerunt anno 987. Carolus verò Lauduni interceptus ab Hugone, Aureliam deductus est, ubi in turri conclusus diem obiit. Ab Hugone trigesimus primus recta linea prognatus est, qui nunc Galliis feliciter imperat, Ludovicus decimus quartus.

CAP. V.

Galliæ Ubertas.

GAlliam laudat Strabo, quod in ea otiosum sit nihil non montes, non litora, non agri, non incolæ: sanè prudenter, hinc enim fons totius ubertatis. Montes celebrat maximè Cemenios in Gabalis, Ruthenis, Tarbellis, & Tarnim fluvium, (potuisset plures alios recensere) quod abundent auro domestico. Celtarum thesauros silet quos incolæ paludibus, metu hostium, immergebant. Missum facit Gallicum magnetem quadruplicem, qui infinitam externi auri copiam ad se pellicit, frumentum scilicet, vinum, salem & Cannabim seu telas, quibus omnes fermè classes Europæ, jam ab ævo Plinij instruuntur. Enimverò salinarum Santonensium Redemptor sexties centena millia Francorum, præter decem miriadas in gazam regiam confert annis singulis, cùm hæc scribo. Constat ex publicis instrumentis anni 1642. & 1643. quibus maximè omnia ardebant bello, in sola Luparæ officina monetali, cùm in argento, tùm in auro,

cusos & signatos 76. milliones, & centum quinquaginta quatuor libras suprâ octingentas quinquaginta duo millia. Scriptum similiter in monumentis Curiæ rationum reperies, ex quo indictum bellum, vix ullum effluxisse annum, in quo plures quàm 100. milliones in ærarium non contulerint Publicani, mitto fodinas æris, quas recenset Cæsar, ferri quæ per totum Regnum obviæ sunt, maximè apud Nivernenses & Northmãnos. Si hæc montes proferunt & litora, quid vasta camporum æquora, quid valles, quid sylvæ? Frumenti vis infinita ubique provenit, nullibi fœliciùs seruntur vites, nullibi diligentius excoluntur: ubi generosius vinum Graviano & Aurelianensi, ubi suavius Chalossensi & Aisiano, ubi gratius & minus nocens Francico? Provinciæ oleo, quid dulcius, quid pretiosius, ubique sunt armenta, ubique greges innumeri, lana quæ Biturigibus ex agnis, vel collo ovium desecatur, tantæ est molliciei, ut Canadensi Castoreæ lanæ vix cedat: hîc altitudine sues præcellunt, ex quibus pernæ, petasones eschinees & Tomacla saucisses Romam, usque delata testatur Varro. Equas fama celebres in Gallis commemorat Trebellius in Claudio. Equitatus Galliæ, ubique pene semper Victor, præstantiæ equorum argumentum est non invalidum. Denique vix quidquam desideres quod passim in Galliis non occurrat. Desunt, inquies, Aromata, non inficior, sed iisdem caret omnis Europa; sed audi quæ sit Galliæ fœlicitas. Vina, flores, herbulæ & frutices odoris, & saporis longè gratissimi passim in Galliis enascun-

tur,

tur, quarum aliæ aliis certa ratione permixtæ si temperentur debite, Molucarum Cariophilla, Brasiliæ saccarum & omnia Indorum aromata, sapore, odore & suavitate superabunt. Imponei e me ne credas, hoc prudentissimus Galliæ Cancellarius D. de Syllery Legatum Hispaniæ nimium fortassis extollentem delicias & utilitatem quæ Gallis ex commercio cum Hispanis obveniebant, experientia docuit, cum lautissimo & per celebri eum excepit convivio, in quo non panis, non vitium Aromatites, non carnari, non piscaria artocreata, nec ullum genus deerat pistutæ dulciariæ, eum tamen nulla re alia quam herbis Francicis, nec bellaria, nec carnes imbutas summa fide Legato asseveravit, producto etiam, qui id præstiterat Artocopolo.

Quid dicam de incolis, tanta hic est multitudo hominum, ut quadringentis millibus dicat Strabo Gallos cum Cæsare depugnasse; asseruitque, non ita pridem virium Galliæ scientissimus Cardinalis Richelius, sexcenta peditum millia & centum quinquaginta equitum posse conscribi, ipseque eodem tempore in Belgium, Germaniam, Lotharingiam, Comitatum Burgundiæ, Italiam & Hispaniam exercitus Regios immisit qui omnes de hostibus Nobiles victorias reportarunt, licet non incruentas, cum existiment aliqui trecenta hominum millia pro patria gloriosè dimicantia in his occubuisse.

Cap. VI.

Galliæ prima Laus quod Regnum sit Christianissimum.

HIrtius gravis auctor Gallos prædicat, quod homines sint aperti, ac minimè insidiosi, Mela Geographorum cultissimus, omnes ait Eloquentes. Constat jam olim facundiæ & sapientiæ Magistros habuisse Druidas, qui & juniorum corpora sic exercebant, ut gravi pœna eos mulctarēt quorum abdomen zonæ præscriptæ mensuram excederet. Animos verò sic excolebant, ut nihil scripto ipsis traderent, sed omnia quæ ad immortalitatem animæ, virtutes & disciplinas pertinent, memoriæ eorum tantum crederent, quo ea semper haberent in promptu. Nec minùs apud eos floruerunt Eubages & Vates, qui naturæ abdita scrutabantur: fuerunt & Bardi cum Poëtæ, tum Musici qui heroum præclara facinora canerent, aciesque jam paratas ad prælium, suo cantu aliquando inhibebant. Cæsar & alij bellicam eorum virtutem experti, ajunt in conflictu primo impetu omnia perrumpere, nullam gentem vitæ magis prodigam, devovere se interdum non redituros ex acie nisi victores, & generosos adeò, ut quos bello ceperint, non addicant servituti. Imò hoc terræ Francicæ privilegium, ut libertate fruatur quisquis ejus limitem attigerit. Hæc à majoribus accepta posteros ad hæc tempora conservasse & auxisse plurimum, summè

ſummè quidem glorioſum : Nequaquam tamen ſunt conferenda cum Chriſtianiſſimi Regni titulo, qui eo ipſi eſt glorioſior, quod quando illum ſibi & poſteris Regnoque comparavit 5. Chriſti ſæculo Clodoveus, ſolus is erat in Eccleſia Dei Rex Catholicus, cæteris omnibus, aut paganis adhuc, aut Hæreticis ? Deinde quod & ſi in eo regno varij aliquando fuerint Hæretici, fuit tamen Francia ſemper in ſuo capite, hoc eſt Rege Chriſtianiſſima ; fuerit ergo aliorum poſtea Regum ad Eccleſiam appulſus, ut Franci nunc in ea ſoli non ſint, at nulla vis eripiet, quin primi æterno tempore cenſeantur veraque ſit ſemper Gregorii Magni præclara hæc vox. Quanto cæteros homines Regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna, regni Franciſci culmen excellere. Porrò intra limites ſuperiùs aſſignatos Galliæ, numerantur Archiepiſcopatus 24. Epiſcopatus 105. in Francia verò Archiepiſcopatus 15. Epiſcopatus 10?. & inter eos 47. quorum Eccleſiæ Cathedrales Patronam habent D. Virginem. Generales ordinum religioſorũ 12. Parlamenta 10. Provinciæ Præcipuæ 12. ſcilicet Picardiæ, Northmanniæ, Britanniæ, Pictaviæ, Aquitaniæ, Languedoquij, Provinciæ, Delphinatus, Burgundiæ, Campaniæ, Pariſiorum, Aurelianorum, ſeu Ligeris, & Lugduniorum.



CAP.

Cap. VII.

Picardia.

PAtet juxta mare à Calitio, quod in extremo Marinorum promontorio est, ad Eusium & secundum fluvios Summam & Aisiam; regio nullius rei indiga præterquam vini. Sic verò ferax est tritici, ut in ea Ceres nata videatur. Notatio nominis incerta.

Cap. VIII.

Præfectura Calitii.

HÆc Præfectura in extremis sita Morinis, vulgò dicitur recepta regio, ex quo Henricus II eam ab Anglis recepit anno 1558. Separatur à Belgio amne Draco in ipsis Gravelinguæ suburbiis, & à Comitatu Bononiensi, montibus arenaceis S. Ingelberti. Duo sunt in eâ Comitatus Oyanus & Guinensis. Oya fuit oppidum à Francisco I. eversum anno 1545. nunc vicus frequens. Guinesium in stagnis situm, ejus castrum dicitur Cuppa Regis *la cuue du Roy*, Munitiones præcipuæ tres, prima Ardriæ, ubi inter alia propugnaculum est Colloquij dictum, *Bastion de la conference*, quod in eo Franciscus I. cum Henrico VIII. Rege Anglorum convenerit. Nam mense Majo, anno 1520. Inter Ardrias & Guinensium arces, Franciscus excepturus Henricum papilionem quadratum erigi mandavit pedum 60. è panno aureo textili extra, intus è cæruleo Holo-

serico,

ſerico, in 4. angulis totidem minores aliquanto, ejuſdem ſumptus papiliones viſebantur. At horrenda tempeſtas ruptis funibus & palis, omnibuſque fœdè inquinatis coëgit Ardrias utrumq; contendere, ubi communi mensâ excepti ſunt. Ajunt verò, majores in eam rem à Franciſco factos ſumptus, quam à Carolo V. in ſua coronatione. Hic ſunt paludes ad inceſſum hominis trementes, *les marets d' Ardres* 2. cataractes Nieulea propugnaculis 4. & uno cornu firmata anno 1629. tres leucæ quadrantes abeſt Caleſio *Calays*, urbs hæc munitiſſima eſt in ipſo Morinorum angulo ædificata à Philippo Comite Bononiæ S. Ludovici patruo. Portum interiorem vulgus paradiſum vocat. Risbanica pharus portui prætenditur & agger trabalis, ſtroreis ſtratus ne corrumpatur. Hic porrò angulus non Caletum, ſed Petreſſam, Scalam, Scalas & Caliſium ab antiquis dictum conſtat ex Folquino Bertinenſi, qui floruit ſæculo 10. Caleſio vicinus eſt locus Viſſen nautis Eſſeu, in quo Itij portus veſtigium agnoſcunt aliqui.

Cap. IX.

Comitatus Bononienſis.

EXtenditur ſecundum litus in Morinis Geſſoriacis à montibus Ingelberti ad Canceiam amnem. Nomen ipſi vernaculum *Boulongne*, ab urente arenâ, quæ hic frequens, quam vocant *Sable boüillant*. Redemptum à Comitibus Turrenſibus Ludovicus XI. coronæ adjunxit, & à Clien-

cellari officio, quod profiteri tenebatur Comitatui Artesiæ, liberatum B. Virgini solenni ritu oppigneravit, corde auri obrisi oblato ponderis bis mille aureorum, sancitâ lege, ut consequentes Reges tantundem præstarent, Mariamque ejus tractus dominam solam agnoscerent, cujus signum Angelico navigio jam olim eos excepisse antiqua est traditio: & quæ ab anno 1212 signorum multitudine urbem illustravit: certè & sodalitio fruitur à pestifera lue immuni ex antiquo. Porrò urbs duplex est, superior altis cincta fossis, & inferior, ubi Gessoriacum Morinorum navale g. 50. m. 40 ad ostium Lianæ variis olim à Claudio Cæsare, posteaque ab Anglis cinctum arcibus, quas omnes Ludovicus XIII. anno 1632 solo æquari jussit, solâ pharo exceptâ, Vul. *la Tour d'ordre*, quæ à Cæsaribus excitata, & à Carolo M. instaurata, navigantium cursus adhuc dirigit. Terminus is olim fuit itinerum Imperii Romani, quæ Lugduno Gessoriacum proferebantur per millia 504. In eodem Comitatu est mons Hulinus à Francisco I. in finibus Belgarum non longè à fontibus Lianæ munitus arce, anno 1546. & Principatus *de Tingry Luxembourg*.

CAP. X.

Comitatus Pontieui.

ROmani quo sibi in penitiores Morinorũ & romansacorum latebras aditum facerent Somonam, Altheiam & Quantiam stravere pontibus, hinc nomen Pontes *Pontien*, superinductum, & ve-

& verò insignia Limbos tres cæruleos, aureo in æquore rite ostentant aureos agros, quos tria hęc flumina intersecant. Clodovæus in Comitatum evexit, quem Alchario attribuit; extenditur autem secundum Suminam ad Pequignium. Quantia, vernac. *la Canche*, amnis arctus, non tamen vadosus alluit Hedinium vallum Belgio positum à Carolo V. Nunc Galliæ à Ludovico XIII. ubi Ternam excipit amnem alium, qui fanum S. Pauli & Blangiacum rigat. Adolphus Calvi Flandrensis filius anno 918. primus S. Pauli Comes salutatus est, cùm priùs Regio circumposita Ternensis ager, *le pays de Ternois*, tantum diceretur. *Moriaucourt*, primus Baronat⁹ hujus Comitatus, Arx est & dynastia familiæ *de Regnier*, quæ quod recta linea propagata sit à S. Huberto, quosvis rabidos in hanc diem sanat, etiam eos, qui ab aliis S. Huberti per mulieres prognatis, qui in oppidis S. Pauli, & Aëriæ degunt, integrè non potuerunt curari, frequenterque ii, quos viri quatuor non poterant coërcere, ubi dynastiam aspiciunt, aut pedem ponunt intra ejus limen conquiescunt. Quantia auctior factus petit Monstrolium *Monstrueüil*, olim Luttomagum Comitatum perantiquum & oppidum, arte & naturâ munitum, nec non celebre propter Antrum S. Salvii, quod Helgotus Comes insigni Basilica ornavit, in qua visuntur Divorum novem corpora. Rigat deinde Stapulas, stationem olim triremium Francisci I. ubi effunditur in mare ex adverso S. Judoci Pontievensis Abbatiæ celebris. Altheia, *Authie*, fontē habet in Pago

Authi

Authi, qui duabus Leucis distat ab Artesiæ propugnaculo, *Bapaume*, aluit oppidum natura & arte munitum Dourlencum *Dourlens*, situm in lat. 50. 8. in regione inter-amnica, *Pays entre deux Rivieres*, exonerat se in Oceanum ad pontem Collinarum. Rua oppidulum aliud Pontievi, benè munitum, appositum paludi, in qua vis anatum infinita. Per paludem fertur in mare rivus *Maje*, cujus fons in pago Cressiaco, ubi sub Philippo Valesio ea clades ab Anglis illata, qua nullam Gallia experta est majorem. Pontievi civitas Primaria est Abbavilla, *Abbeville*, g. 50. m. 5. quæ ex villa & Prioratu Abbatiæ S. Richarij in Centulo ad rivum carduorum crevit in urbem celebrem, quæ ab hostibus numquam fuit capta, sæpius verò tentata.

CAP. XI.

Summa.

SUmma idem quod fons apud Antiquos, hinc Summa Bionæ, Summa Turbæ, Summa Vidulæ, Summa Sarthæ, hic verò fl. olim dictus Phrudis, Samara & Sumina oritur in lat. 49. 56. Veromanduos alluit & Ambianos, dirimensque Morinos à Caletis fertur in Oceanum ad San-vallerium odoribus gratissimus, quod nunquam gelu astringatur. In veromanduis urbes irrigat Fanum S. Quintini Veromanduorum Apostoli. Unde sedes Episcopalis Noviodunum 49. 50. est translata. Ad illam magna clades Gallis ab Hispanis

ſpanis illata, anno 1557. die S. Laurentio ſacra, in cujus rei monimentum illud eſt, magnificum in Eſcuriali poſitum à Philippo Rege S. Laurentii cœnobium. Hinc prætergreſſus ad Hamium Caſtrum, amnem excipit Veromandum, juxta cujus fontes cernuntur rudera Auguſtæ Veromandæ, eo loco ubi nunc Abbatia Veromandum ordinis Præmonſtratenſis. In his partibus, cùm aliquando Philippus Auguſtus movens adverſus Flandros, hæſiſſet, Rigordus ait locum, in quo Philippus Caſtra metatus fuerat magnos proventus incolis poſteà attuliſſe, alium verò in quo Flandri conſtiterant, nihil omninò.

Peronam inde abit urbem, in qua Picardi nobiles primùm inierunt fœdus, quod Ligam vulgò dicimus. Carolus Simplex & Ludovicus XI. ibidem olim detenti. Mox effluit in Ambianos, quorum in agro luſtrat oppida Corbiam cœnobio claram, Samarobrinam vern. *Amiens*, 49. 50. urbem ſitu manuque firmiſſimam, in cujus Epiſcopali Eccleſiâ longè cultiſſimâ, religiosè colitur pars capitis D. Joannis Baptiſtæ illuc delata Conſtantinopoli, anno 1216. cùm Balduinus hac urbe potitus eſt. In vicinia ad Abbatiam Monialium Paracleti pratum eſt juxta amniculum, in quo ranæ conticeſcunt, nec ſunt garrulæ, niſi hinc efferantur. In ſuburbiis confluunt, hinc Longa aqua ex Mondidiero oppido cultiſſimo agri Sancterienſis vel Sanguiterſæ, vulgò *Santerre*. Inde Sella ex Principatu *de Conty*. Tertiâ verò leucâ verſus Atrebates Pagus eſt S. Gatiano ſacer, in cujus agro quæ oves paſcuntur

nun-

nunquam afficiuntur tabe; tabidæ verò huc transmissę convalescunt, quod beneficium fertur acceptum S. Gratiano, qui hîc fuit ovium Pastor. Ponte sternitur ad Pequignium Castrum Vidamiorum Ambianensium situm ad Catarractam Pontis Remigii, ad quod Angli prælio fusi & superstites ibidem cæsi, qui nomen pronunciare nequibant, Pequenii loco Pequigni proferentes. Quatuor verò leucis infrà Abbavillam salutato Leuconao, hoc est, S. Valerici cœnobio, inter Pagos Crotosium & Cajeutum ad peninsulam Hordensem, *le Hourdel,* locum munitioni aptissimum immergitur Oceano. Guillelmus, Northmãniæ Dux, coactâ classe navium 800. expugnaturus Angliam anno 1066. non priùs avulsis anchoris potuit ab hoc litore discedere, quã implorata ope D. Valerici secundam auram obtinuit. Cajeutum verò Satrapia est Ducis Nivernensis, cujus prædium clientelis & ditione illustre extenditur ad vicum Autium in Vimaco, quæ ultima est regio Picardiæ Summam inter & Breslam amnes extensa, cujus caput & Iudiciaria sedes *Oësmont.* Eam excipit Pagus Talogiensis, *le pays de Taloy,* à Bresla ad Siam, ubi frequentes olim Salinæ maximè Deppam inter & Arquesias, quæ jam periêre, sicut & ipsum nomen Taloense.

CAP. XII.

Comitatus Eusianus.

EUsium vel Augum *Eu,* nobilissimus Comitatus,

tatus, fisco addictus morte Rollonis *de Neele*, Comitis Stabuli, qui Parisiis plexus capite, & datus Joanni Artesio, posteáque devolutus ad Joannem Burgundum Comitem Nivernensem, indeque ad Engilbertum Cliviæ, ex quo oriunda Catharina Cliviæ, quæ Henrico Lotharingo Duci Guisiæ nupsit, & filiis suis Guisiorum Ducibus reliquit. Inter subrogatos primus est Franciæ Pariatus ad eam evectus dignitatem anno 1458. mense Aug. à Carolo VII. in gratiam Caroli Artesii. A Bresla fl. extenditur secundum litus ad Podium vallem Deppa remotam vix mediâ leucâ. Inter Breslam & Jeram amnes, interjacet sylva undecim millium jugerum, quorum singula 130. perticas continent. Dicebatur olim sylva *de Vigneuaux*, nunc sylva Eusi, *la forest d'Eu*. Bresla amnis oritur è vico S. Germani unâ leucâ supra Aumaliam 49.50. urbem, quam Franciscus I. anno 1548. titulis auxit & dignitate Ducatus atque Pariatus. Hinc oppidula alluit varia, & in his *Gamache & Eu*, antequam influat in Oceanum ad Treportum, ubi Picardiam à Northmannia separat.

Gamache, antiquæ familiæ San-Valerianæ dominium, in Drocensem domum posteà, devolutum, indeque ad dominos *de Thouars Amboise*, tandemque ad Tristanum *Rouhault*, patrem Joachimi *Rouhault*, Polemarchi Galliæ, qui sub Carolo VII. afflictas res Francicas consilio juvit, & armis tutus est, à quo Marchiones dicti *de Gamache*. Eusium verò oppidum 50. Castello, Ecclesia & Collegio nobile.

CAP. XIII.

Caletorum Maritima.

A Summa, vel potiùs à vico Autio, vel ab amne Breslâ Sequanam usque proferuntur, præruptæ altissimis niveisque capitibus rupes. Omne spatium perpetuo jugo vallant, nisi qua amnes Oceano influunt, aut humanæ vitæ commoda viam ad mare postulant; incolas antiqui dixerunt Caletes à Caleto oppido, ex cujus ruinis Cæsar Juliobonam excitavit. Hanc nunc ditionem vocamus Calcheiam, *le Pays de Caux*, quę & Northmanniæ & Senatus Rotomagensis septima est Præfectura. Deppa, 49.150. portus est Caletorum celeberrimus, unde quotannis onerariæ bene multæ in exteras regiones difficilis, ac diuturnæ navigationis cursum instituunt. Beneficio regio urbis dominus est Archipræsul Rotomagensis. Ludovicus XI. cum obsidione Anglorum eam liberasset in privilegio Assumptionis statuam sibi æqualem ex argento Virgini sacravit. Hinc præmia, quæ Poëtis distribuuntur quotannis, qui concinniora omnis generis carmina in laudem B. Virginis ediderint. Amnis Diepensis oritur ex amœnissimæ vallis Briacæ oppidulo Gallefontio. Post tres leucas urbem alluit Noviocastrum, ubi conficitur optimus pulvis Pyrius. Hinc transit ad Castellum *de Bully*, & post admissos aliquot rivos lustrato oppido Arquesię; victoria Henrici IV. celebri ad Dieppam init Oceanum. Sequitur Pouruilla portus olim celebris

ob

ob immunitates, ubi mare amnem *Sie* recipit, ortum infra Abbatiam S. Victoris, qui vicos alluit, *Aufé & Longueuille*, caput Ducatus cognominis, cujus Dominus erat semper rei bellicæ Comes perpetuus apud Duces Northmanniæ, ex quo datus est à Guillelmo Conquestore, Gautiero *Guifard*, Comiti de *Bouchinquam*, San-Valerius Caleticus eandem urget oram, statio navium, qua melior nulla in toto hoc litore. Portus magnæ molis navigia admittit, vicus 600. non amplius focorum. Habemus posteà Palvelinum amnem, qui ortus ad fanum S. Mellonii Granvillam alluit, Cannium regiam jurisdictionem, & Viteflorium. Ad majores Dalas antiquæ urbis apparent rudera. Rupes præterea eminent altissimæ, in quarum vertice Sacellum est D. Virginis à sylvis, ex quo prospectus est in Angliam. His proximum Fiscanum, 49. 45. gratissimus olim Guillelmi Northmanniæ Ducis secessus, cui agnomen à longa Spada. Ejus authoritas quanta apud suos esset illustri exemplo patuit. Cum enim esset in castro Wolsango ad Mosam una cū Imperatore, Saxoniæ Dux renunciavit tumultuari Northmannos, & cædibus omnia miscere, Guillelmus exemptum vaginâ gladium Duci porrigit, monens ut eum Northmannis ostendat. Et verò, ubi Ducis sui spadam agnoverunt, armis illicò positis, omnes nudum pectus ensi supplices objecerunt, quæ erga suum principem observantia, Imperatori miraculo fuit & terrori. Richardus intrepidi nomen sortitus Ecclesiam postea excitavit, ad quam foris sub stillicidio ex animi

animi Christianâ demissione, cum sibi curasset incidi sepulchrum in saxo, illud quandiu superstes fuit, omni feriâ sextâ frumento voluit repleri, & in pauperes cum 20. solidis erogari. Richardus ejus filius locũ tradidit Monachis S. Benedicti, estque Abbatia inter ditissimas Galliæ apposita amni, qui derivatur ex Stagno *Valemont*. Porrò cùm Franciscus I. Galliæ Rex in gratiam Comitis à S. Paulo & Adrianæ Estoutevilleæ omnes baronias & feuda, quæ possidebant in Caletis in Ducatum evexisset, Ducatui nomen inditum à loco aliquo, sed à dominorum cognomine. Præcipua Tribunalis sedes in oppidulo Valemont stabilita fuit 8. Maji Senatusconsulto, anno 1537. aliæque sedes duæ, una in suburbiis Mõtis Villaris, altera in pago Appevilla proximè Diepam. Non longè à Fiscano ex editissimarum rupium verticibus tres fontes, vel rivi imo amnes præcipitant, qui propter altitudinem, in rorem levissimum abeunt; quorum tamen in complanato superiore camporum æquore nullum apparet vestigium.

Cap. XIV.

De Portu Itio.

Post Fiscanum habes *Iport* pagum, in quo piscatorum sola tiguria, licet in eo possit fieri portus, qui classem caperet, & multò ampliorem fuisse suadeant rupes, quibus mare sternitur in his partibus, quæ ostendunt litus hoc plurimum versus Angliam, olim promotum. Nam

hic

hic ille est Portus Jeius. Cæsaris certè multa suadent. In primis nomen, quod ad hanc diem servat, non leve facit argumentum; ab itu enim continuo per duos annos, quibus Cæsar commoratus est hîc, dum tantam parabat classem, & tot legiones convocabat, dictum Itium magis placet, quàm Icium, vel Iccium. Et verò Strabo omnium antiquissimus *Ition* vocat. Deinde quis portus, Juliobonæ commoranti Cæsari fuit hoc nostro expeditior, ut classem inviseret, dum ædificabatur, vel temp⁹ opportunum præstolaretur, quo navim conscenderet. Tertiò tempus, quo piscatores ex hoc portu transmittunt in Angliam horis circiter 10. videtur planè rem cõficere, cùm eodem planè tempore trajecisse Cæsarem, cõstet ex ipsius Commentariis, & ex Floro. In Britanniam (inquit Florus) transit magna celeritate, quippe cum tertia vigilia solvisset à portu, minus quàm medio die insulam ingressus est. Certè cum Romani noctem suis excubiis dirimerent, in quaternas vigilias trium horarum quamlibet, & circa æquinoctium res ageretur, tertia vigilia ab hora nocturna nobis duodecima sumpsit initiũ, & consequenter ante tertiam solvit è portu: his ergo si addas medium sequentis diei, horas novem, vel 10. insumpserit. Ex quibus manifestè constat, non solvisse ex eo loco, ubi jam inædificatum cernimus Caletum, quantumvis immediatè post Phrudis ostium, Itium portum cõstituat Ptolemæus: nam quæ magna esset celeritas 10 horis id præstare, quod nostrates quinque absolvunt; nec enim idoneâ tempestate plu-

res

res impendunt, qui jam solvunt, vel Donera, vel Caleto. Deinde cum latitudinem Itio assignet gradúum 53. m. 30. vel irrepsisse mendum in Ptolemæo fatendum est, vel errasse ipsum, sicut & in hac eadem ora, dum Abrincatuos ponit ad Sequanam. Quod si objicias in Morinis constitui ab autoribus Itium portum, nostrum verò in Caletibus, dicam Morinorum nomen amplissimum: interdumque dici Morinos omnes, qui assidebant mari, antiquitus vocato Mor, & quos aliqui dicebant Armoricos, alios appellasse Morinos, ut constat ex Pomponio, qui lib. 3. post Ossismios, (qui sine dubio erant in Britannia Gallica) immediatè subjungit Morinos, cum tamen alii Essuos & Celetes & plures alios constituant medios. Hæc tamen prorsus ita esse, nec dum statuo, licet placeant magis, quàm quæ de Audomario Ortelius, vel de Blaveto Euripo scripsit Camdenus.

Sequitur in eodem litore Estretalium, quæ altera est exscensio, cujus è regione rupes duæ sunt prælatæ à marinis fluctibus exesæ; ad alteram, quæ acus Estretalia dicitur, solet quotannis ad diem certam convolare infinita vis avium, quæ Gallinis sunt æquales, ut cubilia sibi nidosque construant, adultisque pullis die item constitutâ omnes avolant, neque reliquo anno in toto litore Gallico, neque fortè in tota Europa similem ipsis reperias. Sunt & aliæ exscensiones ad pagos Antiferum, S. Jovini, ubi ditissima piscatio Solearum, & Cauuillam. Hæ terminantur rupes promontorio Caletensi, quod gemino flectitur

ctitur vertice in æstuarium Sequanæ, nomen uni focarium bellicum præaltum sanè, in quo Pharus nocturni appulsûs index, alteri nomen Calceium rostrum D. Tutelari Galliæ sacrum S. Dionysio, & D. Virgini, quæ in Sacello, cui nomen à prospero ductu impensè colitur, cùm à Nautis, tum à civibus Portus Gratiæ, qui frequẽtes ad illud supplicandi gratiâ se conferunt. Abeuntibus ad lævam recedit Portus-Gratiæ, *le Havre de Grace*, in lat. g. 49. m. 30. in vliginoso solo recens constructus, arce munitissimus, stupendum opus pæne ad ostium influentis in Oceanum Sequanæ.

CAP. XV.

Sequana.

LA *Seine*, fontem nactus est in lat. g. 47. m. 10. in Burgundiæ Ducatu, in Diœcesi Heduensi propè oppidulum *Chanceaux* in sylva Belfaya infra templum, locus olim Sicaster dictus est. Augetur sensim, fluit in rivum, ac diu luctatus plana inter, & confragosa intumescit, exundat, fit fluvius ac primùm Cimbas, mox auctuaria, ac demum naves & ocrarias cum immensa aquarum mole in mare deonerat, unico quidem, sed 10. millia pass. patente alveo. Hinc Hunflutum, inde Harfletum alluens. Raro minuitur, vel exundat. Rotomagi altus est 50 pedes, Parisios, usque defert onerarias, quæ 1400. vini cados continent. Aqua ad potandum melior & levior fontanis. Quotidie bis refluit ad altitudinem unius

pedis per leucas 30. Aliquando tamen ad hastæ altitudinem, idque tantâ celeritate, ut vix Eques fluctum assequatur. Potest conjungi cum Rhodano fl. & Mediterraneo mari mediis Armancione & *Ouche* ducto alveo trium non amplius leucarum, sicut nunc coit cum Ligeri medio amne Loignio. Stant in ejus ripa Castilio, metallicâ ferrariâ nobilis, & castrum in finibus Burgundiæ, ubi Arsiam excipit ortum in Lingonibus. Augustobona *Troye* in lat. g. 47 m. 52. Metropolis olim Tricassium, nunc verò Comitatus Campaniæ, urbs Episcopalis ampla & dives. Mer oppidulum, Navigentum, *Nogen*, ubi Sequana incipit esse navigiorum patiens, oppidulum antiqui Comitatus Briæ, cujus solum nemoribus frequens Matronam inter & Sequanam extenditur ad Pontem Charentonium, urbs præcipua ad amnem Durtanum, Provinum, cujus rosæ sacrato conditæ sunt in pretio. Mons regalis, ubi castrum in ipso confluente Icaunæ in Sequanam ædificatum, ut putatur à Cæsare. Interfectus ibi Joannes Burgundiæ Dux, in ultionem Aureli Ducis similiter interempti, quorum ex cædibus Galliis illatæ clades infinitæ. Melodunum oppidum in insula Sequanæ, ubi sedes primaria Gastinẽsis pręfecturę, & rivus miscetur Seqnanę, qui alluit castrum *Blaudy*, ubi Longovilleorum Ducum horti multæ amœnitatis. Corbolium, olim Regia S. Ludovici, nunc castrum cũ oppido, cujus laudantur mala persica aliique fructus ad secundarum mensarum delicias. Infra Corbolium Sequana excipit Orgiam & Junam Stampensem:

hujus

hujus aqua Cancris gratiſſima ſic frigida eſt, ut pedes equorum tacitâ torpedine inficiat. Secundum eum frumenta vehũtur Pariſios è Belſia. Ipſe verò Stampæ oppidum evectum eſt in Ducatum à Franciſco I. Ad Orgiam & influentes in eum rivos celebriora loca ſunt *Rambeüilet, Cheureuſe* & Monshericus, ubi commiſſum acre prælium anno 1462. inter Ludovicum XI. & Carolum Caroleſium. Lucoteſia Pariſiorum Ptol. ſeu Cara Lucetia Juliano, vernac. *Paris* in lat. e. g. 48. m. 46. quam nulla urbium Europæ ſuperat amplitudine, ædificiis, frequentiâ Civium, divitiis vel deliciis. Omnibus verò præeminet ſanctitate, ſi eorum habeatur ratio, quæ in ea D. Rex Ludovicus, in ſuo palatio repoſuit, qualia ſunt panni Infantiæ Chriſti, ſudarium, corona ſpinea, clavus, pars ſanctiſſimæ Crucis, ſpongia, ferrum Lanceæ, veſtis purpurea, arundo, lapis ſepulchri, pars ſyndonis, ferrea catena, quâ Chriſtus vinctus, mappa, in qua Euchariſtiam inſtituit, & innumera alia, quæ in capella ſancta, & aliis locis huic urbi proximis veneramur. Parlamenti ſeſſio Pariſiis ſtabilata à Philippo Pulchro An. 1302. Nunc jus dicit Archiepiſcopatibus ſex, & Epiſcopatibus 24. Catuliacus, vulgò Sandionyſium Mauſoleo regum illuſtre. Montmorancia Vallis & Ducatus. Argentolium, vicus Chriſti veſte inconſutili celebris. Sanctus Germanus regium Palatium, Poſſiacum, Meulantum, Medunta, ubi S. Thomas, cum offendiſſet S. Bonaventuram ſcribentem vitam S. Franciſci, dixit, ſinamus

Sanctum præclara sanctissimi viri facinora scribere. Guidonis rupes, Comitatus cum oppido, ubi os brachii S. Sampsonis, quod nunquam intingitur Sequanæ, quin depluat eadem die. Vernonium, Andelium, Gallio Archiepiscoporum Rotomagensium gratissimus secessus, opus Ambasii Cardinalis. Pons arcuatus ad Sequanam urbs sic dicta à ponte, quod Lintres per unum tantum fornicem possint pervadere, sita est ad Confluentem Euricæ & Andelii, qui ortus ex Caroli valle, alluit Baronatum Pontis S. Petri, Vallem Rodulphi, vern. *Vandreuil*, & duorum Avantium Prioratum. Ellebovium Ducatus & pariatus ab Henrico III. institutus anno 1581. in gratiam Caroli Lotharingi Comitis Harcuriæ. Rothomagus g. 49. m. 20. Metropolis Northmanniæ, celebris Archiepiscopatu, Parlamento quod à Ludovico XII. hîc institutum est anno 1499. & emporio totius Galliæ frequentissimo. Laudatur hic campana 36. mil. librarum, alta pedes tredecim, lata 11. cujus sonus longè gratissimus. Butila, portus ad Sequanam celebris. Gemeticum Abbatia S. Bened. in qua olim 900. Monachi, sub Abbate S. Achardo sanctissimè vixerunt. Caldebecuum, Presidialis Caletorum Consessûs Curia. Ab eo leucis duabus distat Yvetotium vicus, quem regni titulo illustrem fecit olim Clotarii sævitia, nunc verò Principatus, quo fruuntur Domini *du Belley*. Juliobona, Comitatus Elboviorum Ducum, cujus castellum putatur excitatum ex ruinis Juliobonæ & Caliti, certè in deliciis fuit Ducibus Northmanniæ, qui eò se

cum

cum universo aulici generis ordine recipiebant *Pour y tenir leur Tinel*, ut habet vetus Chronicon. Est & Hareflotus, valida olim munitionibus urbs ad rivum Becci Crespini, qui etiam oppidum & & Monasterium Villare alluit, hincque abit in Sequanam.

Cap. XVI.

Senones.

SEnonum nomen olim amplissimum sibi etiã ipsi Meldæ, Carnutes, Bituriges & Ædui asciverant, vel hoc nomine terribiles, quod urbem Romam protriverant: hanc tamen finium laxitatem revocamus ad eam agri partem, quam Icauna & Lupa secant, cui postea hæsit nomen Senonicum. *Yone*, antiquis Icauna, oritur apud Alexios è montibus Morundiæ *du Moruen*, urbes ustrat Clameciũ in agro Nivernensi, in cujus suburbio dicto Bethleem, Ecclesia est à Nivernensibus Regulis dotata 500. librarum proventu, ut esset refugium Episcopis Bethleem è Judæa profugis. Crevantium oppidum, ad quod per amnes Curam & Avalonem ex Morundiæ sylvis focariæ Sudes devolvuntur, quæ cratibus Parisios usq; ferũtur. Antissiodorum, antiquis Antricũ, à monte Antrico, qui urbi proximus est, nunc *Auxerre*, g. 47. m. 20. ubi Legio 22. Antonino, nunc urbs est Episcopalis, cujus Comes Petrus Imperator Orientis renunciatus circa annum 1216. hunc Comitatum Rex Carolus V. anno 1372. à Cabilonensi Principe emit aureis 30000.

Agendicum Senonum Metropolis, vernac. *Sens* 47.50. frequens & amœna ſedes Archiepiſcopi Germaniarum olim Primatis. Non longè ab ea videbis fontem, cujus aqua lapideſcit. Inter Antiſſiodorum & Senonas, Icauna excipit Armancionem, qui alluit Nucetum & Chableſium g. 47 m. 20. ubi anno 841. atrox illa contigit pugna inter filios Ludovici Pii, in qua omnis propè nobilitas internecione deleta. Rigat Senimurum Aldenſium, urbem validam, in cujus Prioratu religiosè aſſervatur annulus, quo D. Virginem ſibi deſpondit S. Joſeph. Tornodurum titulo Comitatus inſigne. Excipit verò mediante Brena rivos Oſerapium & Loſam, qui unâ circiter leucâ à Favignio ambiunt montem, in quo fuit Alexia 47. 10. Æduorum Mandubiorum urbs, ad quam Cæſar immanibus excitatis munitionibus cives coëgit Regem Vercingentorigem dedere, quâ deditione tota eſt Gallia potitus. Templum S. Reginæ, quæ hîc colitur, locum nunc reddit celebrem. Lupa, vernac. *Loin*, naſcitur è Jugis Antiſſiodorenſibus, & ad Vicum *Dammarie* excipit rivum, qui oritur è ſtagno, quod vix 500. paſſus diſtat Briara ad Ligerim. Ubi proximis annis ductus eſt alveus, qui mediante Lupa, Ligerim committit Sequanæ, urbeſque rigat Caſtellionem Satrapiam gentis Coligniorum. Noviomagum *Montargis* g. 47. m. 40. Vadicaſſium Metropolim, Caroli V. delicias. In palatio ad caminum inſculpta fidiſſimi canis hiſtoria legitur, qui coram Rege, Domini ſui mortem ulturus, percuſſori ejus Aulico cataphracto gulam fregit.

Nemur-

Nemursium, *Nemours* Ducatum Philippo Sabaudiæ Comiti Genebensi datum, quando uxorem duxit filiam Renati Ducis Alenconiensis. Moretum *Moret*, oppidum cum castro elegantis operis, ex quo possis videre Fontem Bellaqueum in sylva Bieria, *Fontain-beleau*, Regum Galliæ augustam basilicam, hortos voluptuarios, Vivaria, nemoraque jam inde à D. Ludovico culta. Hinc verò Lupa effunditur in Sequanam supra Melodunum.

CAP. XVII.

Campania, Matrona, Axona, Alba, Aisia.

CAmpaniæ vetus nomen in Galliæ Provinciis. Nam Gregorius Turon. & Ducis Campaniæ & designati quosdam inter Proceres regni Campaniæ meminit tempore Guntranni Regis. Regno Galliæ fuit adjuncta sæpius, ultimum anno 1361. Omissis populorum minutis partitionibus, dico Campanornm alios Celtas, alios Belgas, omnes vel ad Sequanam, de quo jam egimus, sitos, vel secundum Albam, Matronam & Axonam, de quibus nunc agendum.

Alba *Aube* caput habet in Lingonibus sub procera quercu ad radices montis *le Charmois*, alluit Albam ripam Abbatiam *Aube-riue*, Claram ballem *Cleruaux*, Barium, *Bar sur Aube*, & Arceias villam, à qua Campania olim dicta *a* Arceiacensis, & pagi Arcisisi, & fluit in Sequanam infra oppidum Meriacum. Clara-vallis g. 49 m. 45.

Abbatia fundata in valle Absinthiali anno 1115. à D. Bernardo, qui decendens è vivis, reliquit hic 700. Monachos, præter eos, qui in 800. Monasteriis, quibus præerat, excolebantur.

Matrona, *Marne* oritur in vico Balisma, loco cui nomen *Marmote* distante unum mil. ab urbe Lingonum ex sylva Lingonica olim dicta, nunc *Passauant*. Germanum limitem exercet *b* Belgas inter & Celtas à fonte suo ad pontē Carētonium, ubi miscetur Sequanæ. Secundum eum reperiuntur urbes Andomatunum *Langres*, g. 47. m. 38. urbs primaria Lingonum celso in clivo sita in extremo Vogesi: hujus Episcopus est Par Ducalis Franciæ & præcedit suum Metropolitem Archiepiscopum Lugdunensem. Calvus *Mous Chaumont*, Bassiniæ Metropolis cum arce rupi imposita Joanvilla, *Ioinuille* ditio præcipua Seneschalli Campaniæ ad dignitatem Principatus evectæ ab Henrico II. in gratiam Clodij Ducis *de Guise*, qui & illic sepultus est in monumento eximij operis, sicut & Godefridus Dux Bullonius Rex Hierosolymorum. S. *Dizier* fanum S. Desiderij munitum arce valida. Victoriacum Francicum *Vitry le François* urbs, caput Pertensis territorij, distans quadrante leucæ à Victoriaco sede Victricis Romanorum legionis, incenso à Carolo V. Hic verò Matrona excipit amnem *Saux* qui alluit Barum Ducis, sic dictum ex quo Joannes II. Rex Galliæ anno 1357. illud oppidum Ducatus titulo auxit in gratiam Roberti Comitis qui Mariam Franciæ ejus filiam in uxorem duxit. Horum verò pronepos Renatus Andegavensis, Dux

Bari

Bari qui poſtea Rex Siciliæ uxorem habuit Iſa-bellam Lotharingiæ heredem anno 1420. ſicque Ducatus Bari & Lotharingiæ conjuncti. Hinc Matrona rigat Ponticonem *Pougny* vicum ubi villa olim regia, in qua Pipinus Rex Stephanum Papam excepit, habitáque eſt Synodus dicta Pontigonenſis; Catalaunum *Chalons* urbem cretaceam, g. 48. m. 45. amplam tamen & divitem. Epiſcopus urbis dominus, eſt Comes & Par Franciæ. Ai, Aniſiacum vino celebre, quod ſuaviſſimum totius Galliæ dicitur. Caſtrum Theodorici, *Chaſteau-Thierry*, dives & opulentum, caput ſuperioris Briæ, Præſidiali foro & Ducatus titulo inſigne à quo vix 4. leucas diſtat Comdæum, ex quo Galliæ protoprinceps appellationem accipere ſolet. Monticæ *Monceaux*. Palatium à Catharina & Maria Mediceis Francorum Reginis excitatum. Jatinum *Meaux*, oppidum Epiſcopale in Meldis conſpectus gratiſſimi. *Lagny*, Lignium caput Comitatus primariæ nobilitatis.

Aine, Axona amnis præceps & aquarum copia tumens, ex Barrenſi Ducatu labitur in Aiſiam ſupra Compendium, poſtquam oppida luſtravit *S. Menehould*, S Menechildis, g. 48. m. 14. Attigniacum ubi capitularia habuerunt Carolus Magnus, Ludovicus & Carolus Calvus. *Retel*, Retelium Metropolim Reteliæ gentis. Caſtrum Portiani & Auguſtani Sueſſonum *Soiſſons*, g. 49. m. 14. Sedem olim Regum Franciæ in partitione regni tetrarchica. Supra Sueſſiones Axonæ miſcetur Vidula, cujus fons in Vico cognomine *Somme-*

Vesle prope templum D. Virginis à Spina in campis Catalaunicis, ubi Meroüæus Attilam coëgit fugere 18. millibus hominum utrinque desideratis. Castellum rigat Sillerii & Durocortorum Remorum *Reims*, g. 49. m. 6. ubi Reges Franciæ chrismate celitus misso inaugurantur ab Archiepiscopo loci, qui primus est Dux & Par Franciæ.

Aisia ortus in Arduenatibus in lat. g. 49. m. 52. decurrit in Veromanduos, ubi admisso rivo, qui ex arce Capellia *la Capelle* defluit, Guisiam lustrat oppidum Tierrachiæ à Francisco I. Ducatus & Pariatus titulo insignitum anno 1527. in gratiam Claudij Lotharingi. Inde abit Feram *la Fere*, 49. 10. Tartenorum Metropolim & Regni clavim, sitam in insula Aisiæ, qui amnem Serram illic admittit, constantem varijs rivis; horum unus profluit ex Verbinio arce munita & celebri ob pacem ibidem sancitam anno 1598. manat alter ex sacello Sacratissimæ Virginis *de Lisse*, ob frequentia miracula toto orbe celeberrimo, quod duas leucas abest Lauduno Clavatum *Laon*, 49. 26. urbs in monte sita est, cujus Episcopus Dux & Par Franciæ, Ampullam defert in consecratione Regum. Admittit etiam rivos aliquot, qui ex Coussiaco castro cultissimo, & domo Regia *de Folembray*, à Francisco I. ædificata derivantur. Lustrat præterea Noviodunum *Noyon*, 49. 33. urbem quam Cæsar, propter fossæ latitudinem murique altitudinem expugnare non potuit. Ad eam Carolus Magnus Gothos profligavit: ad eamdem translatus Episcopatus Augustæ Veromanduorum

duorum anno 524. Ipſique unitus Tornacenſis usque ad annum 1146. Illinc venit Compendium *Compiegne*, dictum regium, quòd frequenter illuc venationis cauſſa Reges divertant. In Abbatia S. Cornelij religioſè colitur de tribus ſindonibus, una in quibus Chriſti corpus ſepultum fuit. Aiſiæ rurſus infunduntur amnes Thara & Autonna. Thara Bellovacum *Beauvais* alluit, urbem cujus Epiſcopus eſt Comes & Par Franciæ Cives ab omni evocatione bellica ſolvit Ludovicus XI. Mulieribus autem & virginibus conceſſit, ut in ſupplicatione publica viros præcederent, quod illarum opera Burgundus obſidionem ſolvere coactus eſſet. Varia Palatia & horti ad amœnitatem conſiti Compendium circumſtant, itemque Sylvanectum *Senlis*, urbem Epiſcopalem: Ex illis ſunt *Villiers.Coſterets*, Franciſci I. opus *Bechyſi* villa, Regis Caroli Craſſi & Philippi Auguſti: CreſſiCariſiacum Carolo Magno & Ludovico Pio gratiſſimum, ubi habitæ Synodi plures; Vernolium Henrico IV. Crillium Carolo V. & Catharinæ Mediceæ, *Chantilly* Ludovico XIII. gratiſſima. Habes etiam in Aiſiæ ripa Beaumontium Ducatus Valeſij, caput erecti à Philippo Valeſio Rege, in gratiam Roberti Arteſij anno 1328. Denique in Pariſiis Brivam Iſaræ, ſeu Pontœſiam *Pontoiſe* rigat, & ſub eam effunditur in Sequanam.

a *Capitul. Car. Cal. tit.* 12. b *Aujon. in Moſ.*

Cap. XVIII.

Northmannia.

CUm morte Ludovici Pij, civilibus motibus tota quateretur Gallia, profecti varij populi è Scanzia, quam Northuagiam & Northmanniam appellant, memores atrocissimi belli, quod per 30. annos continuos, Carolus Magnus gesserat adversus Witichindum Saxonum Regem, Godefridi Daniæ & Northuagiæ Regis generum, per oram Galliæ maritimam primùm evagari cœperunt: Inde cum occupata Rotomago per intimas Regni partes grassarentur, cædibusque & incendijs fœde vastarent omnia, Rollo tandem Northmannorum Dux Archiepiscopi Rotomagensis opera, ad fidem Christianam suscipiendam, & fœdus cum Carolo Simplice feriendum adductus est. Gislam ergo Regis filiam matrimonio duxit, quæ dotis nomine oram Galliæ maritimam, & interiora ad amnem Eptam attulit, Northmanniam deinceps dictam, cùm priùs Neustria appellaretur. Hæc anno Christi 912 gesta, ait Ordericus lib.3. qui addit in Armoricam simul ei datum summum jus, & clientare obsequium. Plures deinceps numerati Duces bellicâ virtute omnes clari, inter quos enituerunt Guillelmus, cui agnomen à longa Spada. Richardus intrepidus, qui tutor fuit Hugonis Capeti origine Saxonis, prognati ex filia Witichindi, quem & juvit, non mediocriter in delenda stirpe Caroli Magni. Richardus II. qui Cabillonensem

à se

à se devictum suis adegit advolui pedibus supplicem & indutum Ephippio, in signum demissæ mentis & fracti animi, Robertus I. qui Guillelmo Comiti Belismensi, non priùs ignovit, quàm vidisset eum, caput & pedes nudum & ephippio similiter instratum admissi facinoris veniam deprecantem, qui deinde obtinuit, ut Alanus Britanniæ Comes, sibi tanquam domino solemnis clientelæ professionem ederet. Qui denique Henricum I. Franciæ Regem Fiscani perhonorifice excepit, ei adfuit adversus Robertum juniorem fratrem, qui eum de solio deturbare modis omnibus conabatur. Unde Henricus accepti beneficii memor, additis Pontesia & Calvo-Monte, cum Wolcassino alii Vulxino Francico Northmanniæ limites ampliavit. Huic successere alii sex, iidem Anglorum Reges, quorum ultimus Joannes ob mortem, quam intulit Arturo filio Comitissæ Britanniæ, & alia commissa peractus est reus perduellionis, à Galliæ Regibus, mulctatusque omnibus terris, quas jure feudi possidebat in Gallia; hinc bella Anglos inter & Gallos, donec Carolus VII. eos totâ Galliâ expulit. Clauditur verò nunc his limitibus Bresla, Epta, Ebura, Itonio, Sarta ad urbem Alenconium, hincque linea ducta ad Coësnonis amnis ostium, denique maris litore, quod per trecenta minuta patet ab ostio ejusdem Coësnonis, & Abbatia S. Michaëlis in periculo maris, ad ostium Breslæ & Abbatiam eidem Northmanniæ Patrono S. Michaëli, de ulteriori portu sacram, vern. *Treport.*

Cap. XIX.

Amnes Northmanniæ influentes in Sequanam.

QUæ regio Eptâ & Oesiâ concluditur Vulcassini Gallici nomen sortitur: quæ verò Epta & Andelio Northmanni. Epta verò oritur in Bellovacis è fonte cognomine, non longè à fonte *Forges*, ubi aquæ saluberrimæ. Miscetur Sequanæ inter Vernonem & Guidonis rupem: eo rigantur Gornaium celeberrimæ olim munitionis à Philippo Augusto excisæ vestigium tenue. Gisortium *Gisors*, 49.12. municipium elegans, dos Sanctæ Virginis nuncupatum, quod prædia Canonicorum Rotamagensis Ecclesiæ magnam partem illic sita sint. Juxta pomœrium fuit Ulmus, cujus truncum vix 8. homines capiebant, ad quem frequenter Reges Galliæ & Angliæ conveniebant, ut controversias dirimerent: verùm cum anno 1189. Richardus Rex Angliæ, captans auram sub illa, permisisset Philippũ diu morari in aprico, Galli in Anglos, irruentes arborem ferro licet atque ære munitam, radicit⁹ evulserunt. *Evre.* Ebura ex Carnutib⁹ superis fluit è stagno personarum appellato, aliis, *le Boüillon d'Evre*, è sylva Longniaca, perluit Abbatiam *Belhomer*, Belsiamque agrum triticeâ fœcunditate clarum lustrat, potiùs quàm rigat. Nam aquis magnam partem caret & arboribus, pro-

propter Tophum lapidem ſolo ſubſtratum. Ejus præcipua urbs Autricum *Chartres*, 48. 16. ubi tunica interior D, Virginis. Sequuntur in ejus ripa Novigentum, *Nogent le Roy*, dictum Regium à Philippo Valeſio, qui ibi deceſſit. Drocæ, ubi commiſſa pugna Drocenſis dicta anno 1562. Nec ita multò poſt Habram excipit, qui Vernolium alluit, Tegularias & Nonancurtium. Anetum villa eſt Ducis Vindocinenſis, quæ pauciſſimis Regiis eſt inferior, multas verò ſuperat. Ibræa, *Ivry* urbs prope quam, commiſſa Ivriaca pugna, in qua Henricus IV. cum duobus millibus, ſex-decim Fœderatorum millia fudit, anno 1590. *Paſſey* Paciacum oppidum victoriis Philippi Auguſti clarum; Loveriæ *Louviers*, oppidum Archipræſulis Rotomagenſis.

Inter Paciacum & Loverias, labitur Itonius amnis è fonte burgenſi ortus, qui Condetum alluit, ſtationem Epiſcopi Eburonicum, poſteaque abſorptus terrâ, poſt millia paſſuum terna iterum renaſcitur, & per Ducatum *Danville* abit Mediolanum Aulercorum Metropolim, vern. *Evreux*, g. 48. m. 50. Riſſaſcaturit in ſuperis Carnutibus, id eſt Percheis in ſylva Aquilina, ſubindeque Eburaicos & Lexobios irrigans, urbes ſalutat Aquilam, *l'Aigle*, *Rugles* aciculis divitem Lyram, ex qua Nicolaus Lyranus, qui gloſſam edidit in Sacram Scripturam oriundus. Caſtrum lunæ, ubi ſe abdit in terram, & poſt Leucam cum media ad Vicum *Gloray* è fonte, quem rabidum vocant, iterum erumpit, & aquis auctus Beccum & plures alias alluit Abbatias,

nec

nec non nobile castrum *Monfortense* opus Annebaldi Archithalassi, ubi Lazurium teritur, indeque per pontem Audomari *Ponteau de Mer*, urbem mundissimam fertur ad rupem Ridulam in æstuarium Sequanæ prope scopulum prominens dictum *Quillebœuf*, quem equum Seianum plerique nominant, quod malè semper perierint, qui arcem in eo excitare conati sunt sæpius.

CAP. XX.

Cavæ Northmanniæ litora.

CAdentis in mare Sequanæ ostium obtinent Lexobii, in quibus hæc sunt oppida propter Oceanum sita, Hunflutum *Honfleur*, portus utcunque celebris. Tolchæ *Touques*, ubi excoquitur sal candicans & mare excipit amnem itidem Tolcham dictum, cujus origo non procul à fano S Ebrulphi: Neomagum vero Lexobiorum Metropolim *Lisieux*, alluit & pontem Episcopalem, *le Pont-l'Euesque.* ubi caseus, quo totâ Europâ vix est melior. Venelli proxime Lexobios excipiunt ad Olenam amnem, Augia Juelina nunc dicitur hæc regio, *le pais l' Auge*, tumenti sicera & pascuis abundans opimis. Ad D. Petri Monasterium in mare labitur Jua amnis qui ortus infra Oximum *Iesmes* celebres vicos alluit Trunnium, Variamuillæ aggeres alto, pingui & inexpurgabili luto infames, & fanum S. Barbaræ, ubi Saios à Lexobiis dirimit. Secum verò in Oceanum defert rivos Antam qui Falesias alluit oppidum

dum,propter Gerboraium campum,*la Guibre* & nundinarium commercium celebre, Vitã rivum qui Montgommerium , Livarro *&* *Creuscœur* nobilia dominia ſubluit, Meanciam denique qui ſalutat Argentias & Bavacum *Bavan* , ubi Galli plures interfecti & Ludovicus Tranſmarinus captus à Northmannis anno 947.

Eſtreamum vicus celebris dictus ſinus Venellius & Olinius ab Olena , ſeu orna fl. qui ortus apud Eſſuos diablitas in pago *Aunon* eorum *M*etropolim Noviodunum aliis Vagoritum Ptol. *Seés* alluit vulgo Sagium in lat. g. 48 m. 36. urbem in quam deleto Oximo translata eſt ſedes Pontificia quæ partim Aulercis , partim ſuperis præeſt Venellis.Inde Argentomum *Argentan* urbem perluit: tum ſinuoſo flexu petit Cadomum, *Caen* g. 49. m. 9. cavæ Neuſtriæ urbem præcipuam,ſitu amœnam, arce firmam, templis, Academiâ & hominibus cultam. Tranſmiſſo Olenæ æſtuario, Venellis ſuccedunt Bellocaſſes ad Virianum amnem. Dicuntur modo Bajocaſſes à Baiis , ſeu aquis ſtagnantibus : quæ pars meridiem ſpectat aſperior eſt, & ſilvoſa *le Bocage* dicitur: quæ verò ad mare , uberrima. D. Virgo de Jurandia in his partibus, jam ex antiquo celeberrima. Courſullæ, caſtrum eſt ſic dictum à cur Suſullæ amnis qui ex montibus Anchoræ prodiens, Salutato Creulio caſtro ibi miſcetur mari, Viceco nitatum Cadomenſem à Bajocenſi ſeparans. Bajocaſſium aliis Biducaſſium *Bajeux*, g. 49. m. 13. Partenopolis dicta. Ex quo enim

Exu-

Exuperius ejus gentis Apoſtolus in ea Virginis matris Iconem erexit, cives ita ex animo ſe ipſi commiſerunt, ut ſperare audeant, urbem ſuam quemadmodum intacta hactenus perſeveravit, ſic nullo unquam hoſtili impetu diripiendam. Numerat propterea benè multos Sanctorum Catalogo aſcriptos municipes ſuos, quorum præcipui, S. Reginobertus, quî ex Bajocenſi Comite factus Epiſcopus in Pontificia ſede præfuit annis 90. mortuus anno ætatis ſuæ 120. S. Rufinianus, Lupus, Patricius, Conteſtius, Marculphus, Ebrulphus, Gaufredus, Spaſius, Manue9, de quo dicitur in ejus Eccleſiæ tabulis, bonus in juventute, melior in medio, optimus in fine. Urbem mediam perluit Aura fl. cujus origo in monte calvo. Junctus autem Dromeo rivo ad radices Thermenſis caſtri apud domuncularum Parœciam uno gurgite abſorbentur & ſubterraneo meatu in mare ſe effundunt. Vaſtus campus *Grand-champ*, eidem litori apponitur ad præpinguem piſcaturam exercendam feliciſſimus. Nec multum ab ora maris removetur Ephippiorum villa *Eſtrevires* in pago Formigniaco, apud quem tota acie Gallos inter & Anglos depugnatum, expulsique tandem Angli tota Neuſtria. Ajunt verò inſtanti Gallo & altius percontanti quandonam eſſent reverſuri, converſum Anglum reſpondiſſe, reverſuros nempe cum Gallorum crimina quam Britannorum eſſent graviora; utique ſapienter. Majus Vadum S. Clementis, *le grand Vé* dividit Conſtantienſem Comitatum à Bajocenſi excipitque amnem Viria-

Virianum qui oritur in colle Brimbalio, *la butte brinbal*, in tractu Arborienſi: ex quo eodem, ad angulos ſibi è diametro oppoſitos quatuor efflu-unt ſcaturigines, ſuis quæque alveis in diverſa lo-ca fluentes, ſcilicet Sæam, Egrenium, Nigellum & Virianum hunc noſtrum, qui urbem ejuſdem nominis Viriam alluit, indéque Teſſeium Comi-tatum & oppidum S. Laudi, cui proximum eſt Torigneium caſtrum. In his partibus erum-punt fontes ægris corporibus ſalubres, eruun-turque marmora coloris cyanei & nigri. Succe-dunt Valloniæ, unde panni longè optimi, & Quarentanum oppidum, *Quarantan*, 49. 15. mari adjacens, munitum caſtro, puſillo vado S. Vedaſti proximum, in quod Dova amnis influit, cujus origo eſt in ſylva Briquebeca, perluitque loca in iis partibus gratiſſima, ob ferarum viva-ria & ſaltuoſa nemora, in quibus mira cum fœ-cunditate paſcuntur, neque deſunt prædatricis naturæ volatilia, deliciæ olim *P*aganellorum, dum commorabantur in Caſtellis Hambiæ vel Briquebeci. *P*aganellis ſucceſſerunt Eſtoutevillei, & his Aurelianenſes Longovillei. In cuius ære numeratur etiam Chriſti Servatoris, *S. Sauver*, nomini devotum oppidum, Nigelli Vicecomitis Conſtantienſis opus, ſelecto tribunali ad cauſas forenſes agendas nobile. *P*ons Doveus eidem amni ſternitur, qui quas ex ſubjecto alveo aquas evomit hyberno tempore, ingruente maris æſtu reſorbet & lacunam efficit, non ni-ſi ponte vel cimba tranſuadabilem in eundem Euripum confluentibus aquis *P*eneſmii lacus,

qui

qui mirâ fœcunditate, sic pisculentus est, ut anguillarii generis redundantes modios 18. uno retis jactu, interdum hauriat accola. Est in proximo Montanoburgum Benedictinæ familiæ cœnobium Sabbatino emporio celebre per totum septum Constantiense, *le closet du Contentin*: frumenti feracissimum & pascuis sic lætum, ut si bacillum projicias sub vesperum, diluculo vix reperias herbido toto contectum. Vado S. Vedasti Ogigiæ sunt attiguæ: peninsula, per quam merces è mari in continentem agrum efferuntur: bimarem Corinthum diceres: dextrum certè latus, aliud piscaturæ genus profert, aliud sinistrum. His finitimus est Barræ fluctus ab æstu maris refluentis, ita appellatum oppidum, situm in extremo vallis triticeæ, quæ propterea vallis Cereris dicitur. Alluitur etiam maris æstu Cherburgium, loco arenoso situm oppidum, quod cæsis fugatisque tota è Gallia Anglis à Carolo VII. est novissimè receptum. Haga marina, *Cap de la Hague*, antiquis promontorium Crociatonium, extremus est versus Septentriones Neustriæ ager, magna ex parte arenosus, suo complexu recipiens saltem 18. templorum decurias. Ad navigantes litori Pollebachium appellimus litorale oppidum sinuosum, & stationem navibus accommodam. Bulsardis amnis influit in mare ad Constantia castra, *Coustance*, 48. 56. eò loci, ubi Cæsar cum exercitu Britanniam invasurus constitisse memoratur. Nunc urbs est Episcopalis, cujus mœnia evertit Ludovicus XI. quod fratrem Carolum tunc rebellem cives admisissent. Oritur

verò

verò fluentum hoc ad Hagam Paganelli,& priusquàm misceatur mari, excipit Soulam, qui ortus ex Bordeo Pago Theopolim, *Ville-Dieu*, alluit municipium caldariis artificibus, omni ex parte addictum, subindéque castrum Gauraium & rivum alium admittit, qui ex Vastinio Herouldi muncipio olim amplissimo derivatur. Macropolis, *Granduille*, portus capax navium magnæ molis. Abrincatui subter Constantinos degunt, civitas præcipua Abrincatum, quibusdam Ingens sedes Pontificia, sita in colle, firma mœnibus & fossa. Regio circumposita in Abrincatuis, ex arborum & plantarum fœlice copia, arboretanę Normanniæ nomen sortita est. Perluitur amne *Sæa*, qui ex Calvo monte procedens subter pontes Arboricos æstuario maris se miscet: Tumba, sive ad duas Tumbas in periculo maris, vulgò Tumbulanæ rupes promontorium celebre ad vada pusilla, ubi amnes Arduus & Semina ad pontem Hubaldum miscentur mari. In hac rupe fuit celebris munitio ab Anglis excitata, & diruta à Gallis post Formigniacam cladem. Mons San-Michelianus, seu promontorium Ocrium solitudine & sylvis horridum, in quo Anachoretæ Deo aliqui vacarunt, priusquam monitu S. Michaelis, Aubertus Abrincensis Episcopus, eidem Archangelo ædem in montis summo sacraret anno 708. posteà fuit S. Benedicti religiosis traditus & munitus castro, quod solum in tota Neustria Anglis restitit, nempe tutum patrocinio Angeli Galliæ tutelaris.

Cap. XXI.

Insulæ juris Anglici, litori Northmanniæ appositæ.

ENavigato Crociatonio offerunt ſe aliquot inſulæ juris Anglici, quarum prima Arica, vernac. *Alderney*, paſcuis & arvis læta ædes 80. numerat. Hinc ad occaſum ſcopuloſa cautium, *Caſquettes* eminentia procurrit, quibus ſubeſt ad Meridiem Cęſarea, *Gearſey*, parœciis 12. diſtincta, abundans frugibus & ovibus, in quibus plurimæ ſunt quatuor cornibus conſpicuæ. Ignem incolæ excitant ex alga marina ſole ſiccata, cujus cinere tanquam adipe agros fœcundant. Ab Oriente, qua Conſtantiam urbem proſpectat, præruptæ rupi *Montorgueil*, caſtrum affigitur, cui cum præſidio præeſt, qui univerſæ inſulæ præficitur. Incolæ agriculturæ & piſcationi ſtudent, mulierculæ tibialibus texendis. Sarnia inſula, vernac. *Garnſey*, cingitur præruptis cautibus, inter quas Smyris lapis reperitur, quo Vitriarii vitrum diffidunt. In Auſtrali parte, portus eſt magnarum navium capax, cui aſſidet oppidulum S. Petri, mercatoribus freqnens, quod veteri privilegio perpetuæ illic induciæ ſint, quamvis bellum Gallos inter & Anglos exardeſcat. Portum rupes cum arcibus circunſtant, in quarum altera (*Cornet* vocant) plerumque agit inſulæ Præfectus & milites Præſidiarii, qui Gallos & fœminas nullo modo ingredi patiuntur. In occidua parte juxta mare, lacus eſt piſcium fœcundus.

cundus. Incolæ loquuntur Gallicè. Illis interjacet modica insula *de Serke*, ubi pecora, damæ, cuniculi plures & phasiani. Est & alia, *Arne*, dicta paulò amplior. Denique in litore minoris Britanniæ septem sternuntur insulæ, Siadæ Antonino, Gallis, *les sept Isles*, à quibus deinde ad Barsam, cujus etiam meminit Antoninus, septem intersunt stadia Gallis, *Isle de bas*, Anglis, *Basepole*.

CAP. XXII.

Armorica Britannia.

COenone fl. distinguitur ab Abrincatuis & Cenomanis; Meduana, ab iisdem Cenomanis & Andegavis, Ligeri à Pictonibus: cætera Oceanus alluit. Dicitur regio hæc Armorica, quod sita sit ad mare, quod antiqui Galli appellabant Mor, unde etiam dicti reperiuntur Armoricani in notitia Imperii illi, quibus Aquitaniæ, Britanniæ, Normaniæ & Picardiæ ora maritima cōmissa erat. Sicut & ibidem vocantur Ripuarii & Riparioli Riparienses & Ripenses, qui præpositi erant custodiæ portuum & riparum fluminū Galliç prçipuorū maximæ Scaldis Mosę & Rheni: appellari *a* verò Britanniam à Britonibus, qui circa annum 461. ex insula in has partes transmiserint, scribunt post Bedam Angli benè multi. Reges olim habuisse contendunt viri docti. Verùm hæc lego l. 4. hist. Franc. c. 4. apud Geregor. Turonium, qui Britanniæ Archipræsul jura ejus regionis, nec debuit, nec potuit ignorare. Semper

per Britanni ſub Francorum poteſtate poſt obi-
tum Clodovæi Regis fuerunt, & Comites non
Reges appellati ſunt. Ut ut ſit, varia fuit ſub
Comitibus Britanniæ facies, poſteaque ſub Du-
cibus, qui hîc à Ludovico Craſſo primùm ſunt
conſtituti, donec Britanniæ hæredem Annam
Carolus VIII. Galliæ Rex accepit uxorem, quæ
eo mortuo nupſit iterum Ludovico ejus nomi-
nis XII. ex quibus nata eſt Claudia, quam duxit
in uxorem Franciſcus I. quo regnante ex Ordi-
num conſenſu & rogatu, Britannia coronæ Gal-
licæ inſerta eſt. Diœceſes in ea 9. Baronatus 9.
Parœciæ 1334. Populi frequentes, rebus olim
nauticis & bellicis ſicut & hodie clari. A Cœnone
fl. olim Lerta ad Rinctium, qui Dinantiũ oppidũ
olim munitiſſimũ rigat, erãt Biduceſii, dicti nunc
les peuples de Dol & de S. Malo. Cœno oritur ex
fonte Cœnette in ſylvę Flicetanę pago Landeano;
alluit Filicerias, *Fongeres*, & Pontem Urſonium
Pont-Orſon, 48. 28 urbes olim munitas. In mariti-
ma verò duæ ſunt urbes Epiſcopales Dolum *Dol*
& Maclovium *S. Malo* 48. 28. Dolenſis Epiſco-
pus primum locum obtinet in conſeſſu trium Or-
dinum Britanniæ: cum verò de jure Metropoliti-
co cum Turonenſi Præſule litem habuiſſet, ab
Innocentio III. ſecundum Turonenſem lata eſt
ſententia. Rincius urbes alluit Dinantum & Ma-
clovium longinquis in omnem orbis partem na-
vigationibus nobile, nec non Epiſcopali ſede,
quam circa annum 1149. quo Aletha eſſe deſiit,
B. Joannes tranſtulit in locum, qui tunc diceba-
tur inſula Aaron, nunc verò Maclovium, à D. Ma-
clovio

clovio primo Alethæ Epiſcopo. Urbis veſtigia adhuc viſuntur *au Quay d'Aleth* in ipſo ſinu Macovienſi. Sequuntur in Ambiliatibus Lambalei & Briocenſes, *le peuple de Lambale & de S. Brieu.* Ab Teto Amne ad Gobæum promontorium ſedem habuerunt Oſſiſmii, ubi nunc degunt Trecorienſes, *ceux de Treiguer,* quorum Metropolis Vorganium, hodie S. Paulus Legionenſis, *S. Paul de Leon,* olim Ducum ſedes. Gobæum Cornu extremus eſt Armoricæ Angulus, cujus ſegmenta ſunt Furium cornu *le Cap du Four,* 48. & Caprarium cornu, in quo Cœnobium D. Matthæi in finibus terræ. Inter quæ duo cornu Ripenſis eſt tractus, *le Ras de S. Mahé,* ſecundùm quem horridæ ſunt ex utraque parte rupes diſpoſitæ ad modum ingentis ſylvæ flammis denigratæ, quæ Oceanum ſic cogunt in anguſtias, ut mare per eum rapidiſſima ſagitta citius decurrat. Boſporum Galliæ verè dixeris. Promontorio prætenditur inſula Uxantos *Oueſſant,* ampla & fœcunda, ſed Piratis expoſita. Adnavigata ea inſula Oceanus vaſto ſinu continentem urget inter Britanniæ promontoria Gobæum & Nerium utrumque in finibus terræ nuncupatum. Quæ pars Pictonum, Santonum, & Aquitanorum litora alluit, dicitur Sinus Aquitanicus; qui Cantabriam, Cantabricus. Statim verò poſt cornu S. Matthæi aperit ſe portus Breſtanus in Brivatibus *Breſt,* 47. 48. Regium navale in interiore Sinu, qui in 4. tutiſſimos dilatatur, quorum Breſtenſis Septentriones reſpicit, Borrapeliotem Landerneus Orientem Foius navium officina, Auſtrum denique

S.Segalis. In proximo habes Senam Gallam *le Seems*, rupes continuas ad Leucas 7.insignes olim oraculo, cujus Antiſtites perpetua Virginitate Sanctæ numero 9. fuiſſe traduntur, quæ maria ventoſque concitabant, quaſvis formas induebant & futura prænuntiabant. Ab lævo angulo Gobæi cornu ad Blavetum Euripum, ſunt Curioſolites Plinio Carii Velites, in Cornubia *ceux de Cornoüaille*, ubi coloni tam frequentes, ut poſſit Ripenſis Præfectus, intra paucas horas Sclopetariorum millia 15. cogere. Urbs primaria Coriſopitum Kimper, 47. 24. ad amnem Audetum,cujus oſtium dicitur *Penaudet*, portus *Penmarch*, id eſt, caput Equinum. A Blaveto amne ad Vindianæ fl. oſtia, fuerunt Veneti, *ceux de Vannes*, bello celebres adverſus Cæſarem. Blavetum ortum in vico Pumeric alluit dominium Sales, Rohani Ducis, in cujus Solo Rumbi, vulgò *des Macles*, ejus familiæ antiquiſſima inſignia reperiuntur lapidibus & arboribus inciſi à natura. Alluit prætereà Hennebontum *Hennebon*, 47. 2?. oppidum, in quo Montfortii Comitiſſa, dum obſideretur à Carolo Bleſenſi anno 1342. modo catafracta generoſo inſidens equo, vicos urbis obibat, & viris mulieribuſque faciebat animos, modò ex turri campum hoſtiū contemplata,in eos irruebat,& aliquando egreſſa cum 300. Equitibus hoſtium tentoria igne conſumpſit, collectiſque 500. equitibus in urbem hoſtibus invitis rediit. Ad oſtium habes portum & munitionem celebrem Blavetum, dictum nunc Portum Ludovici,in cujus conſpectu

insulæ sunt Groya,& Calonesus, vulgò *Relle Isle*, gr. 46. m. 48. hæc frumento, pascuis & cuniculis abundat: colligit in ambitu leucas semptem: Stat in eminenti rupe,ad quam pauci aditus: Stationes verò habet optimas, aquis 10. vel 12. orgias extantibus. Est & urbs alia celebris Ripensis dicta,vulgò *Rhuys*,populo frequens,& 30. minores insulæ Venetico litori appositę. Inter Morbianum & Auraium oppida portus est tutissimus,g. 47. m. 10. in quo bis mille naves cujuscunque molis jactis anchoris hærere possunt. Declinanda tamen rupes ante ostium Metropolis Venetorum olim Dariorigum, nunc Venetiæ Armoricæ, *Vanes*, 47. 12. Urbs terrestri juxta,ac navali bello inferendo, vel sustinendo aptissima: in cujus castro Herminiaco, sæpè Britanniæ Duces sunt commorati. Non multum ab ea distat ostium Vincianæ aliis Vicenoniæ, vulgò *la Vilaine*; nascitur in finibus Cœnomanum & Britonum è stagno novo in Parœcia *Ieuegné*; urbes alluit Victoriacum *Vttray*, 48. ab Anna Lavallea cinctum mœnibus anno 1448. castrum Gironium; Condate caput Redonum *Renes* situm in lat. 47. 50. Urbem Episcopalem amplam & civibus frequentem,ubi Parlamentum ab Henrico II. Institutum An. 1553. Redonum *Redon* Abbatiam cum oppido,& Rupem Bernardi, ubi ædificata à Carolo *Morieu* Diepensi navis dicta Corona *la Couronne*,cujus longitudo 200. pedū: latitudo 46. altitudo mēdia 32. proræ, 75. summi mali, 216. cui pharus nocturna alta pedes 12 perimeter 24. ubi troclea, cuj⁹ pōdus 1400. lib. Rudēs

cujus ambitus pollicum fuit 23. pondus verò lib 14300. Anchora pond. lib. 6355. In cujus Veli telæ ulnæ 6000. ubi Lebes qui dolia octo capiebat. Porrò licet pondus totius navis crederetur esse quatuor millionum, & peritissimi quique tantam molem nunquam potuissent movere loco, tamen prædictus *Morieure* cum hominibus 40. Diepensibus qui tres annos in ejus ædificatione posuerant, unico securis ictu velocius sagitta emiserunt in mare. Ad influentes in Vindianam proximè Redones est Monfortium Comitatus celebris dictus vulgò *Montfort la Cane*, 47. 50. quod non longe à castro ejus urbis ex stagno post 200. circiter annos frequenter prodierit anas fera cum pullis: quæ 9. Maij per medios homines interdum ad 4000. conveniẽtes intrepide viam sibi aperit, & ad ædem D. Nicolao sacram pergit, in eaque aliquantulum commorata cum pullis redit in stagnum, à quo paucis minutis distat fanum S. Menevij, Abbatia in qua curantur scabiosi. Est etiam in his partibus Castrum Brienneum, Baronia antiqua. Ovesta similiter qui miscetur Vicedoniæ ad Redonum, Abbatiam rigat Quintianum Quintin, ubi telæ tenuissimæ: Avalgurium *Avaugour* Baroniam celebrem: Rohamum Josselinum & Pleremelum Ploermel. Est vero Rhoanus antiquus Vicecomitatus erectus in Ducatum ab Henrico IV. anno 1603. in gratiam Henrici *de Rohan*, qui ex Navarrea, seu Labretana familia originem ducit. Ab Vindiana fl. ad interiora Ligeris Incoluere Nannetes *les Nantois*, claro etiam nomine superstites. In ora maritima

tima habes oppida Merquer ad ostium Vindianæ, Getrande, Prirac, Croisic, S. *Nazaire*, stationes navium vineis & salinis celebres. In interiori verò Ligeris ripa Condivicum *Nantes*, quibusdam Corbilo Strabonis, 49. 54. Metropolim natura munitam & arce, ubi emporium celebre & Mausoleum Francisci II. ultimi Ducis Britanniæ factum à Michaële Colombo. In proximo sunt insulæ Nesiades hodie *Boüin*, *Noirmoustier & l' Isle Dieu*: nec non duorum Corvorum lacus, *le Lac de Grand-lieu.*

a *Nicol. Vign. de Orig. Franc. & Chesneus, tom.* 1. *hist. fr.*

Cap. XXIII.

Liger, Velauni, Segusiani, Niverini.

Liger *le Loire*, nomen à prato quod statim à fonte perlabitur in D. Eulaliæ Parœcia apud Vellaunios *En velay* Aquitaniæ primæ populos, ad Gerbarij Jugi radices *Gerbier le Ioug*, quod asperius est, nudum herbis & altitudinis proceræ, nisi tegeretur à Clergeacio monte *Clergeac*, à quo vix distat 1000. passus: hic inter Cemenos montes sic eminet, ut ejus respectu Gerbarius collis vix tumulus videatur, fons Ligeris in lat. 44. 15. distat Anitio 18. mil. pass. rectâ lineâ, 40. verò secundum ripæ ductum. Evolvitur in Oceanum occiduum in lat. g. 46. m. 50. emensus 200. leucas 166. est navigabilis, ubique clarus, perlucidus, præterquam mense Majo solu-

nione nivium, quibus sic tumet, ut vix coërceatu aggeribus. Vellauni Ptol. seu Vellæi Straboni Ligeris occupant fontes, angustis conclusi finib' paucaque intra perpetuos desertosque monte habent oppida. In his ad ostium Bornæ amni salmonibus gratissimi in Ligerim influentis ha bes Ruesium Podium, *le Puy* 44. 23. vulgò Ani ciũ dictum, ab nomine clivi, cui insidet. In quo translatus est Episcopatus Sanpaulianus. Vi fuit, jam ex antiquo locus in Gallia celebrior pro pter innumera, quæ toti regno, diva Virgo, ind contulit beneficia, maximè verò Carolo VII. Re gi, & Horo Bigorræ Comiti. Illic præputium Christi asservatur & mitra Aaronis. In Anici conspectu ex medio prati ad pedes 400. assur git *mons Acus*, in cujus vertice ædes est sacra D. Michaëli. Nec multum removetur Podo mniacum castrum, vulgò Polignia cum antiquissimæ familiæ Apollinarium, ex qua fuit Sidoni', ut volunt multi, quos tamen erroris arguit Sirmondus in Sidonium. Velaunis succedunt Segusiani, *ceux de Forest*, ubi inter cætera habes planiciem, *la plaine de Forest*, in qua 700. videre est artifices, loci incolas, qui bellica cudunt instrumenta. Afros diceres diebus, quibus operantur. Ita nigri sunt, vultu, pectore, manibus, quibus sola Chanavaletis amnis aqua, qui S. Stephani oppidum alluit, Gallicam cutem & nativum colorem restituit. Regioni nomen dedit Forum *Feurs*, 45. 8. oppidum, quod ejus tractus semper fuerit cõmune Forum rerum venalium. Primaria tamen urbs est Mombrisonium, *Mombrison* ad fl. Vesesiã.

Est

Eſt & Rodũna *Roane*, ubi abiegnæ fiunt naviculæ, quæ ſumma celeritate ſecundo amne defluunt. Excipit poſtea Liger amnes aliquot ex Burgundia, puta Bebrincium amnem, cujus opera mediantéque Stagno de *Longpedu & de Huma* fl. Liger Arari jungitur. Reſconſium amnem cui appoſitæ Carroliæ *Charroles*, 45. 54. Comitatus in æduis Ambarris, à quo Burgundiæ Ducis primogeniti dicebantur Comites Caroleſij. Arotiũ, à quo alluitur *Autun*, 46, 30. Auguſtodunum, olim Bibracte, Celtarum urbs clariſſima & Roma Celtica appellata, ubi Gallorum ſoboles liberalibus ſtudiis operam dabat; ejus incolæ Celtarum nobiliſſimi, fratres & conſanguinei Romanorum dicti, primi omnium in urbe Senatorum Jus adepti ſunt. Nunc vix 4. ſui parte culta eſt. Influit verò Arotius in Ligerim ad portum Digoini. Habes poſtea ad ripam Ligeris Borbonium Anſelmium *Bourbon l' Anſeaume*, vulgò *Lanci*, ob balnea celebre, in extremis Bojorum finibus, immò ex columnis, epiſtiliis & capitellis operis Corinthiaci quæ eruuntur in proximo ipſi vico S. Martini; multi credunt fuiſſe olim hic Bojorum Regiam, ex qua ſuas in exteras gentes deduxit colonias Belloveſus. Ad Borbonium, Liger excipit Besbriam, qui ex Montmorillone ortus munitionem Comitatumque, *la Palice*, perluit. In æduis Novioduniiſe, ſeu Niverinis oppida ſunt Deciſæ, *Decize*, Nivernium *Nevers*, Charitas *la Charité*. Earum Metropolis Nivernium, 46. 38. ad oſtium Niveriæ in Ligerim. Comites habuit magni nominis qui Pariatus honore donati

ſunt à Carolo VII. anno 1459. & titulo Ducali à Franciſco I. anno 1538. Regio abundat lapidicinis & ferri fodinis longè ditiſſimis.

Cap. XXIV.

Elaver, Gabali, Arverni, Boij.

ALlier Elaver oritur in Diœceſi Mimatenſi, è vico Condreſio in radicibus Loſeræ altiſſimi montis Gabalorum. Provincias perluit Gabaliam, Aruerniam, & Borbonium, influit in Ligerim infra Niverias ad roſtrum, ut vocant, Elaveris, *an bec d'Alier.* Gabales, ſeu Gabali, *les peuples de Geuodan, ou des Ceueines,* amplus populus, raris habitat oppidis, pagis autem plurimis, quod ejus agrum univerſum occupent Cebennæ, qui longus eſt latuſque tractus montium, ab Pyrenæo & occaſu progrediens ad ortum & Rhodanum, indèque verſus Septentriones diffunditur apud Aruernos, ubi tollit cervicem. Mimate *Ménde* Gabalorum eſt Metropolis: habent & alia quædam oppida non celebria variis amnibus appoſita, quæ in Garumnam abeunt, nulla ad Elaverem, ubi tamen ager pecore uberrimus. Arverni, *les Auvergnaces,* gens inter Celticas olim potentiſſima, quæ ſuam aliquando ditionem ad Narbonem, Maſſiliam & Rhenum extendit, quæque ſuis vicibus ſicut & gens Biturix, Celtico univerſo Reges dedit, atque in Romanos nunc ducenta, nunc 400. duxit armatorum millia: ſuos deinde, vel Comites habuit, vel Duces hæreditarios numero 63. tandémque inſerta Regno

Galliæ

Galliæ connubio Joannæ Comitissæ Aruerniæ, cum Joanne Rege Galliæ: Iterumque sub Ludovico XIII. Aruerniæ præcipui vertices sunt Cantalius *Chanal*, Domus *Le Puidome*, Mons Aureus *Mons d'Or*: Innumerique minores, quorum dorsa cinguntur, ut habet Sidonius Epist. 21. lib. 4. pascuis, latera vinetis, terrena villis, saxosa castellis, opaca lustris, aperta culturis, concava fontibus, abrupta fluminibus, ubi denique ea sunt, quæ semel visa advenis multis patriæ oblivionem sæpe persuaserunt: fluunt plerisque locis rivi bituminis nigri, fontes alibi, cujus aqua soli exposita lapidescit: fons qui æstate concrescit glacie: dum verò cuncta rigent, æstuat. Habes & infinita alia quæ olim Carolus IX. dum Bajonam pergeret, vidit non sine admiratione. Oppida Arvernorum montana sunt Carlatium *Carlat*, versus Ruthenos, Aquæ calidæ, *Caudes-aigues*, Indiciatus mons, aliis Mons planus, *Montplan*, nunc San-Florus *Sanct-Flour*, Muratium *Murat*, Infera verò, seu campestria ad Elaverem Langeacum *Langeac*, Brivas nova *Brioude la neuve*, Brivas vetus, 44. 42. olim Nemossus & Augusto-Nemossus, quam Augustus fecit Arvernorum caput in odium Gergoviæ, quæ Julium Cæsarem valide repulerat. Usso Ozon, 44. 48. castrum in alta rupe situm fodinis auri & lazuri dívite, in quo Regina Margareta Henrici IV. relicta per annos penè 20. est commorata. Issodorum *Issoire*, urbs amœnissimi situs in planicie Limaniæ, *en la Limagne*, Billomum *Billom*, ubi primùm in Galliis Collegium habuit Societas no-

ſtra, in quo liberales diſciplinas libere profeſſa eſt. Quæ verò ſequuntur, rivis ſunt appoſita. Cleremontium *Clermont*, 45. 15. ad Artierum rivum. Hæc eſt recens Gergovia extructa ad collem aureo monti ſubſtratum; quo in monte fuit olim celebris illa Gergovia Julio Cæſari parum propitia. Reoticum *e* aliis Rigodunum, *Rion*, ad Pradam rivum urbs elegans & dives, ubi prætorium inferioris Arverniæ. Mompenſierium caſtrum *Mompenſier*, Comitatus in Ducatum & Pariatum evectus à Franciſco I. anno 1538. in gratiam Ludovicæ Borboniæ & filii ejus primogeniti Principis *de la Roche Guion*, cui proxima aſſidet urbs Aqua perſea *Aigue-perſe*, caput Delphinatus Arveniæ in finibus Lemovicum. Thiernum ad ripam Ovorii ſitum ejuſdem Ducatus Baronia eſt antiquiſſima, Emporium tota Arvernia celebre, in qua putantur 30. hominum millia. Cuſſetium *Cuſſet*, ad fines & forte infra fines Bojorum. Succedunt Ædui Boij *lès Bourbonnois*, quorum olim nomen celebre propter ipſorum expeditiones in Italiam & Germaniam, qua ex Germania repreſſos Cæſar collocavit hoc in agro, quæ vetus fuerat ipſorum patria. Dynaſtas poſteà habuit inclitos maximè ex familia Regia. S. ſi quidem Ludovicus duos filios habuit, duarum familiarum Regiarum Valeſiæ & Borboniæ authores. Philippum III. Regni hæredem, & Robertum Clermontij Comitem, Patrem Ludovici primi Ducis Borbonii, Philippo Rege Ducatus titulum Provinciæ conferente. Superiori tandem ſeculo Carolo Comiti

miti Monpenſerio Borboniæ Duci, cùm litem moviſſet de eo Ducatu, Mater Franciſci I. Galliæ Regis, in tantum indignatus eſt Carolus, ut ad Carolum V. Imperatorem tranſierit, ſicque Ducatus fiſco addictus coronæ adcrevit: reliquis ex ſecunda linea tantum inſignia retinere & nomen gentilitium conceſſum. Oppida Bojorum ſunt Monluſſonium *Monluſſon*, ad Cherium, Gergovia Boja, 46.10. Sylviniacum *Souvigny*, ad fl. *Queſne*, quondam hujus tractus caput, unde & Judiciaria ſedes Molinum translata. Prioratus eſt celebris. Ad Elaverem Bojorum nunc Metropolis, *Moulins en Bourbonnois*, arce, hortis & vivario inſignis, necnon ſtatutis à Carolo IX. hîc editis anno 1566. *Ordonnances de Moulins*. Borbonium Archambautium *Bourbon l' Archambaut*, arx 24. munita turribus, à qua nomen & Provinciæ & Regiæ Agnationis familiæ. Hic nemo non ſuſcipit Capellam Sanctam rupi inſiſtentem, ex qua derivantur aquæ in thermas totâ Galliâ celebres, in ejus vitreis feneſtris Chriſti Paralyticum curantis ad piſcinam, effigies cernitur, ut curationum author præcipuus innoteſcat. Mitto imagines ex marmore, inhæreo ſacris pignoribus, inter quæ eminet Crux Sancta, alta pedem unum, lata in tranſverſum medio pede, craſſa duobus digitis, quam ſanctus Ludovicus Roberto filio dedit dono: nitet illa in cryſtallo, cujus extrema Gallicis florent Liliis, ad ſummum cernitur in cryſtallina piramide, ex ſpinis una quibus punctum Chriſti caput. Inſiſtit illa monti Calvariæ ex argento

inaurato, ad quem ſtant variæ effigies; quæ omnia includuntur theca, ex puriſſimo auro conflata, gemmis & carbunculis radiante. Eſt ad Bojorum fines in territorio Nivernenſi, inter Ligerim & Elaverem San-Petrus Maſterienſis, *S. Pierre le Moutier*, Regia Prætoris ſedes.

CAP. XXV.

Bituriges Cubi. Le Berry.

AMpla & præclara eſt terra Biturigum, qui dicuntur Cubi, ad differentiam Vibiſcorum apud Aquitanos. Multos annos toti Celticæ Reges dederunt Cubi. Nobiles ſunt in his partibus ferri fodinæ. Oppida Biturigum amnibus impoſita Ligeri, Saldriæ, Avaroni, Saro Tormentinæ & Ingeri. Ad Ligerim ſunt Sancerra *Sancerre*, 46. 54. urbs ſuis cladibus celebris, impoſita monti, qui totus vineis conſitus eſt, Comitatus olim minorum natu Campaniæ. *Coſne* Condate, quod tamen aliqui Æduis tribuunt. Ad Saldriam *la Sandre*, Remorantinum *Remorantin*, 47. 7. caput Soloniæ. Ad Avaronem, aliis Avarum *Auron*, Regiodunum *Dun le Roy*, Avaricum *Bourges*, Metropolis Biturigum, olim Celtarum Regia, caput poſtea Aquitanici Regni, Primatu, Patriarchatu, & Academia inſignis. Villa Nova *Ville-Neuve*, Magdunum Biturigum *Mehun*. Ad Carum amnem Monluſſonium Bojorum, *Mon-Luſſon*, Noviodunum Biturigum *Vierſon*, 46. 54. quod ex itinere Cæſar expugnavit, cùm Genabo veniret

veniret Avaricum. Ad Tormentinam amnicu-lum sedet Ernodurum *Issoudun*. Tormentina verò Saldria & Avaro ad Virsionem *Vierson*, miscentur. Caro fl. *le Cher*, qui ortus in finibus Lemovicum tribus ostijs influit in Ligerim, quorum unum ad Turonum, ubi triplici ponte sternitur, secundum min. 11. infra Turonum, tertium verò 9. infra secundum. Sunt denique aliquot oppida ad Ingerem amnem, *l'Indre*, qui ortus in intimis Biturigibus, in iis Chatream alluit & castrum Rodulphium *Chasteau-Roux*, gr. 46. min. 28. indeque Turones ingressus Castilionem ad Ingerem *Chastillon sur l'Indre*, lambit, nec non Lochium *Loches*, oppidum, cum arce in qua datus in custodiam Sforsia, cum Cardinale fratre ferrata cavea inclusus anno 1575. infraque Mombasonium *Mom-bason*, Ducatus & Pariatus titulo insignitum ab Henrico III. in gratiam Ludovici *de Rohan*. Miscetur Ligeri sex min. infra ostium Cherii.

CAP. XXVI.

Aurelianenses Blæsienses, Turones.

1. IN Carnutibus inferis seu Secalauniis *Solonois*, censentur Genabij, quos nunc Aurelianenses dicimus *peuples d'Orleans*. Regio in qua Ceres & Bachus inter se de proventus ubertate certant: ajunt tamen vinum causa sua numquam cecidisse, quamdiu præsens adfuit, potuitque videri & gustari. Est & sylva materiata

juxta & pascualis armentorum amplissimum vivarium. In Tetrarchia Regni partitione, sedes fuit Regni Aureliorum, quod ea quæ Ligeri & Sequana clauduntur, complectebatur. Nunc, Ducatus prærogativa fulget jam à Philippo Valesio, regiorumque fratrum, ac liberorum hæreditaria attributione, & si lege nulla cavetur, ut eum nulli obtineant præter secundo-genitos Galliæ. Aurelianorum oppida sunt ad Ligerim Brivodurum *Briare*, 47. 16. Giamum *Giam*, Suliacum castrum *Seully*, antiqua Baronia in Ducatum & Pariatum evecta ab Henrico IV. anno 1605. in gratiam Maximiliani Bethunii Marchionis Rhonii. Floriacum in valle Aurea, *Fleuri*, Gergeavium *Gergeau*, Genabum *Orleans*, 47. 40. Fanum Cleriacum, *Nostre Dame*, de Cleri, Christiferæ Virginis memoria celeberrimum, Ludovici XI. sepulchrum, Magdunum *Meun*.

2. Sequitur Vadiacassium Carnutum portio altera, vetus scilicet & illustris Blœsiensium Comitum Satrapia, longè amplioribus olim quam hodie finibus propter utramque Ligeris ripam. Coronæ insitus fuit hic Comitatus à Ludovico XII. Hærede Ludovici Aurelianensis avi sui, qui eum à Guidone Comite emerat. Ager longè gratissimus est vitibus, segete, & arboribus vestitus: rivuli in eo pellucidi, saltus ferarum frequentes. Reperitur etiam terra sigillata, seu Lemniaca in horreis Cæsaris, vern. *Orcheze*, bolis turcicis virtute æqualis. Oppida Blœsiensium sunt Baugenciacum, *Baugenci*, ponte egregio-

lustris

lustris ferarum, Bacchi impluvio, triticeoq; proventu non modicè dives. Corbilo, unum olim inter tria Galliæ totius celeberrima emporia, hodie dicta Blœsia *Blois*, 47. 28. Civium comitate, arce regia & ponte celebris. Habes in proximo atcem *Chambor*, à Francisco I. inceptam sed non perfectam, licet duodecim annis continuis 1800. operarij in ea occupati fuerunt, archithectura operis, stupendæ est eleganticæ.

3. Turones angustioribus cincti limitibus; cęterum lætissima cœli facie nobiles, agroque frugum selectarum feracissimo. Turonorum oppida ad Ligerim sunt Ambœsia *Amboise*, 47. 15. oppidum cum arce cultissima, in qua Carolus VIII. ultimum diem obiit, Rex bellica laude & pietate illustris, de quo ajunt ab Andegavensi Episcopo, qui ipsi erat à secretis confirmatum, aliquo, antequam è vivis excederet tempore, sic fuisse pietati addictum, ut nullius peccati Venialis contagio sciens & prudens infici se permitteret. Cæsarodunum Metropolis gentis totius *Tours*, 47 12. Martinopolis olim dicta à D. Martino hujus loci Sanctissimo Antistite, quem majores sic venerati sunt, ut à die ejus obitus, qui contigit 11. Novemb. anno 401. seriem annorum numerarint. Habes in opposita Ligeris ripa Majus-Monasterium *Marmoutier*, ab eodem D. Martino institutum, inter celeberrima Galliæ recensendum. Chinonium *Chinon*, Vigennæ fluvio adjacet: ad Ingerem verò Lochia & Castellio. Duabus leucis infra Turonas in ripa Ligeris rupes est concava, ex qua audis decurrentis flumi-

fluminis ſubterranei ſtrepitum. Rupis hujus ſtil-
licidia, quam plurimas effingunt figuras, alias
rotundas, alias oblōgas, multas Amygdalis ſimi-
les, omnes colore candido, ad inſtar dragematum
politiſſimas. Apud Candatenſem vicum *Cande*,
ubi D. Martinus è vivis exceſſit, effunduntur in
Ligerim Vigenna & Crauſia *la Vienne & la Creu-
ſe*, qui Lemovices perluunt & Pictones.

CAP. XXVII.

Vigenna, Lemovices & Pi-ctones.

1. VIgenna Gall. *la Vienne*. Lemovicibus *Vi-
gnane* oritur in Arvernorum finibus &
transgreſſus in Pictones & Turones in Ligerim
effunditur. Lemovices verſus Arctos per leucas
circiter 35. in long. porriguntur. Eorum alii ſunt
ſuperiores, ſeu Montani & Boreales, quorum re-
gio fructus producit immites, ſed homines habet
ſobrios & induſtrios & pudicos. Metropolis Ra-
tiaſtum Lemovicum *Limoges*, ad Vigennam urbs
populoſa inter colles vitiferos ſita: Ex ea pro-
dierunt ætate noſtra *lex Marbreaux*, artifices ita
induſtrii, ut vix toto in orbe fuerint ipſis ſimiles.
Inter alia opera fecerunt par cultrorum quibus
aliquid ligni poſſes ſcindere, cum vagina & ca-
temula aurea 120. orbiculorum ponderis duorum
granorū. Alia oppida ſolis mercaturis & nūdinis
celebrantur. Inferiores dicuntur, ſeu campeſtres
& Auſtrales qui ad Veſerem, & alios amnes influ-
entes in Duranium habitant, ſint licet etiam
montes

montes non infrequentes in ea planicie. Oppida eorum nobiliora sunt Tutela *Tulle*, ad Coserem *le Cosere*; Usarchium *Vsarche*, natura & opere munitum ad Veserem *le Vesere*, & illustres satrapiæ Vantadorea *Vantadour*, Ducatus & Pariatus. Pompadorea *Pompadour*: Combertia, & Turenia *Tureine*, Vicecomitatus inclytus.

2. Pictones *les Poitevins*, ab Occiduo Oceano, ad usque Bituriges versus ortum 50. leucas in long. patent. Gens strenua & numerosâ nobilitate pollens: regio frugum, vini, pecoris, piscium, volatilium & salis feracissima. Urbes Mediterraneæ ad Vigennam Castrum Horaldi *Chastelleraut*, & insula Buchardi: ad Clanium *le Clain*, *Lusignan*, Augustoritum Pictonum aliis Limonum Metropolis nunc Pictavia *Poitiers*, ubi Clanius fl. sorbet Vonam. Inter amplissimas Galliæ, Episcopatu, Academia & sede prætoria nobilis. In dumetis & rupibus circa urbem frequentes viperæ confectioni theriacæ utiles. Ad Vedam *le Vede*, Richelotium *Richelieu*, *Champigni*, arx & Vivarium amplissimum Ducum Monpensieriorum priusquam Ducatui Richelotio insereretur. Ad Tuedan *le Toué*, *Partenac*: Duracium Lemovicum *Touars*, nunc Patriciatus, & in Andegavis Montrubelleum *Montrubellay* & S. Florentius. Tueda enim in Pictonico ortus agro, in solo Andegavico infra Salmurium Ligerim subit.

(*,*)

CAP.

Cap. XXVIII.

Andes.

ANdegavæ terræ non ita sunt angusti fines, ut 20. leucas quaqua versum non excurrant: fruges habet omnis generis. Urbes in ea sunt ad Ligerim Saumurium *Saumur*, arce, ponte & sacello D. Virginis *des Ardilliers* celebre, Pontes Cæii *Les Ponts de Cé*, quibus proximum est Palatium Brissacence *Brissac*, caput Ducatus cognominis illustris familiæ Cosseæ. Duas leucas circa Ligerim, & infra confluentes Meduanæ, Ledi & Sarthæ amnium, Juliomagus *Angers*. Sunt præterea ad Ligerim arx elegantis decoris *Monteian*, & oppidula *Encenis*, & *Ingrande*. Amnibus 40. irrigantur Andegavi, sed indigenis parum nominatis, peregrinis clarioribus. Vinum album celeberrimæ est apud eos bonitatis.

Cap. XXIX.

Meduana, Sartha, Ledus, Perchei, Alenconii, Cœnomani, Dunii, Vindocivi, Flexia.

MEduana *Majenne*, oritur in Sessuviis, & ab Septentrionibus fluens diremptis Cenomanis & Andibus ab Aremoricis in Ligerim evolvitur, quem subit subter Juliomagum. Alluit Damfrontum castrum: *Donfront* à Guillemo *de Talvas* extructum in rupe, antiquum familliæ Belles-

Bellesmeæ patrimonium. Meduanam *Matenne* oppidum, caput Ducatus cognominis in finibus Cenomanum situm, Lavallium dives oppidum & Comitatus celebris: Castellum Gontierum *Chasteau Gontier*. Sartha oritur apud Percheos, seu Carnutes superos in pago, qui ab ejus fonte dicitur *Somme Sarthe*, distante duas leucas Moritolio *Mortagne*, moxq; subterraneo ductu fluens iterum nascitur è rupe ad D. Aquilini fanũ, hincq; longo ductu Aulercos Arovios à Cenomanis dirimens admissis amnibus aliquot in Andegavos fertur, & ad pontem Epinartium supra Juliomagum Meduanam ingreditur. Pertensis Comitatus quondam fuit usuaria attributio Minorum liberorum familiæ Carnutiæ: patet in longũ 20. leucas & in lat. 15. divisus postea in Satrapias *de Belleme & Rotrou*. Oppida sunt apud eos Mortagnia *Mortagne*, Nogentum Rotrodi *Nogent le Rotrou*, maximus totius Galliæ vicus, titulo Ducatus Anguienei Gallici nuper insignitum. Castrũ Bellesmiæ *Bellesme*. In Aulercis Aroviis, amplissima nunc est una ex Præfecturis Northmanniæ, quæ continet duos Ducatus scilicet Alenconii & Beaumontii. Alenconium *Alençon*, olim Vagoritum, erectum est in Ducatum & Pariatum anno 1414. Beaumontium vero anno 1543 utrumque nunc regno insitum. Superioribus attigui sunt Aulerci Cenomani *les Manceaux*, quarum Metropolis quondam fuit Vindunum, hodie Cenomanum *le Mans*, ad confluentem Huini *la Huine*, in Sartham, cui etiam appositæ sunt nobiliũ Satrapiarum oppidula *la Suse & Sablé*. Ledus *le Loir*. fons

fons ejus apud Pertenses in vico *de Corues*, ipsi que nomen à stagnis Abbatiæ Ledi *l' Abbaye du Loir*. Hinc defluit in Carnutes inferos, ubi Illierias alluit & Castrodunium *le Dunois*, Principatus prærogativa insigne: ejus ditioni attributis aliquot circumjectis oppidis & pagis nomen ipsi inditum, quod castrum habeat in rupe ædificatum. Nam Dunum veteri Gallorum idiomate rupem sonat. Vindocinum *Vendome* eodem Ledo alluitur, Ducatus titulo insignitum anno 1514. Castellum Ledi *Chasteau du Loir*, quod vix olim post annos 7. à Godefrido Comite Ande-Andegavensi fuit expugnatum. Hinc vero transiens in Andegavos Ludium alluit, Flexiam, *Duretal*, *& le Verger*, Secessum Principis Guimnæi. Flexia *la Fleche* Ducatus Beaumontij antiqua est Baronia, ubi nostra Sotietas liberalitatis Henrici Magni certissima habet testimonia, hortos, nemora, lucos amœnissimos, tres areas ad 40. orgias excurrentes vastissimis & stupēdis regiorum ædificiorum substructionibus cinctas: quæ omnia Deo & Musis Rex Christianissimus sacravit quando pulcherrimum hoc collegium quod ubivis terrarum nostra societas habeat, nonmodo reditibus dotavit amplissimis, verum etiam nos sui post obitum Cordis hæredes, & quasi depositarios esse voluit.

(***)

CAP.

Cap. XXX.

Maritima Pictonum, Aunisiorum, & Sanctonum, cum amne Charentonio.

Pictonum urbes maritimas nullas referunt veteres ſcriptores : recentium copia major quam celebritas. In inſula Hera, *Nermoutier*, Monaſterium S. Philberti oppidulum eſt caſarum 800. Eſt & alia inſula ab ovis Anſerum Sylveſtrium quibus tegitur nuncupata, *Isle d' Oeufs*, aliis *Isle Dieu*. In Olonia regione maximè arenoſa *Aux Sables d' Olone*, ubi portum Sicar Ptolemæus conſtituit, nunc eſt Caſtellum Olonium eique proximum Pictonum promontorium, nunc Tallemuntium, & S. Benedictus, Navium Stationes, D. Michaëlis in Eremo Sacellum crebris peregrinationibus jam olim celebre; nunc ad interiorem ſinum arce tetragona munitum eſt. Lucionenſis Epiſcopatus *Luſſon*, in ora maritima, & amnis Serapis *la Seure*, qui ortus in vico Seuretiæ oppida alluit S. Maxentij Anachoretæ qui illic degebat in vili caſa cum Clodoveus Alaricum debellavit. Niortium *Niort*, oppidum ob nundinas celebre. Malleacum *Maillezais*, olim Abbatiam, hodie unum ex tribus Epiſcopatibus Pictonum ad fl. *Antize*, qui mox abit in Separam, à quo & paludibus ſunt plures inſulæ, Fontenæum *Fontenay le Comte* urbs frequens ad Vaudiam *la Vaudee*, & dives ob nundinas. Maran-

rantium *Marans*, opulentum mapale magni nominis. Totus qui ſequitur tractus à Luciono ad Rupellam fuit olim Oceano immerſus, dein recedente mari apparuere paludes & terræ, quæ ob ſoli ubertatem cœperunt excoli. Auniſium *Pais d'Aunis*, anguſta eſt regio quæ pro Regum arbitrio nunc Pictonum, alias Santonum paruit præfectis, ubi ſita eſt clara ſuis Rupelſa malis *la Rochelle*, ſita in interiore ſinu inter promontoriola Boſium & Corellium, unde & antiquis dicta Santonum portus. Litori prætenduntur cultiſſimæ inſulæ Ræa & Olorionum. Rea *l'Isle de Ré*, in long. quaterdena, octona in lat patens millia: frequentibus colitur vicis & Pratenſi firmatur caſtro, San-Martiniana arce diruta. Olorionum, antiquis Uliarus frumenti, vini, ſaliſque copia dives, arcem habet egregiè munitam. Poſt Auniſianum litus habes Pictonicum, inter Carentonii & Garumnæ fluminum oſtia. Vix eſt in Gallia regio, quæ vicinarum opes minus deſideret, ſive generoſas vites, ſive portus tutiſſimos & commercia, ſive frumentorum leguminumque copiam, ſive ſalem ſpectes. Santonica oppida Mediterranea Canentelo, nunc Carantonio *la Charante*, ſunt impoſita fl. Oritur ex vico *Cheronac* in confinio Lemovicum & Inculiſmenſium, fonte modico ebuliens qui copia rivulorum auctus, verſus Arctos curſum dirigit ad Giuraium *Giuray* Pictonum oppidum, admiſſoque amne Tardopera qui nobilem Rupifulcodiorum Ducum arcem ſalutat: mox abit ad Angeſinates *les Angoumois*, quorum urbem rigat Inculiſmam

Ango-

Angoulesme, olim dictam Augustoritum aliis An-
iodunacum, ex cujus agro 40. & amplius ballæ
croci quotannis deportantur. Tum verò Tolu-
am excipit amnem troctarum multitudine in-
tar pavimenti substratum, anguillis & cancris
ixum, oloribusque coopertum, qui originem
ducit ex primo Regis vivario, vivæ aquæ abys-
o altitudinis immensæ. Hinc abit novum ca-
strum, cujus in dextra ripa ad Iarniacum anno
565. Carolus IX. de Calvinistis victoriam re-
ulit. Sequuntur Conacium regiæ agnationis
nunicipium, intra quod plures rivi confluunt,
quorum unus Barbesium rigat. Habes postea
Mediolanum Metropolim Liberorum San-
onum à quibus *Me*diolanos insubres dedu-
cit Casaubonus, nunc Sainctes ubi Romanarum
antiquitatum reliquiæ plures; Campanile à Pi-
pino Rege Aquitaniæ ædificatum, quod altitu-
dine sua omnia ejus oræ superat, receptisque
Suguino & Vultumno amnibus, quorum hic Sa-
nioannem Angeriacum S. *Iean d' Angeli*, ille Pon-
tium *Pons*, alluit, infra Sobisæum *Soubize*, re-
cens oppidum per lupini portum inter medias
salinas mari Santonico permiscetur. Ab ipso
Carantonis ostio se ingens maris aperit sinus,
qui ab Occidente terram subintrans portum fa-
cit tota Europa celebrem, cujus æque est tran-
quillus accessus quam excipiendis navibus tutus,
200. naves interdum una die appellere videas
quæ ex Broagio & Santonicis salinis in Hispa-
niam, Angliam, Germaniam & Sarmatiam ex-
portant. *M*unitur verò litus hoc celeberrima

arce

arce Broagia. Armamentarium nauticum instru-ctum nuper in vico *la Tremblade* , ad extremum Garumnæ ostium. Promontoria in his partibus Pictonicum & Santonicum commemorat Ptolemæus, quæ Oceani æstus delevit. Santonicum putatur fuisse è regione celeberrimi oppiduli Marennarum *Marennes.*

CAP. XXXI.

Aquitania.

QUi Oceani litus à Garumnâ ad Pyrenem usque *a* accolebant , communi appellatione dicti sunt olim Aremorici. Horum celeberrimi Sotiates, apud quos frequentes erant devoti quos illi Soldurios appellabant : *b* quorum hæc erat conditio , ut omnibus in vitâ commodis , unâ cum his fruerentur quorum se amicitiæ dedidissent : Si quid in iis per vim accidisset, aut eundem casum unâ ferrent , aut sibi mortem consciscerent. His bellum Romani primum intulerunt ducibus Præconino Legato , & Manilio Proconsule, sed infœlici omnino successu. Meliori postmodum imperante P. Crasso , qui Adeantuannum Sotiatium Regem , licet DC. haberet Soldurios , non sine magna difficultate tandem superavit. Huc postea cum ob varia morborum genera frequentes convenirent Romani ad fontem calidum qui in his partibus perpetuo fervet , ad eum condiderunt urbem quem Aquas appellaverunt, & Metropolim constituerunt ejus

tractus

tractus,ubi nunc Senescallia Landarum,quem ab ea urbe dixerunt Aquitaniam. Id nomen postea sub Cæsare ad Garumnã moxne ab Augusto ad Ligerim extensum. Postea sub aliis Imperatoribus tota hæc regio in tres divisa est Provincias. Aquitania prima sub Gebennicis montibus, à Tarnis Garumnæque confluentibus ad Ligerim usque patuit:ejus Metropolis Civitas Biturigum. II. alluitur Oceano, sita inter Garumnæ & Ligeris ostia: Ejus Metropolis Civitas Burdegalensium, quantumvis in sinistra Garumnæ ripa sit i it. Reliqua quæ à Garumna ad Pyrenæos extenditur,dicta est Aquitania 3. & à novem populis Novempopulania, cujus Metropolis Civitas Ausciorum.

Iterum sub Galliæ Regibus, hi sunt fines & nomina sæpius mutata: ex quo enim Vascones, quos Strabo, Plinius & Ptolemæus statuunt in Pyrenæo, frequentes è saltu suo egressi circa annum Christi 590. primò in convallibus nostris sedes fixere, easque deinceps ad Garumnam promovere, omnis Novempopulania dicta est Vasconia, & literâ V. in G. mutatâ Gasconia: quemadmodum idem sunt apud nos Guillelmus & Vuillelmus, Galerius & Valerius, Gardo & Vardo. Vasconum autem nomen adhuc retinent circa Pyrenæum ii, quos Bascos dicimus, linguâ & moribus à Gallis & Hispanis discrepantes. Fredegarius Vascones sub Uviafario Aquitaniæ Duce militantes à Pipino domitos, & in fidem receptos fuisse

testatur circa annum 767. Porro cum Guiliel-
mus Aquitaniæ Dux, Leonoram unicam filiam
reliquisset, hæc primùm Ludovico Juniori Reg
Galliæ nupsit, à quo repudiata, iterum, nupsi
Henrico Duci Northmanniæ, & postea Regi An-
glorum, qui præter Aquitaniam etiam possede-
runt Agrum Pictaviensem, Santonensem, Incu-
lismensem, Lemovicensem, Cadurcensem, Rute-
nensem & Fuxensem Comitatum, quibus in per-
niciem Francorum abusi, tandem à Carolo VII
hinc pulsi sunt, & omnes eæ regiones sceptro
Francico restitutæ. Priusquam tamen restitueren-
tur, aliquando inter se convenerant Angli &
Franci, ut ejus portio Guienna diceretur, qua
Anglorum esset, ea nempe, in qua erant Vasatii
Burdigalenses, Bimares & Medoci, altera versus
Pyrenæos, quæ Francorum vetus nomen Aqui-
taniæ retineret.

a *Strabo. Plin. l.* 4. *c.* 17. *Vigner. de Orig. Franc.*
b *Cæsar. de bello Gall. l.* 3.

Cap. XXXII.

Garumna.

Garumna fluviorum, qui è Pyrenæo prode-
unt, maximus, altissimus, maximè rapidus.
Hinc ipsi nomen, quod antiquis Gallis, & nunc
etiam Britonibus, Garun sonat rapidum: oritur
in montibus Auræ, ditionis Hispanicæ, non pro-
cul nrbe Gadalup, in lat. 42. mox descendit per
Valles Dagarim & Dervam. Convenas alluit,
Tolo-

Tolosates, Agennos, Nitiobriges, Basates, Bituriges, Vibiscos & Medulinos. Evolvitur in mare in lat. 45. Ostium magni freti simile, Solacium inter Medulorum & Tojanum Santonum. Difficile est propter Syrtes, maximè cum aliò ventus, aliò unda præcipitat. Inter eas tamen triplex patet aditus vel exitus, scilicet à latere Medulorum, ubi passus quem vocant Glareosum, aquis extantibus vix 5. orgiis; per medium, ubi passus Asinarius, aqua orgiis 4. ut minimum alta: & à promontorio Santonico per foramen Maubussonii, quod difficulter omnino circumnavigatur: Spirante austro intumescit, Boreâ comprimitur. Æstus (quem incolæ vocant Cascaret) maximus in Æquinoctio Autumnali, in bruma, penè inanis: in Solstitio debilior. Burdegalam usque ascendunt magnæ molis navigia. Infra ostium eminet turris Corduana, sive Pharus, quæ collustrat naves nocte subeuntes alveū eo loco, ubi quondam Andros insula hausta fluctibus, sicut & Noviomagus Biturigum Vibiscorum & Curianum cornu. Volunt alii terræ motu, qui maximus illic cōtigit an. 1427. id accidisse. Neque desunt, qui referant cum sylvis pagisque proximis urbem arenarū molibus obrutam esse, quas ventorum rabies, cum in tractum convexerat. Argumento esse putant, quod reflantib⁹ ventis arenarum montes subsidere, ac minui, simulque abietum & turrium vertices retegi hoc seculo cœperunt. Ut ut sit, periit insula, & cum Pharus ruinam minaretur, egregiâ & divite operâ instaurata est. Accendendæ verò lucer-

næ cura duobus Eremitis damandata, illiſque ex vectigali, quod Burdegalæ naves pendunt, annona conſtituta eſt, eaque de propinquo ad ſignum datum defertur. In litore Santonico ad Rojanum munitum oppidum jactis anchoris plerumque gnari locorum nautæ quæruntur, qui ſuo periculo naves deducant. Idem fieri ſolet ad Talemundum, vel Mauritaniam. Principatus, hic Longovillæorum, ille Trimovilleæ familliæ. Angli tenentur Blaviam arcem munitiſſimam appellere, tormenta illic ſua relinquere, & pro unoquoque navigio Coronatum exolvere. Eſt & in proximo Burgus oppidum, cinctum muris à Pontio Leontio Sidonii Apollinaris præconio celebratum, quod aliqui putant Ebromagum Auſonii: Situm eſt è regione roſtri Amborum, Duranii ſcilicet & Garumnæ fluminum, quæ dum coeunt, præternavigantes in magna addu-cunt pericula. Utriuſque verò amplum adeò patet oſtium, ut regio inter utrumque comprehenſa dicatur *Pais d'entredeux Mers*, incolæ bimares.

Cap. XXXIII.

Garumni, Convenæ, Fuxenſes.

SAmbeatii montes eorumque convalles incolebant olim, quos Cæſar *a* vocat Garumnos, à fontibus ſcilicet Garumnæ. Nos verò Sambeatianos, à Sambeato oppidulo Convenarum, ad Garumnam poſito, & in ipſo vallis aditu. Volcarum Convenarum ager olim latè fuſus, partim

trans

trans Garumnam in Aquitania, partim etiam in Celtica. Incolæ in laborem & ſilentium proni & temperantioris victus: dicti verò ſunt Convenæ, quod cum per montes vagarentur, ex quibus in Narbonenſem Galliam excurrebant, à Romanis benignius habiti in oppidum convenerunt, quod in vertice montis nulli attigui extruxerunt: & verò illud Strabo & Ptol. vocant Lugdunum. Hoc poſtea cum Rex Guntrandus evertiſſet, *b* ex ruinis excitata eſt urbs nova, quæ à S. Bertrando, loci ejus primo Epiſcopo, nomen invenit. Solis Convenis cum Auſciis jus latii à Romanis in Aquitania datum, conſtat ex Strabone l. 4. qui eorum Thermas Oneſias, nunc *Baigneres*, etiam celebrat. Veterum ejus Regionis Comitum memoria excidit, conſtat tantùm ex antiquis monumentis dominium liberum & abſolutum eos habuiſſe ad annum 1244, quo inter beneficia Toloſani Comitis cœpit accenſeri. Extinctâ autem omni prole ſubſequentium Comitum, anno 1548. fiſcus eam regionem ſuo jure repetiit. Dividitur nunc tota Provincia in Superiorem & inferiorem. In ſuperiori, quæ montes colit, oppida ſunt *S. Bertrand*, urbs Epiſcopalis, gemmariis artificibus & ſolo feraci dives, Garumnæ proxima; S. Gaudentius in Vice-comitatu Naboſano ſedes prætorii Regii. Inter Sanbertrani & San-Gaudentii oppida utramque Garumnæ ripam attingit. Ditio, quæ nomen Ripariæ hinc invenit: urbes complectitur Montem-Regalem & Valentinam. Leomanienſes olim Vicecomites, eam ditionem à Convenarum imperio immunem poſ-

 ſederunt:

ſederunt: ab iis cùm Pulcher Ripariam emiſſet nova ſenſim incrementa accepit pluribus vicis, atque oppidis Pardiacenſis, Aſtaracenſis, Bigorrenſis, Magnoacenſis & Convenenſis Comitatuum, ut rectè obſervavit Oihenardus l. 3. c. 12. Conſerani, urbs ſimiliter Epiſcopalis ad Salatum amnem exiguum, qui per rupes & ſaxa ex Pyrenæis præceps decurrit in Garumnam. Inferiores Convenæ degunt in convalle Gauræ ad Sanum amnem, qui inter Moſſacum & Toloſam volvitur in Garumnam. In ejus ripa ſunt Lomberia *Lombez*, urbs, quæ ex Monaſterio Ordinis S. Auguſtini, facta eſt Epiſcopalis an. 1317. Samathan caſtrum Comitum Convenarum, ſitum in rupe altiſſima, cum oppido ad ejus radices, & inſula Jordanea, munitiſſimũ olim Armeniaci caſtrum in Convenis, dictum aliquando Caſtellum Ictium, poſteaque Jordani ab appellatione Dynaſtarum illius oppidi familiari. In Celtica Convenis proximi ſunt Datii, ſic dicti ab Aquis *Achs*, oppido Datiorum præcipuo ad Aurigeram, quod multi confundentes cum Aquis Auguſti ad fl. Aturrum, Datios poſuerunt inter Aquitaniæ populos, cum certum ſit, fuiſſe in agro Toloſano. Dicuntur nunc Fuxenſes ab an. 1062. quo Raimundus 2. Toloſatum Comes Bertrandum Rogerii Carcaſſonæ filium, conſtituit Dominũ Fuxi, quod olim Taſta dicebatur. Hinc celebres illi Comites Fuxi, qui & Pares Franciæ, & Vicecomites Bearnenſes, & tandem Navarræ Reges fuerunt. Sunt præterea in eodem Comitatu Taraſſo inſigne oppidum, à quo abeſt haud procul ampliſſi-

amplissimæ cavernæ angustus aditus, ad quam admotis scalis ascenditur. Introgressis patent aulæ ad quina senaque stadia. Ultra verò progredi audentibus tantus horror incutitur, ut inde pedem referre cogantur. Mons gaudii, *Mont-gauzi*, Basilica à Carolo Magno in honorem B. Virginis instituta, cui proxima fuit Monnova arx, quam *Simon* Monfortius solo æquavit. Apamia urbs Episcopalis & Savardunum *Savardan*, 42. 29. oppidum ex quo oriundus fuit Jacobus Furnerius, qui Benedictus XII. dictus est Pont. Max. vir singulari prudentiâ & sanctitate, qui neminem ad sacerdotia evexit, cujus vita ac mores prius spectati non essent, quique neptem suam nobilibus viris eam petentibus, nuptui tradere noluit, ludicro affirmans, ignobili equo frena ephippiumque aureum minimè convenire, sed cuidam mercatori Tolosano matrimonio locavit, ut pari nuberet. Hæc verò omnia oppida sita sunt proximè Aurigeram amnem *Riege*, qui ab auro, quod frequenter voluit purum putum, nomen habet. Funditur è Pyrenæo. Priusquam Garumnæ misceatur, Lertium admittit *le Lers*, qui æstatis tempore summè sicco & arenti, vices quater nascitur in die, totidemque moritur, siccamque ejus originem licet transire spatio semihoræ. Mox recurrente aliâ semi-hora auditur in Bellestadio monte adventantium aquarum strepitus, & spumosus renascens, ligni crates per Aurigeram transmittit Tolosam 4. vel quinque mensium spatio, alluit & Mirapœsiũ *Mirepois*, 42. 15. urbem Episcopalem & Maseriarum planitiem.

a *Lib.* 3. *de bell. gal.* b *Greg. Turon. lib.* 7. *cap.* 38.

CAP. XXXIV.
Tolosates.

VOlcæ Tolosates, qui ævo Cæsaris longè lateque erant diffusi, nunc contractis finibus Garumnæ tantùm assident, partim in ejus ripa Celtica, partim in Aquitanica. Eorum oppida sunt Rivenæ *Rieux*, 42. 28. urbs Episcopalis in dominio olim Comitum Fuxi, Muretum *Morei*, 42. 42. oppidum ad quod anno 1200. centum millia Albigensium Hæreticorum fusa, 15. millibus, ipsoque Aragonum Rege, eorum Duce interfectis, nullo ex generosi Simonis Monfortii copiis, quæ 762. duntaxat constabant peditibus desiderato. Tolosa *Tolose*, 42. 50. Metropolis Tolosatium & Gothorum Regia. Habuit postea 15. Comites, quorum ultimus Raimundus. Ejus filia & hæres nupsit Alphonso Pictonum Comiti, S. Ludovici Regis fratri, quâ sine liberis mortuâ, Comitatus obvenit, Ludovico & Coronæ attextus est. Parlamentum in ea Provincia institutum jam inde à Philippo pulchro, sed incerti domicilii, Tolosæ postea stabilivit Carolus anno 1443. Archiepiscopatus verò institutus anno 1317. Granada *Grenade*, 43. 6. oppidum nunc Gaurensis præfecturæ.

CAP.

Cap. XXXV.

Tarnus fl.

ORitur ex Cebennis montibus, propè templum S. Virginis, quod à Quosalio Gabalorum dicitur, ex alta & nigra rupe, cui nomen Tarni. Hinc in Rutenis Millialdum *Millau*, 43. 28. oppidum rigat & partem Diæcesis Vabrincę; indeque defluit ad Albiam, seu Albigam *Albi*, 43 10. Helenterorum caput in Ruthenis, unum ex ditissimis Galliæ Episcopatibus, Montalbanum *Montauban*, oppidum similiter Episcopale, naturâ & arce munitum, Moissacum *Moissac*. 43. 24. ubi Monasterium olim à Pipino fundatum, ut in eo mille Monachi alerentur. Supra verò Aginnium in Nitiobrigibus Garumnæ immergitur aquas devehens secum Agustii *Agoust*, & Drotii *le Drot*, amnium. Prior Vaurum *la Vaure*, & Castrenas *Castres*, 42. 47. Urbes Episcopales alluit. Posterior pusillam Ruthenorum gentem, urbem & Episcopatum Rutanum, antiquis Segodunum, vulgò *Rodez en Roüergue*, 43. 40. tingit montes fodinis omnis metalli fœti & divites, crebris perforati cavernis, in quibus aliquæ leucarum 6. Sed adeò altæ, ut nullis facibus earum summum videas. Frequẽtes in iis audis ictus malleorum urbis Rutenæ. Eidem apponuntur amni etiam S. Antoninus & Negreplissa urbes Hæreticorum fuligine & nigore inustæ.

3

Cap. XXXVI.

Agenni, Nitiobriges, Auscii Cadurci.

AGennum *Agen*, 43. 40. urbs est Episcopalis & sedes prætorii totius Aquitaniæ amplissimi, felicibus glebis præstans, cujus incolæ dicti olim Nitiobriges Volcæ. De hac urbe scripsit satis ingratè Julius Scaliger in oratione pro M. Tullio contra Erasmum, licet ibidem natus & mortuus fuerit, cum studiorum ea in urbe sedem posuisset, Episcopi Aginensis Cardinalis Leonardi Grossii *de Rouere*, liberalitate illectus. Ad alteram supra Agennum leucam, Garumnæ affunditur Gersius *les Gers*, amnis, qui apud Auscios ortus rigat ipsam Augustam *Ausch*, 43. 5. Ausciorum Aquitaniæ 3. Metropolim, nec non & Lactoratem olim Tauropolium *Lectoure*, 43. 22. urbem validam, caput Armagniaci Principatûs. Ad Aguillionum verò *Aiguillon* caput Ducatûs cognominis, idem Garumna excipit tres fluvios Baisam, Lossam, Gelisam. Baisa in Tabalorum agro alluit Condominium *Condom*, 43. 31. urbem Episcopalem & Neraciū, *Nerac*, Ducatûs Albretani oppidum prædives, cum arce magnifica, viridariis & hortis cultissima, ubi educatus fuit Henricus IV. Gelisæ apposita est *Euse* Elusa, olim Metropolis Novempopulaniæ. Ad idem & dexteram ripam Garumnæ affunditur Lotius *le Lot*, aliis Olindus, seu Oldus amnis, qui ortus in Cevennicis jugis ex vico

Olleto

Olleto post 9. min. rivum alium excipit ex urbe Anderido capite Gabalorum & Episcopali sede Mimate *Mande en Giuodan* 43. 52. sita in profunda valle ad radices Loseræ altissimi montis Gabalorum. Ptolomæus Gabalorũ caput vocat Anderetum, sed nunc putatur excisum. Ad vicũ Entragues augetur variis rivis, inter quos Aida *la Die*, qui San-Florum *S. Flour*, 44. 25. alluit urbem Episcopalem superioris Arverniæ sitam in mõte ad perpendiculum penè exciso His auctus amnibus Cadurcos petit, ubi candidissimorum linteorum textrinæ, quæ Romani Cadurca vocabant. Cadurcum verò *Cahors*, 43. 50 quibusdam Devona & Diolindum civitas colli imposita in lat. 43. 50. in theatri ovalis formam extructa. Episcopus urbis Dominus dum celebrat, ex privilegio speciali non ocreas modò induit, sed præterea habet evaginatum ensem, chirothecas ferreas & galeam altari impositam. Ad Cadenacum verò castrum *Cardenac*, 43. 50. habes rudera Uxelloduni, olim à Cæsare obsessi, vern. *Vxeldun le Peu*, quod Podio, seu colli impositum esset illud oppidum. Tandem Lotius alluit Cleriacum *Clerac*, Abbatiam celebrem Canonicis Lateranensibus ab Henrico IV. assignata. Ad pontem Bauliacum delabitur in Garumnam Cironis fluviolus, qui nascitur propè Lebreti vicum, unde Lebretinis principibus inditũ nomen Albretum, quibusdam dictum Leporetum, quod abundet leporibus, utpote situm in Lapurdensium Syrtibus. Amaveni nomen familiæ gentilitium, jam ab anno millesimo quingẽtesimo, quo vivebat Amaven⁹

Lebretius. Ex horum progenie Joannes Lebretius duxit uxorem Catharinam Fuxiam Navarræ Reginam, tandemque Joanna Navarræ Regina, Bearni & Lebreti Domina nupsit Antonio Borbonio, ex quibus ortus Henricus IV. Franciæ & Navarræ Rex. In gratiam autem Joannæ Reginæ vicum Lebreti, nunc Albreti, in Ducatum evexit Henricus II. habuitque Juridicas sedes quatuor, *Neyrac, Tartas, Castelgeloux & Castelmoron*, partemque Condomii & Arminiaci, hinc prædictus fl. abit ad Vasaticam, *Basas*, 43. 53. civitatem Episcopalem pulveri impositam non cespiti: quæ tamen, quâ parte Garumnam spectat, agrum habet frugum, vini & pecoris fertilem.

CAP. XXXVII.

Duranius & influentes in eum.

LA *Dordoigne*, fontes habet in finibus Arvernorum, uni nomen *d'Or*: alteri *Doigne*, utrūque in monte Dorio *mont d'Or*, qui sacello D. Virginis *de la Voisiniere*, religiosus est, medicis herbis fœcundus. In vertice non longè ab urbe Hesse lacus est, cujus imum nulla potest bolide explorari. Si verò in eum lapis decidat, brevi horrendis tonitribus & grandine cœlum tumultuatur. Excipit verò Duranius, post leucas aliquot ex eadem Arvernia amnem *Serre*, qui rigat Orilliacum urbem amplam superioris Arverniæ. Inde Lemovices ingreditur, ex quibus magna ipsi fit aquarum accessio. Nam præter rivum, qui defluit ex arce Ventadorea capite Ducalis Satrapiæ

piæ *de Vendatour*, amnes excipit Veſeram & Coſerim, quibus appoſita ſunt Uzarchium *Vſerche*, 44. 50. oppidum inexpugnabile. Tullum urbs Epiſcopalis & Briva Curetia *Briue la Gaillarde*, 44.38. jucundiſſimi ſitus propter vineta, lucos & prata, quæ urbem circumſtant. Hinc luſtrat Petrocoricos *les Perigourdins*, in quorum agro non longè à Miramontio, Cripta eſt *Cluſeau* dicta: quam ingreſſi narrant protendi ad 6. mill. aulaſque in ea vermiculato ſtratas lapide, altaria, picturas, veſtigia omnis generis pedum, fonteſq; & fluvios. Urbes verò in his partibus celebres ſunt Sarlacium *Sarlac*, 44. 49. oppidum Epiſcopale in peninſula, quam Duranius & Veſera efficiunt. Limolium *Limeul*, Bergeracum *Bergerac*, ſitum in agro lætiſſimo, ubi Gueſclinius Magiſter equitum, celebrem de Monſerrantio Anglorum duce retulit victoriam anno 1377. Liburnia *Libourne*, oppidum populo & mercibus peregrinis abundans, conditum anno 1286. ab Eduardo Rege Angliæ, ex ruinis Condatis, Ducum Aquitaniæ ſedis, cujus videntur adhuc foſſæ paulò ſuprà Liburniam. Eſt & Franciacum *Fronſac*, arx naturâ loci & arte munita, cujus fundamenta putatur jeciſſe Carolus Magnus: nunc verò caput eſt Ducatus cognominis. Inter Fronſacium & Liburniam effunditur in Duraniū, Illa *l'Isle*, qui ortus in Lemovicis, Veſunam alluit Petrocoriorum Metropolim, vulgò *Perigueux*, 44.45. urbem Epiſcopalem & Muſſidanium oppidum, in cujus obſidione periit Generoſus Comes Briſſacus, globo ferreo caput appetitus. Petroſa regio no-


men indidit populo, nullibi ſimplicium herbarum copia major, nihilque gratius, quàm videre ripas, Illæ ulmis conſitas, quibus ita ſunt vites maritatæ, ut arbores botriferas diceres. Denique ad confluentem Illæ & Dromiæ Cutracum *Coutras*, prælio celebre.

Cap. XXXVIII.

Burdigalenſes & Medulini.

TEmpore Tarquinii Priſci memorantur Bituriges Celtici duas duxiſſe colonias in Aquitaniam; Ubiſcorum unam, Boiorum alteram, Vibiſci Burdigalenſem & Medulinum agrum occuparunt, *Le pays de Bordeaux & de Medoc*. Boii Tarbellicum; Vibiſcorum Biturigum Metropolis Burdigala *Bourdeaux*, 44. 18. urbs, ampla, dives, Archiepiſcopatus prærogativâ & Parlamenti curiâ à Carolo VII. inſtitutâ illuſtris, inter primarias Regni urbes caput extollit, ut de portu ſileam, inſtar Lunæ creſcentis falcato, ita capace, ut 600. interdum naves numeret, quæ generoſum regionis vinum in omnes Septentrionis Provincias exportant. Medullorum ager arenis & pulvere ſquallet, paludes & æſtuaria, quibus proſcinditur, ſcatent arundine, ex qua plebi parantur ædificia, abundat pecore, millio, ſubere & pice. Sal & vinum minimè deſunt. Oppidula ſunt Pauliacum *Poüillac*, & Solacum *Solac*, 44. 54. ubi piſcatus oſtreorum ſuaviſſimi ſucci, quæ Sidonius vocat Glareoſa & Salacenſia. Aſſurgunt etiam arenæ rubræ cumuli, qui Pyrenes vel Alpium jugis

gis vix cedunt. In extremis Medullis habes Arcassonem portum tutissimum, nec non sinum amplissimum, in quem influit amniculus Leiris *le Leire*, Sigmas Ptolemæi, ad quem Boiorum vicus seu Buchium, *le pays de Buchs*, principatus, cui qui præest, dicitur Captambusius *Captal de Busch*, è Fuxi Comitibus pervenit ad Candalios, quibus Dux Espernonius successit. Reliquum litus ad ostia Aturri paludosum est, & inundationibus expositum, in eo præpositæ quatuor Bornium, Marensinum, Maremnium, & Senhausium, continentis verò ager Syrticus, totius Galliæ infelicissimus, in quo nihil per 30. & plures leucas cernis, præterquam sylvas pineas & arenas, in quibus re flante Bigerrico turbine, nemo non formidat in itinere terreno pedestre naufragiũ. quicquid enim sabuli in campis jacet, convertunt venti, summaque pristini itineris vestigia intereunt. *Les Landes de Bordeaux*, Hispanicè lanas: abundat tamen melle, lacte, subere & ovibus, quas Pastores per Hyemẽ eductas è montibus eò traducunt. Ad Pagum Undres (quæ prima est eorum statio, qui celeribus equis Baiona proficiscuntur Burdigalam) lacus est *Ors*, in quo mobilis insula pascualis vento sępiùs ab uno stagni latere fertur in oppositum.



CAP.

CAP. XXXIX.

Novem-populania.

ULtimam Oceani Gallici oram tenuere Tarbelli indigenæ Aquitani, quam poſtea ex parte occuparunt Bituriges Boii advenæ ab Celtica Gallia. Prolatis verò finibus Aquitaniæ ad Ligerim hæc dicta eſt Cis-garumna, Aquitania tertia, & à novem populis in ea ab Hadriano Imperatore coactis, Novem-populania. Poſt exactos totâ Galliâ Romanos ſub Honorio Gothis ceſſit, quibus à Clodovæo cæſis primò apud Pictones, iterumque propè Burdigalam in Francorum ditionem venit. Apud Bearnenſes & Bigerros adhuc Caſſigotthi reperiuntur *Capots & Gahets*, Gothorum reliquiæ, qui morib⁹ & omni penè commercio diſcreti ſunt ab indigenis, quibus nefas.cum ea gente jus connubii communicare. Plerique fabri lignarii & vietores, laboris patientiſſimi, in diem vivunt, nec filii parentibus ſuccedunt. Putant alii eos ex ſanguine Hæreticorum Albigenſium ortos. Circa annum 727. cum res Francorum langueſcerent, Novempopulania Comites ſibi præfecit, qui à Carolo Magno in ordinem ſunt redacti. Duces habuit ad annum 1152. quo filia Guillelmi Godefridi ultimi Ducis nupſit Henrico Northmanniæ Duci, poſteà Regi Angliæ, ſicque paruit Anglis ad annum 1453. quo totâ ſunt Aquitaniâ, ultimùm expulſi ab Carolo VIII. Tunc Biſcaini crucem rubram inſigne bellicum, cum cruce candida commutarunt

in moni-

n monimentum candidæ crucis, quæ ante con-
dictum visa in cœlo fuerat. Anno demum 1469.
ad Regni corpus reversa, nunquam ab eo postea
divulsa.

Cap. XL.

Aturrus & Bigorra.

La *Dour*, olim Aturrus, ab urbe Aturrensi *Aire*, & Tarbellus à Tarba, quas alluit, oritur è saltu Pyrenæo, qui ab incolis Pigmintolius dicitur, Campanum, 42. 10. *Campan* radit, egregium napale butyro abundans, vicum Aquensem, vulgò Baignerias thermis celebres, Tarbam, 42.30. Metropolim Bigerronum *de Bigorre*, ubi vetus castrum Bigorra, nunc *la Sede*, à sede Episcopi ibi constitutâ. Incipit verò Bigorra à Pyrenæis montibus, qui Aragoniæ fines attingunt, indeque per frugiferam convallem ad propinqua confluentis Aturri & Arrosii loca descendit, continenturque in eo pagus Riparia inferior, vulgò *Riviere basse* dictus, vicariatus Malavicinus, Vicecomitatus Levitanensis & Asteriensis in radicibus Pyrenæi, Ausonius vocat Bigerros pellitos, propter brevem illam & villis hispidam cappam, dictam Marlottam, quâ utuntur: hinc abit Vicoiulium urbem, cujus Episcopi ab eo fluvio dicti Aturenses, & à Vico *Vascons* Vasconenses, & Martianenses à pago Martiano. Nunc verò Airenses *d'Aire*, in lat. 43. vinum Chalossæum celebratur in his partibus. Hujus Diœcesis præcipuum oppidum est nunc S. Severus caput Gasconiæ ideò dictum,

dictum, quia hujus regionis Metropolis oli fuit, cùm jam sit initium Gasconiæ, *S. Seuer Ca de Gascogne*, 43. 14. perlabitur posteà Aquas Au gustas, vulgò Dax in lat. 43. 12. oppidum fossis & aggere munitissimum, ubi prætorium laudatur & balnea longè celeberrima marmoreis cinct. subselliis, de quibus egi superiùs. Min. 5. ab eo oppido distat sacellum D. Virginis *de Buglosse*, in quo celeberrima hodieque constant miracula mitto fabulam, quæ fertur de tribus sepulcris quæ cum lunæ plenilunio aquis plena sint, & silente lunâ sint planè vacua. Bajonam *Baione*, denique alluit Biscaiæ Gallicæ caput, dictam olim Lapurdum, ejusque Episcopi & Vicecomites Lapurdenses, emporium celebre, situm ad confluentem Aturri & Nivi, quod sub Anglis Regibus primum dignitatis locum obtinuit post Burdigalã, ubi Collegium Majoris, Scabinorum & Juratorum à Joanne Rege Angliæ institutum, ubi Episcopus, cujus Jurisdictioni in rebus Ecclesiasticis subjecta fuit, maxima pars Ipuscoæ & id totum, quod Vidassone & Urola amnib⁹ continetur ad annum 1565. quo Philippus II. Hispaniæ Rex à Summo Pontifice impetravit, ut dum grassantis in Gallia tunc hæresis lues cessaret, Ipuscoæ jurisdictio à Bajonensi abducta, ad Ponpelonensem Episcopum traduceretur. Rogerius Hoveden in suis annalibus Vidassonem amnem Fontarabiam & vicum Irun ait extra Ipuscuam fuisse, & spectasse ad Vicecomites Bajonenses. Oceano immergitur duobus min. infra Bajonam portumque facit commodum, ex quo

ducta

ducta est fossa nova *le boucaut neuf*, & arenis obducta illa est, qua antiquitus per caput Britonum viam perdifficilem navigiis in urbem relinquebat. Aturrus fluvios excipit Nibum, Vidosum, Gaberios, Dusam, Lislam & Larrosum. Ad Lislam urbs præcipua Rabastinum *Rabastins*, 40. 42. olim munitissima, priusquam à Monlucio expugnaretur. Arrosus Larros, fluvius præceps & altus, oritur in montibus Convenarum è vico *lomme*, Abbatias Scalam Dei, S. Severum *de Rostagno*, *Casam Dei & Tasque*, nec non oppidula *Villecontal*, & Placentiam. Influit in Aturrum ad pagum *Isotges*, duobus min. à Castro *de Thermes*, unde generosus ille Galliæ Polemarchus *de Thermes*. Duza & Mindonus oriuntur in Syrtibus Aquitaniæ, non longè à domo nobilis familiæ *la Bastide*. Junguntur ad oppidum *Monmarsanum* 43. 19. & miscentur Aturro infra Tarassum oppidum internecione Anglorum celebre. Ejus loci incolas dixit Tarusates Cæsar.

CAP. XLI.

Gavi & Bearnia.

ETsi quemlibet fl. appellent Bearnenses *Gave*: præcipui tamen duo sunt, in quos reliqui evolvuntur, Bearnensis scilicet & Oloronius, qui simul coeuntes ad vicum Peirehourade, id est, petram foratam, mox miscentur Aturro. Gaberus Bearnensis *le Gave Bearnois*, nascitur octavâ leucâ supra palum in montibus Bigerronum

num è gemino lacu amplo & profundo, *le lac Bareges*, *& le lac de Cauderes*. In utroque su infinitæ truttæ, quæ vere novo solutis nivibu exundante aquâ feruntur per rupes Pyrenæi præ cipites, & per Aturrum abeunt in Oceanum,u Æstiva & Hyberna agunt, & recurrente vere re eunt. Salmones medii modi i per leucas ampliu 50.adverso fl. per abrupta conantur in montes & licet plurimi incidant in retia,quæ ubique ter duntur, maximè verò ad *Peirehourade, Belloc & Orthés*, ubi eorum vis infinita intercipitur, qu per Hispanias & Tolosates distrahuntur, tame semper plurimi palos & retia saltu agili transi liunt,vel laqueis se explicant,& ad locum & ori ginem tandem enituntur suam, ubi colligantur & mutuo alvorum affrictu ova concipiunt, qua deponunt terna & terna glutino commissa, quorum bina in caput & humeros figurantur, tertium ex se reliqua nascentis pisciculi effingit. Conjunguntur verò illi duo è lacubus prodeuntes rivi & Gabeum constituunt ad celebres vicos *Peyrefite & Vielelongue*, propter radices montium,quibus itur ad thermas Cauderes & Baraiges. Inde per vallem fluit Lavedanam,*la Vallée de Lavedan*, cujus laudantur equi, Hispaniensibus non inferiores. Inde abit Lordam 42. 15. Levitaniæ Vicecomitatus caput, urbem veteri arce egregiè munitam, in finibus Bigerronum, & Bearniam ingressus Padum rigat *Pau*, 42.36. Bearnensium Principum olim sedem, nunc Parlamenti Navarræ: Lascaram *Lascar*, olim Bear-

num

num dictum,urbem Epiſcopalem, & Hortesium *Ortes*, 43. 52. cujus Academiam Hæreſeos viru infectam Ludovicus XIII. Palum tranſtulit. Caberus ſimiliter Oloronius è duplici procedit rivo,uno quidem per Vallem *d'Oſſau*, altero per Vallem *d'Aſpe*,decurrente. Fons Oſſavi iterum duplex,unus in monte Segouton,ubi primùm eſt Hiſpaniæ hoſpitium, abeuntibus Cæſar-Auguſtam, alter ad radices Podii Auſtrini montis inter Pyrenæos altiſſimi, *le Puy de Mydi*, qui in tres Pyramides altiſſimas acuminatur, dictas tres ſorores,*les trois Sœurs*,propè Hoſpitale S. Chriſtianæ,in ipſis regnorum limitibus. Coeunt verò ad hoſpitium Gavas, abeuntque ad Aquas calidas *Aigues chaudes*, ubi balnea celeberrima, & Vallem *d'Oxault* decurrunt: in qua ſpatio duarum leucarum cum media ſunt 28.pagi,quorum præcipui Velle & Arudi urbib⁹ penè æquales. Ex eo eodem prioratu S. Chriſtianæ defluit alius amnilus per Vallem Aſpenſem &D.Virginē *de Sarrance*,jam à 400. annis celebrem. Juncti,verò alluūt Oloronum *Oleron*, urbem Epiſcopalem, populo frequentem & mercibus,quæ in Hiſpanias tranſmittuntur. Navarrinum arce validâ munitum ab Henrico IV.Salvam-terram, *Sauue-terre*,Salinas *Saillies*, ubi fons uberrimus, ex cujus aquis incolæ ſalem conficiunt, quem per totam regionem diſtrahunt, & Sordam municipium populoſum. Sunt denique alii duo fluvioli, quorum unus Vidoſus,alter Nivus dicitur. Vidoſus S. Pelaſgum *S. Palais*,alluit, olim Biſcaiæ urbem primariam

riam,& ſedem Cancellarii Navarræ. Rigat præ
terea *Bidache*, Comitatum Grandimontanæ fa
miliæ. Nivus ex roſcida Valle ortus in ſalt
Pyrenæo, oppidum alluit Sanjoannem Porten
ſem, *S. Iean pied-de Port*, ſic dictum,quod ſit u
nica quaſi porta, quâ ab inferiori Navarra tranſ
tur in ſuperiorem. Alluit & Euſtaris & Bajo
nam,ubi ſubit Aturrum.

CAP. XLII.

Biſcaya.

CIteriores Vaſcones nunc dicimus Baſco
eorumque agrum Terram-laboris, *le pai
de labour*. In eo 27. numerantur majores Pa
rœciæ, partim ſitæ in montibus, partim a
litus maris, inter quas eminent S. Joannes Lu
gienſis & Siboro, *S. Iean de Lus*, *& Sibour*, æ
ſtuario tantum ſejuncti ab invicem. Euſtari
ſedes eſt Judiciaria, cœlum hîc mite. Abun
dat regio metallis, arboribus ad haſtas, & a
naves fabricandas materiâ, milio pariter ipſi
Borona dicto, cicerâ & pecoribus. vinum de
ficit. Lingua ipſis Cantabrica. Ab omni ævo
vitam nullam ducunt ſine armis, tenenturqu
ad primum tympani pulſum duo armatorum
millia habere in procinctu: veloces ſunt, inge
nioſi, iuviolatæ, apud ſuos familiares & he
ros, fidei: honoris cupidi, ſuorum privile-
giorum

gioium defenſores acerrimi , ad militiam proclives , candidi , aperti , divitiarum non multum appetentes , ſed paupertatis impatientiſſimi. In Parœcia *Sare* , antrum eſt in ampliſſimas excurrens aulas , indeque in immenſos & altiſſimos ſpecus recedens , per quos ad multa itur milliaria ſub ipſis Pyrenæis. Imò dicuntur illac aliqui tranſiiſſe in Hiſpanias. Puellæ hìc, ſicut & per totam Biſcayam, incedunt nudo capite.



GEO-



GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

PARTIS PRIMÆ.

LIBER SEPTIMUS.

HISPANIA.

CAPUT I.

Hispaniæ nomen, Ubertas, Divitiæ, Virtus bellica,

QUam Plinius Paniam dixit à Pane Dionysii Comite, Teutones addito His, quod Occidentem ſonat, Hiſpaniam vocarunt, ad differentiam Peloponneſi, quam Heſychius Orientalem appellat Paniam· Heſperiam ſimiliter dixerunt alii, quod extrema terrarum ſit verſus Occidentem. Iberia frequenter nuncupatur ab Iberio, vel fl. vel Tubalis filio, vel Aſiæ populo. Æquè ac priſcis ſeculis eſt fœcunda, ſed deeſt induſtria, quod per expeditiones in utramque Indiam, Maurorum & Marranarum repetitas ejectiones, nec non per bella continua juventus exhauriatur. Oleo, melle & vino præſtantiſſimo abundat. Lina habet, nobiliaque pecoris vellera, equorum tam pernices alit greges, ut non fruſtra vento cōceptos ſcripſerint multi. Citerior ſpecu-

laribus

laribus scatet lapidibus, Bætica minio, utraque metallis, quorum fodinas numerat propè 500. ex quibus Phœnices tantam argenti copiam exportarunt, ut cum onustis navibus superesset, anchoras ex ipso conflaverint. Indidem Scipiones, Lentuli aliique Duces, supra 600. millia argenti infecti pondo, argenti Oscensis quadringenta millia, signati verò vim infinitam paucis annis in Italiam transmiserunt, & simul cum iis avaritiam, luxum & morum corruptelam invexerunt. Nec metalla desunt impræsentiarũ, sed iis parcitur quamdiu suos India thesauros suppeditat. Per 200. annos, in Hispania multo mutuoq; ita certatũ est sanguine, ut amissis Imperatorib⁹ exercitibusque sæpè cōtumelia, nonnunquam etiam periculum Romano illatum sit Imperio. Hæc Scipiones, hæc contumelioso 20. annorum bello sub Duce Viriato Romanos iterumque sæpius, sic exercuit, ut diu non potuerit dijudicari, Hispanis Romanisve plus in armis esset roboris, & uter populus esset alteri legem daturus. Hæc denique est, quæ abhinc 200. annis, licet continua cum reliquis Europæ populis bella habuerit; innumeras tamen in utramque Indiam colonias transmisit, & suum in illis stabilivit Imperium. Ejus figura accedit proximè ad quadratum, cujus latus minutorum 420. inter gradus latitudinis 36. & 43. quo spatio numerant aliqui oppida muris cincta omnino 1500. Archiepiscopos undecim, Episcopos 65. Florente solido Hispanorum Imperio, educta reperiuntur interdum centum millia armatorum, qui retinentissimi sunt

ſuorum ordinum, inſtructæ verò naves aliquando ſexcentæ. Nuſquam gentium, vel eruditioni, vel militiæ majora ſunt præmia & certiora. Magnatibus, quos vocant Los Grandes, licet coram Rege caput tegere, & in ejus capella ſedere.

Ex 14. Conſiliis, per quæ ſuum Rex adminiſtrat Imperium, duo ſunt, quæ ad graviora ſcelera compeſcenda plurimum faciunt. Unum quod vocant Inquiſitionis, quod exquiſitis ſuppliciis Judæos & Hæreticos afficit. Alterum Hermandat dictum, quod eos, qui grave aliquod facinus admiſerunt per fidos homines, ſic indagat, ut fuga perpaucos à pæna ſceleribus debita liberet. Idioma, quod nunc dicimus Lapurdenſe, ſeu Biſcainum, *le Baſque*, antiquum fuiſſe Hiſpanienſe opinantur plerique, & ex corruptione Latini ortum ſermonem Caſtellanum, Luſitanum & Catalanicum.

CAP. II.

Varii Hiſpaniæ populi; & Regnorum ſucceſſio.

OMiſſis, quæ de Tubale, Aſchanage & Gerione gratis dicuntur, Celtæ Galli memorantur omnium primi, qui colonias illuc duxerunt, & pace cum Iberis firmata commune regioni Gentique nomen fecerint, ut Hiſpania Celtiberia, Incolæ Celtiberi dicerentur. Phænices deinde Maſſilia profecti, Emporias & Dianium condiderunt; imò & interiora occuparunt Gaditani poſtea Tyro profecti, unde & Carthaginenſium

sium origo fuit, cum urbem statuissent in Hispania, ut rem Sacram Herculi facerent, finitimis eos lacessentibus, Carthaginensium auxilio partem Hispaniæ sibi subjecerunt: Iterumque hortantibus primæ expeditionis auspiciis, Hamilcar magnis rebus gestis, dum fortunam sequitur inconsultiùs, in insidias deductus periit. Mox bello 2. Punico, occasione Saguntini excidii per Pyrenæum jugum signa sua Romani intulerunt, octavoque anno postquam à Pœnis capta fuerat, à Cn. Scipione recepta & antiquis cultoribus, quos belli furor reliquerat, restituta est. Rursum verò multis cum Hannone & Asdrubale præliis commissis tandem Scipio Africanus captâ Carthagine Hispaniam totam Romanis subjecit, & in Provinciam redegit, quæ modò per Prætores, modò per Consules administrata est, nonnunquam etiam Tarraconensem sibi Imperatores reservarunt. Partem Italiæ proximam, Citeriorem, eam verò, quæ remotior, Ulteriorem appellarunt. Labente ævo Ulteriorem in Bæticam & Lusitaniam diviserunt: citerior Tarraconensis dicta est à Tarracone primariâ illius urbe. Hadrianus addidit Carthaginensem & Gallæciam, nec non Tingitanam, quæ erat trans fretum in Africa. Septimam nominat liber Notitiarum Imperii insularem Provinciam ex Balearibus & vicinis insulis. Circa ann. 409. Interfectis Didimo & Veriniano cognatis Honorii Imperatoris, Vandali, Alani, Gothi, Suevi, Hispanias obtinuerunt. Monet Salvianus ob

impuriſſimam libidinem tunc meruiſſe tradi Hiſpanos infirmis quidem,ſed pudicis barbaris. Sequenti anno, quo ſcilicet ab Alarico capta eſt Roma,Honorius Godigiſco Hiſpaniæ poſſeſſionem conceſſit eâ lege, ut Incolis non noceret,diviſoque regno, Alanis ceſſit Luſitania. Silingis id eſt Vandalis Bætica,à quibus dicta Vandaluſia. Rerum tamen Hiſpanicarum ſcriptores, Regum initium numerant à Vallia, Viſigotho, qui eaſdem Hiſpanias occupavit. Vandalis in Africam profectis,ut Bonifacio Duci contra Imperatorem opitularentur circa an. Chriſti 421. Sub Gothis regibus maximè piis floruit plurimùm, donec iterum Vitiza impuriſſimo viro, regni habenas tenente,Saraceni & Mauri ab ultore Deo ex Africa primùm evocati, deinde Ruderico homine turpiſſimo regnante in Hiſpanias effuſi, Gothos oppreſſerunt, accedente Juliani Comitis proditione,cujus filiam ſive uxorem Rex ſtupro violarat. Initium cladis contigit anno æræ, ſeu ſupputationis Hiſpanicæ 750. qui eſt Chriſti 712. Suorum enim annorum caput Hiſpani ducunt ab anno primo poſt confirmatam in Senatu orbis partitionem ab Auguſto & triumviris factã, qui annis ſolidis 38. annos Chriſti, ſeu Dionyſianam Epocham præcedit.Biennio poſt Rudericus Rex XXXI. Magno commiſſo prælio proditus à ſuis occubuit, & Hiſpania in Saracenorum venit poteſtatem, quorum tot fermè reguli extiterunt quot in ſingulorum ditione urbes primariæ. Gothorum vero reliquiæ in Aſturibus & Cantabris receptus arcem nacti ſunt, ibique propulſa-

tis for-

tis fortiter barbaris, regni veteris possessionem utcumque tenuerunt Duce Pelagio, qui primus in Asturibus Ovetanum regnum constituit, quod Legionensi postea initium dedit, ex quo prognata postea Castellæ, Portugalliæ, Galliciæ, aliaque regna numero 14. stabilita, quorum hæ fuerunt Metropoles.

Navarræ quidem	Pompelona.
Asturiæ & Legionis	Legio.
Galliciæ	Compostella.
Lusitaniæ.	Olysippo.
Algarviæ	Faros.
Andalusiæ	Hispalis.
Granatę	Granada.
Murciæ	Murcia.
Valentiæ	Valentia.
Balearium	Majorca.
Cataloniæ	Larcino.
Aragoniæ	Cæsar Augusta.
Castiliæ veteris	Burgos.
Toleti, seu Castiliæ novæ	Toletum.

Enimverò Saraceni partim à Gothorum reliquiis, partim à Principibus Gallis, maximæ partis jacturam passi omni tandem Hispaniâ pulsi sunt à Ferdinando, qui Granatam, qua in urbe Maurorum reliquiæ consederant, expugnavit an. 1492. quo Saracenorum in Hispania Dominatus post annos quam venerant 780. desiit, eodemque anno familiarum multa millia Judaici generis in exilium abiere, quæ ad 800000. capitum fuisse dicuntur. Tantam subditorum jacturam pro Christi gloria factam, brevi multo

cum fœnore Deus resarcivit. Nam Christopho- rus Columbus patria Genuensis nauticæ rei sci- entissimus sub Ferdinandi auspiciis anno 149 ex Hispania solvens novas reperit insulas: cuju exemplum secuti reliqui paulatim vastam illam aperuere continentem, quæ partem Orbis quartam efficit. Eodem incensus studio Va- scus Gama Lusitanus, Emmanuelis Regis jussu Olyssipone profectus in Orientem an. 1497. 7 Idus Jul. Sequente anno 13. Cal. Jun. Calecutum appulit, indictisque commerciis Lusitanorum ad ea navigationibus iter ostendit. Idem Ferdinan- dus Joannam filiam unicam dedit uxorem Phi- lippo I. Belgæ dicto, Austriæ Duci, filio Maximi- liani Imperatoris & Mariæ hæredis Flandriæ & Burgundiæ, & eundem in regni consortium admisit anno 1504. eodem scilicet anno, quo re- gnum Neapolitanum sibi subjecit. Ipsis tamen vitâ functis successit Philippi & Joannæ filius Carolus V. anno 1516. tunc annorum 15. qui an- no deinde 1519. Romanorum Imperium ade- ptus, ejus habenas difficillimis temporibus mo- deratus est, & post multas victorias rerum hu- manarum tædio, & amore secessus, an. 1555. apud Bruxellas regno se Imperioque abdicans, illud in Philippum filium, hujus administrationem in Ferdinandum fratrem transtulit, & an. 1558. vive- re desiit. Demum an. 1578. Sebastiano Rege Lusi- taniæ in Africa cæso, cum Henricus Cardinalis a- vi Sebastiani frater, grandis jam natu & affecta valetudine successisset, eo mortuo caducam re- gni possessionem multis ad se trahentibus, Phi- lippus

lippus II. Hiſpaniæ Rex adiit a. 1580. & deſiit inter vivos eſſe an. 1598. Philippus verò III. deprehenſâ conſpiratione Maurorum, qui dicebantur novi Chriſtiani, novies centena millia pepulit anno 1610. Tandem dum hęc ſcribo ab imperio Philippi IV. ſubduxere ſeſe Regnum Portugalliæ an. 1646. & Catalania anno eodem.

a *Vide Pancir. c. 67. & Marianam.*

Cap. III.

Vaſconum antiqua ſedes: Libertatis retinendæ pertinax ſtudium; Lingua.

VAſconiæ antiquæ termini, olim longè ampliſſimi fuêre. Nam trans Iberum contінebant *a* Calagurrim & Graccurim propè Alfarum: Jaccetanos & Ilergetes, ubi nunc Jacca & Lerida, ipſumque Comitatum Aragoniæ, & ad Oceanum Idaſunam, ſeu Eaſonem. Hi Vaſcones Hannibalem expugnatâ Sagunto ſequuti ſunt. Poſtea Carthaginenſibus Imperio Hiſpaniæ inhiantibus, ſe cum Romanis conjunxerunt, donec Gothis has partes invadentibus, dimiſsâ regione planâ in montes ſe receperũt, ex quibus in proximas Vardulorum, Autrigonum, & Aquitanorum Montanas & Campeſtres regiones, ſe ad Garumnam uſque effuderunt circa annum à nato Jeſu 590. Saraçenos poſtea non modò ſuſtinuerunt, ſed continuis etiam prœliis ita fregere, ut cum Cantabris, Aſturibus & Le-

gionensibus, liberatæ Hispaniæ authores dic possint.

Tantus in hac gente fuit semper libertatis amor, tantumque robur, ut Romanis, Carthaginiensibus, Gothis, Saracenis & Francis ipsis imminentibus, semper restiterint, nullumque Regem unquam sibi adsciverint, qui ab invitis populis jus haberet quidquam exigendi. Imò quando Rici, hoc est, Barones & divites fidem suis Regibus (qui postea Pompelonenses & Navarræ dicti sunt) obstringebant suam, eodem tẽpore cavebant etiam, ut si Rex beneficia ipsis concessa revocaret absque illorum fraude, exinde sibi à Regis fide liceret discedere, & eam alteri Principi addicere.

Ante Romanorum tempora existimant viri docti, Vascones imò omnes Hispanos, eâ usos esse linguâ, quam dicimus Vascam, quâ nunc utuntur cis Pyrenæum maxima pars Navarræ, Ipuscua, Alava, atque Biscaya: trans Pyrenæum verò in Vaccitania Lapurdum, inferior Navarra & Sola, seu Subola, in qua urbs Mauleo ad Susonem fl. Licet dialecto nonnihil differant, cæteris purior & gratior videtur, quâ loquuntur Vaccitani, utpote quæ stridoris planè nihil habeat.

a *Strabo & Ptol.*

CAP. IV.

Navarri.

POst cladem, quam Hispaniæ Mauri intulerunt, plures extitêre principatus initio minuti, confe-

ti, consequenti tamen tempore libertatis patriæque vindices, & affectæ Reipublicæ Christianæ instauratores amplissimi. In his, finitimi Vascones Galli extitêre primi, qui circa annum 817. duce Eneco Arista Vicecomite Baigorriæ (pagus est inferioris Navarræ, decem tantùm leucis Pompelone distans) Pyrenes claustra occuparunt, & ejectis inde Mauris regnum constituerunt, quod Vasconum multi appellarunt, alii regnum Suprabis, vel Pompelonæ à devictis urbibus, alii denique Navarræ à Navis, id est, agris, in quorum circuitu sunt dumeta, vel à vernaculæ voce *Navarr*, adjecto articulo à, quod significat incolam planæ regionis. Enecho successit Ximinus, & huic Garsias, cujus uxor Urracha interfecti à Saracenis mortem ultura, cum fortiter in bello, licet gravida, dimicans vulnus in utero accepisset: moriens per ipsummet vulnus, Sanctiū regni hæredem enixa est, qui ex integro Pyrene & Aragonia Saracenos expulit, filiumque reliquit Garsiam 2. dictum Tremulum, quod initio belli, manum conserturus tremeret, & si postea constantissimè pugnaret. Extinctâ prole masculâ Eneci in Sanctio Rege XI. successerunt postea tres Campaniæ Comites: His Galliæ Reges IV. Ebroicenses postea Comites tres, & Fuxi Lebretini Comites 4. quorum tandem omnium hæres, extitit Antonius Borbonius, & post eum Henricuts IV. Galliæ Rex & Navarræ. Quomodo verò ad Hispanum devenerit, accipe hæc ex Mariana l. 30. cap. 11. & 12. & ex Thuano l. 1. Ferdinandus suspectam habens Galliæ Regis poten-

 tiam,

tiam , Heneicum VIII. generum suum Angliæ Regem sollicitat, ut bellum Ludovico Gallo inferat: Ipse prætexebat Pontificis auctoritatem, quâ fieri dictitabat, ut quos ipse hostes haberet eos bello persequi teneretur. Itaque conjunctis cum genero viribus in Aquitaniam, in qua sibi jus Anglus vindicat, impetum facere decrevit: & quia ad eam expeditionem opus habebat per Navarræ regnum iter cum exercitu facere, missis oratoribus à Joanne Lebretino petiit, ut sibi per illius regnum transire liceret: quod cum ab illo propter amicitiam, qua ipsi cum Gallo intercedebat, non impetraret, inde occasionem arripuit invadendi Navarræ regni: quod & præstitit misso Albano Duce, reclamantibus quantumvis Anglis, qui sine Regis Angli mandatis bellum inferre Vasconi nefas putabant, & ferebant ægerrimè occasionem prætervolare Bajonam occupandi, tunc nudam præsidio. Sic Ferdinandus Castellæ Regno Navarram univit anno 1514.

Ante Sanctii ultimi tempora, solâ Crucis figurâ, cum tribus Græcis literis X. P. S. quibus Christi nomen solet scribi, omnes tabulas obsignare moris fuit, additis interdum *Alpha* & *Omega*, quæ ipsum rerum omnium initium & finem esse significabant. A Sanctio autem anno à nato Jesu 1212 occasione insignis Victoriæ de Mauris in eo loco, qui Navas de Tolosa nuncupatur, reportatæ, in quo interfecta 200000. Maurorum, ipseque eorum Rex Smaragdus Miramolinus: & quod de Manubiis Smaragdus insignis pulchritudinis ad Sanctium pervenisset, in locum anti-

antiquæ tesseræ, substituit Coccineā areā, in eaq; carbunculum aureū (Smaragdum vult *b* Muretus) bullatum, lineis ortogoniis clausum. Fines regnum habuit ab ortu Pyrenæos montes, ab occasu Iberum amnem, & ex parte Turiasonensem agrum, à meridie veterem Comitatum Aragoniæ, à Septentrione Alavæ & Ipuscuæ ditiones. Dividitur in 5. præfecturas, quas Majorinatus, seu Merindades vocant, Pompelonensem, quæ 80725. familias: Stellensem, quæ 60245. Tutelanam, quæ 40852. Sangossanam 60001. atque Olitonam, quæ 30969. ambitu suo colligunt: Ipsis nomen à primariis oppidis, de quibus agemus in Ibero fl. proventus annuus putatur tantùm centum millium Ducatorum, quod in legibus condendis aut mutandis eæ solæ firmæ & ratæ sint, quæ à principe, authore populo feruntur, juraque & immunitates populi illæsa se servaturum juret, antequam Regni gubernacula suscipiat.

a *In Orat. ad Summ. Pontif.*

CAP. V.

Ipuscoa olim dicta Vardulia.

IPuscoa, Hispanis Guipuscoa, separatur à Lapurdensibus & Aquitanis amne Vidassone, vern. *le Vidosse*, quem majores vocabant *Ondarr-Ibaya*, hoc est, flumen postremum, quod Hispaniæ versus Galliam sit ultimum. Patet secundum mare ad fl. *Devam*, per minuta circiter 18. incolæ impetrarunt olim, ut solis Navarræ Regibus sub-

Iacerent, nec ipsis liceret Ipuscoæ dominio se abdicare, iidem tamen gravati vectigalibus sæculo 14. Castellæ Regi submiserunt se. Tantum ferri calybisque hîc effoditur, ut singulis annis 80. millia ducatorum inde quæstus fiat. Dividitur in tres pagos, vernac. *Certanes*, quibus nomen à tribus fluviis, Urola, Oria & Deva, Vidassus Ptolemæo Menlascus, Melæ Magrada, oritur è Navarræ montibus, & per Vastanensem agrum mergitur mari, infra Fontarrabiam oppidum munitum, Straboni dictum Oidassuna, & à fluvio, à quo alluitur Ondarrabia. In finibus Regnorum & extremâ crepidine Pyrenæi montis. Alphonsus Castellæ Rex, qui illud cum universa Ipuscoa & Alava, Sanctio ultimo Navarræ Regi eripuit, oppidanis concessit eadem privilegia, quæ S. Sebastiani oppido fuerant concessa, & territorii modum præscripsit. Sinum, qui est inter *Hendaye*, ultimum Galliæ vicum, & Fontarrabiam Hispaniæ limitem, eodem tempore 6. Novembris anno 1615. Infantes Galliæ & Hispaniæ transmisêre, futuræ potentissimorum Regnorum Reginæ, sicut & olim Franciscus I. & ejus liberi. Duabus hic leucis distat pagus Oiusa, vestigium antiqui Oiasonis seu Olarsonis. Portus celebres sunt Passagium *Passage*, ad quem Rio de Leco, secatis Oiarcunensium campis in Oceanum se effundit. Et S. Sebastianus, olim Ucurus, ad amnem Gurvineam, qui per agrum Hernaviensem abit in mare. Habes postea Orium vicum, juxta quem Oceano immergitur amnis Oria, cujus origo ad radices altissimi montis S. Adriani, qui Ipuscoâ sepa-

ſeparat ab Alava, eſtque humana opera pertuſus, quâ ſpectat Galliam, ad commeantium ultrò citroque commoditates. Poſtea devolvitur per Alegriam, donec occurrat Axari fl. ad Toloſam Alphonſi X. & Sanctii IV. opus, caput urbium hujus tractus, ubi domicilium Præfecti, qui ab Hiſpanis Corregidor dicitur. Hinc Urola Rio, qui ex montibus Navarræ deſcendens, oppida rigat Aſcotiam & Aſpetiam, & inter utrumque Caſam Loyoleam, in his partibus longè celeberrimam, cùm propter muros, reditus annuos, proſpectum gratiſſimum, tùm præcipuè propter ſacellum S. Ignatii, in eo ipſo erectum cubiculo, in quo ipſi apparuit S. Petrus, dum æger decumbens lectioni vitæ Sanctorum dabat operam.

Occurrit poſtea Regius portus Gaturia, ubi Hiſpanorum claſſis incenſa à Francis anno 1638. mox oſtium Devæ, cujus origo in vico, cui nomen à proximis Salinis Gaza, valles rigat Leinzii. Elquetæ, Vergaræ & Placentiam urbem nominatam, propter fabricam armorũ omnis generis. Augetur rivis tribus, quorum unum excipit è valle Aramayona, alterum ex Onnate, oppido Comitum Guevaræ, tertium è finibus Biſcayæ, & per Elgoyarii & Mandari terras, non procul à cognomine ſibi urbe Devâ, abit in Oceanum in Vardulis, ut habet Mela, vel in Cariſtis, ut vult Ptolemæus,

CAP. VI.

Biscaya propriè dicta.

NOmen obtinuit à situ terræ aspero: extendebatur olim ad aquam Castre, quæ terram Regis Navarræ dividebat ab agro Castellano. Nunc undecim tantùm leucas patet in longum, inter amnes Devam & Galharragam, totidemque in latum. Dividitur in urbes, parœcias, & incartationes, quibus agri in Emphiteusim concessi. Vino caret & tritico, potionem supplet pomorum copia, panem conficiunt ex milio, abundat ferro, & arboribus, quæ navibus ædificandis aptæ sunt. Biscaini omnes nascuntur nobiles, eorumque jurã cosequuntur. Urbes præcipuæ sunt Lequeytio, ubi statio navigiis idonea. Vermeio olim Flaviobriga seu Amanum portus, quæ in publicis conventibus prima jus dicit. Portugalete ad ostium amnis Nervæ, vern. *Iboiçabal*, hoc est, latus fluvius. Distat ab ea leucis duabus Bilbao, condita anno 1300. à Didaco Harensi Biscayæ Comite, accedente æstu ad ejus muros appellunt naves magnæ molis, quibus innumera ab exteris accepta per montes in Castellum deferuntur, & quotannis minimum 50. naves lanâ onustæ in exteros emittuntur. In Nervã labitur amnis, qui urbem rigat Durango, quæ 1500. cives numerát. Biscayæ verò camera & Judices primarii sunt in civitate Ordunia. Variis olim Principibus subjectam Biscayã tradunt annales, Regibus scil. Legionensib⁹ & Navarræ. Familiæ postea de

Haro,

Haro,quorum ultimo in obsidione Argezilæ,vitâ functo, Biscaya Joanni Castellæ Regi obvenit,tandemque Hispaniæ Regibus,qui non priùs ex eo percipiunt reditus, quàm huc se contulerint,& eam sint ingressi altero pede nudi.

Cap. VII.

Cantabria vetus, Mare Callaicum, & Cantabricum.

PLerique Cantabriam cum Viscia confundunt. Imò Sandovalius & Lucas Tudensis,qui florebat anno 1230. ait fuisse populos Regi Pompelonensi subditos, qui suo tempore Navarri dicebantur. Tamen Arnaldus Ohihenartus in notitia Vasconię, qui hęc diligentius excussit ex veterum monumentis, ait eam propriè regionem fuisse,quæ à meridie per 50. minuta in Septentrionem excurrit, à Villafranca montium de Oca dicta,sita in lat.gr. 42 min. 50. trans Iberi dextram ripam, ad portum Laredo in Oceani Cantabrici litore positum in lat. 43. 40.ab ortu verò in occasum secundùm mare per minuta 180. ab eodem oppido Laredo, ad æstuarium Luarca & montes contiguos, planamque etiam regionem obtinuisse,quæ montibus Ovetanis subjecta est.

Existimat verò Florianus lib.4.cap. 3.Cantabriam urbem caput gentis in ora Iberi amnis nō procul à Lucronio sitam,&id etiamnum retinere nomē asserit vicum in edito colle sitū, ubi cōdita erat. Narrāt verò incolas magno labore devictos ab Au-

ab Augusto Cæsare, etiam crucib⁹ affixos Pęan ceciniſſe, quaſi nihil ille juris in eorum haberet libertatem: unde & Cęſar Auguſtus, cùm eos poſt decennale bellum viciſſet, de montanis locis in campeſtres tranſtulit, ut ex Dione & Floro liquet. Simile verò traductos in Beronum & Thurmodigorum convalles proximas, & hinc in ultimas deſinentis Vaſconiæ oras maritimas deſcendiſſe, indeque nomen Cantabrici huic communicatum mari, quod ea litora perluit, cùm priùs Callaicum diceretur à Callaicis populis, qui totum trans Durium tractum verſus Septentrionē, imò etiam Aſturias & Cantabriam obtinebant, ut conſtat ex Strabone l. 3. & Oroſio. In hôc mari è regione Aſturiarum audiuntur voces Modulatæ Tritonum & Sirenularum, quando venere concitantur.

Cap. VIII.

Aſtures & Regnum Legionenſe.

QUi priùs Cantabri, poſtea Aſtures dicti ſunt à fl. Aſtuara, qui oppidum rigat Oviedo. Extenduntur ſecundùm litus à Santandero oppido ad Rivadium. Diviſa jam olim regio eſt in Tranſmontanam & Auguſtanam per montem Vindium. Tranſmontana in Aſturiam de Santilana, in qua portus *Laredo*, quarumvis navium patiens. Santanderum S. *Andero* antiquis portus S. Emederi. Santillana urbs, à qua nomen regioni inditum: Et Aſturiam de Oviedo, ſic dictam ab urbe fundata anno 751. à Friolā Duce, eo loco ubi

ubi quondam fuerat Lancia ab Augusto capta, ad amnem Asturam, vern. *Rio Astario*, qui miscetur mari ad villam viciosam: Fuit autem Oviedo urbs Regia & Episcopalis, tempore belli Maurici. In Asturia de Oviedo sunt oppida Giion, ad quod bella à Legatis Augusti gesta sunt, Avila & Luarca port⁹ hujus oræ optimi: & post sex leucas à Luarca fluvius Salia, vern. *Rio de Sella*, Melsus Strabonis in confinio Asturiæ & Galliciæ oppida interluit Castropolii & Ribadæi, moxque abit in mare.

Augustani Regnum Legionense constituunt. Montana regio sylvis horret Minii, Chrisocollæ & auri fœcunda. Incolæ bellaces & libertatis tenaces. Hinc Asturcones equi, quorum laudatur non vulgaris in cursu gradus & mollis alterno crurum explicatu glomeratio. Ab anno 1388. Asturum Princeps, Major Castellæ Regis filius vocari cœpit. Asturiæ secundùm superos debet Hispania & Religionem & nobilitatem. Illuc enim post illatam Hispaniæ à Mauris cladem, nobilitas & clerus profugerunt circa annum 722. Illuc Pelagius ex regio Gothorum sanguine à Christianorum reliquiis, qui in montes confugerant, Rex salutatus, magnâ Maurorum editâ strage, hosti Legionem eripuit, ibique sedem sui Principatus fixit. Ibidem missis Regum Gothorum insignibus, Leonem sumpsit rubrum in albo campo ferocientem, à quo nomen Regno inditum. Urbes præcipuè sunt Legio & Astorga. Legionem condiderunt sub Nerva Imperatore milites septimæ Legionis, deletâ Sublauciâ

jussu

jussu Nervæ, quæ in colle sita erat. Octavo a[…]
tem ab eo colle milliari, urbs ædificata est, & o[…]
nata postea Episcopali sede, quæ proximè R[…]
manæ sedi subjecta superiorem aliam non agn[…]
scit. Summum templum, neque Toletan[…]
neque Hispalensi divitiis vel ornamentis cedi[…]
In ejus Sacrario 30, Reges Hispaniæ & unus Im[…]
perator sepulti. Variis porrò in locis adhuc ap[…]
parent reliquiæ viæ militaris quondam celeber[…]
rimæ, quam à Mediolano per Narbonensem a[…]
Legionem septimam geminam quadratis saxi[…]
penè insana profusione duxerant Romani pe[…]
mill. Ital. 1230. totidem distincta lapidibus, octa[…]
vo quoque stadio, Astorga, Ptolemæo, Auric[…]
Augusta parvum oppidum naturâ loci muni-
tum, caput olim Asturum ad amnem Torto.
Urbi vicinus est lacus Sanabriæ unam leucam
longus, vix dimidiam latus, qui instar exigui ma-
ris ter in die æstuat, piscosus admodum. Comes
Beneventanus in medio lacus magnificas habet
ædes subter urbem conditas.

CAP. IX.

Gallicia.

FUerunt Romanorum ævo Provinciæ hujus fines amplissimi à Flaviobriga ad Artabrum promontorium, indeque ad Durii ostium & fontes. Strabo incolas vocat Gallæcios, Eutropius Gallicios, à Gallis, sive à *Gala*, quod aliis Hispanis essent candidiores, ut habet Isidorus, Ptolemæus Callaicos, à quibus etiam Callaicum Oceanum dixit

dixit Martialis, & à Braccara urbe Braccarii Callaici, qui inter Minium & Duriũ habitabant, Lucenses à Luco Augusti denominati: propè Artabrum cornu, devicti sunt à Junio Bruto, qui propterea Callaicus dictus est. Mirum quantum gens tunc auguriis dedita, fœminæ rebus domesticis, viri rapinis & bellis. Hodie incipit ab oppido Ribadeo, & tota concluditur mari & Minio amne. Eeam extendunt aliqui ad rivum Limas. Saxosa est regio & montibus aspera, auri & plumbi olim feracissima. Nunc in ea laudantur marmora, thermæ, vina longè optima, pecora, pisces & portus, circiter 40. inter quos primas tenent in boreali plaga *Ferrol* & Coruna. In occidua verò Pontevedra & Bajona. Præcipua hujus oræ promontoria sunt *Ortegal* & Finis terræ. *Ortegal* antiquis Trileucum promontorium est totius Hispaniæ versum boream maximè prominens, pone quod castellum visitur, ubi cõmodè jacitur anchora. *Cabo Fin-terre*, Artabrum est seu Celticum promõtorium Plinii, Nerium Ptolemæi, Jerne Strabonis, à quo ad ostiũ Tagi triginta populos numerat Plinius. Terminum hîc statuunt aliqui Oceani Gallici & Atlantici. Inter prædicta duo acroteria celeberrimi sunt portus Feroles & la Coruna. In utroq; aqua minimum alta 6. orgiis. Corunã vocat Ptolemæus Flaviam Brigantiam. Volunt aliqui ab Hercule turrim extructam, speculumque repositum, in quo naves maximè dissitas cominus intueri licebat. Num Telescopium fuit nostris simile? Num specula in turri altissima tam-

ma tanquam columna altera, quam in eo capit non secus ac Gadibus statuisse Herculem volun alii. Urbs hodie duplex, superior in clivo; inferior in peninsula, portus capax magnæ cujus vis classis. Civitates in his partibus Monsia, vern *Mongia*, unde vina laudatissima. Maris æstus in saxis cruces passim efformat: ibidemq; in portu visitur navis è saxo tota cum malo velis & antennis. Omnium præcipua est Compostella, non tam antiquitate, quam D. Jacobi Hispaniæ Tutelaris capite insignis, quod anno 798. detectum est, ab Theodomiro Episcopo Iriæ Flaviæ oppidi, Romanorum ævo, in hoc tractu celeberrimi. Nierembergius notat ad Jacobi sepulchrū audiri armorum strepitus, quoties imminet clades aliqua Hispanorum exercitui. Molina verò in descriptione Gall. vult saxum, in quo primùm repositum S. Jacobi corpus, ad instar sepulchri excavatum. Aliæ urbes alicujus nominis sunt ad amnem, cui nomen à minii venis, quibus interdum inficitur, qui ortus è Vidunis Asturiæ jugis in lat. 43. 18. Lucum, seu turrim Augusti Lugo in lat. 43. urbem Episcopalem rigat. Hinc adit, *Orense*, 42. 40. antiquis Aquas Celinas oppidum, cujus pars una semper vernat propter crebros ferventis aquæ latices, altera hyemem patitur satis acrem. Templum ornatur signo Christi Crucifixi mirâ arte vetustatis pietate & crebris miraculis claro. Inde transit inter oppida Tude Thuy, à quo Lucas, rerum Hispanicarum scriptor, dictus Tudensis, & Valentiam Edetanorum Valence, misceturque mari inter municipia Guardia &

Cami-

Camina in lat. 41. 55. jacitur anchora ad orgias 9. in aditu tamen non ſunt plures duabus vel tribus.

Cap. X.

Regnum Portugalliæ.

HÆc Europæa Meſopotamia, quam Celtæ & Luſitani inhabitarunt. Celtas Gallos conſtituit Marinæus juxta Durium, ubi Urbem Porto, 40. 35. (quæ apud Antoninum Portus Cala & Calem appellatur) condiderunt, à qua dicta Regio Portugallia. Luſitani ripas incoluerunt Anæ fluvii, quem Martianus Capella vocat Luſitanum, à quo Luſitaniæ nomen potius quàm à Luſo, vel Lyſa Bacchi præfecto. Hanc poſtea occuparunt Romani, ſub quibus Turduli, Celtæ & Vettones in tres conventus Juridicos diviſi. Romanos expulerunt Alani, hos Sueci, ibidemque regnarunt Gothi, Saraceni, tandemque Reges Aſturiarum & Legionis ad Alphonſum VI. qui anno 1094. Tharesiam filiam ſuam dedit uxorem Henrico Comiti, tertio filiorum Ducis Burgundiæ, abnepoti Hugonis Capeti Regis Galliæ, & ob præclara, quæ in Maurico bello patrarat facinora, dotis nomine conceſſit quidquid in Portugallia & Gallicia Mauris eripuerat. Ex eo matrimonio natus Adelphonſus, Oliſiponã à Saracenis recepit, fugatis quinque Regibus uno prælio, pro qua re, titulo Regio auctus anno 1139. quinque ſcuta uno inſigni comprehenſa poſteris regni decus reliquit, & ſe ſuumque regnum ſic commiſit tutelæ B. Mariæ de Clarevalle in Lingonibus, ut vo-

ut voluerit quotannis regnum Portugalliæ nomine feudi & vassalatii 50. Morabitinos auri probati eidem Monasterio appendere. Ejus posteri cum defecissent in Rege Sebastiano, cæso in Africa anno 1578. ætatis 24. ipsi Henricus Cardinalis, aut illius frater, grandi jam natu, affectaque valetudine successit: & eo mortuo caducam Regni possessionem, multis ad se trahentibus, Philippus II. Hispaniæ Rex adiit anno 1580. ejusque posteri retinuerunt ad diem 15. Decembris anni 1640. quo Joannes Dux Bragantiæ Princeps gentilis coronam Regni admisit.

In finibus assignandis non conveniunt, Strabo, Ptolemæus, Plinius. Hi constantiores, Minius, Oceanus, & Anas ab ostio suo ad civitatem Eluas, inter gradus latitudinis borealis 37. & 42. Urbes in eo regno 18. oppida 800. pagi 15000. Archiepiscopi 3. Episcopi 10. flumina 52. unde Regio est tam eximie fertilis quibusdam in locis ut in unica Eboræ civitatis Parrœchia quadraginta quinque millia modiorum tritici pro decimis aliquando colligantur uno anno. Dictum pridem à Strabone Equas ad Tagi ostium vento concipere, id verò nostro sæculo comprobatum experientia refert Eduardus Nun. in descript. Portugal. c. 29. Indubitatum, hanc regionem equos sufficere velocissimos. Hinc evehuntur in exteras nationes multæ naves onustæ vino præstantissimo, oleo longe optimo, amygdalis, prunis, ficibus, uvis passis, sale & cera. Auctor libertatis Portugalliæ affirmat solos Archiepiscopos & Episcopos habere quotannis circiter quater centum mille

mille aureos. Quam frequentes ſint incolæ, col-
lige, Primum ex eo quod Angelus Pacenſis in vi-
ta S. Mancii Martyris dicat quo tempore juſſu Au-
guſti deſcriptus orbis, in ſola Luſitania numera-
tos quinque milliones ſexaginta & octo millia
patrum familias. Deinde quod ſingulis annis ex
Luſitania exeant in regiones ultra mare ſitas, ho-
minum millia circiter ſex, quorum vix tertia pars
redit. 3. quod acciderit ſæpius, ut mulieres uno
partu ediderint 7. 9. immò 14. liberos. Certè
æſtate anno 1643. ſexaginta Luſitanorum mil-
lia emiſit Rex Joannes adverſus Caſtellanos. Di-
viditur in Provincias 6. quarum 1. vocatur Inter-
amnis, 2. Tranſmontana, 3. Beira, 4. Extre-
ma-dura, 5. Alteio, ſeu Tranſtagana, 6. Algar-
bia, & ſingulæ in plures diſtrictus quos vocant
Commarcas. 1. Interamnis dicta quod inter flu-
vios Minium & Durium ſita ſit, patet per m. 60.
à Valentia urbe ſita in lat. 42. in ripa minii ad ur-
bem Epiſcopalem Porto 41. 6. ad Durium. Ejus
præcipua urbs Braga ad amnem Aleſtes, dicta
Ptolemæo Braccara Auguſta, *Bragues* 41. 37. ubi
Juridicus conventus à quo civitates 24. jura pe-
tebant. Putatur condita à Gallis Braccatis: Re-
gum Suevorum & Gothorum ſedes aliquandiu
fuit; nunc claret Epiſcopatu qui de primatu Hi-
ſpaniæ certat cum Toletana ſede, ab ea minutis
12. removetur Viana op. ſitum in lat. 41. 42. ad
oſtium fl. Lima quem majores dixerunt Le-
thæum, quemque fingebant Elyſios campos irri-
gare. Cum verò interamnis nuſquam ſit latior
leucis 12. nonnunquam verò habeat tantum octo
ipſi

ipsi ad ortũ adjacet ea pars, quam vocant Trans-
montanam, quæ patet à fl. Tamaga (quod Du-
rium influit leucâ tertiâ infra Lamego) ad ur-
bem Episcopalem Mirande. In ea regione ad ri-
vum Sabor est Braganca, caput Ducatûs opulen-
ti, cujus Dux nunc Rex Lusitaniæ. 3. ipsis dicitur
Beira, quæ patet ab Aveiro ad Tourones, & à
Coymbra ad Guardam. Duabus verò leucis su-
pra Anciro ager est Cadina, quem Plinius vocat
Catinensem, in quo fons, quicquid admotum
fuerit, absorbet. Et verò Henricus Cardinalis
id voluit experiri truncis arborum & jumento,
quod fonti admotum pede paulatim absorberi
cœptum, ægrè tandem à famulis retractum est.
4. Estrema-dura, quæ inter Mundam fl. & Tagum
fl. In ea duæ sunt urbes Episcopales, Leira & O-
lyssipo 39. ad Tagum, Felicitas Julia, Romano-
rum municipium, regni Metropolis, septem mõ-
tibus superstructa, in qua numerati cives 110800.
Vicus à Belem ad S. Bento longus duas leucas
continuis ædibus, portus longè celeberrimus, ex
quo naves in Orientalem plagam quotannis
emittuntur. In unam autem Caraquam cum suis
armamentis & nautarum stipendio mercibus ex-
ceptis (antequam è portu solvat) impenduntur
1275000. Ducat. 5. Alreio dicta, id est, Transta-
gana, respectu urbis Olyssiponensis; patet à pago
maritimo Cizimbre, ad civitatem Eluas, olei bo-
nitate celebre. Ejus Metropolis Ebora, urbs Ar-
chiepiscopatu & Academiâ illustris, à Q. Serto-
rio habita & culta, dicta postea Liberalitas Julia,
quando ei datum est Jus Veteris Latii: sita est in
lat. 38.

lat. 38. 30. ad fontem fl. Callipodis in amœna & feraci planitie, montibus cincta. Sed tantæ felicitati amnis deest. Portus præcipuus Setubal, antiquis Cetobriga, ad ostium fluvii Callipodis, qui hodie Jadam dicitur: ager tritici, & vini feracissimus, & ex cujus Sale Rex Lusitaniæ plura colligit vectigalia, quàm Rex Hispaniæ ex toto regno Aragoniæ. Sextam vocarunt Arabes Algharbe, quod eorum linguâ Occidentem sonat, cum prius Turdetania diceretur. Extenditur à castro Odexera ad arcem Alcutimam Alcotim. & à capite S. Vincentii ad castrum marinum, ad ostia Anæ situm, longa leucas 27. lata 8. Alphonsus sapiens Rex Legionensis hanc ditionem Comitatus titulo insignem dotis nomine Alphonso III. Regi Lusitaniæ dedit, quando filiam suam ei collocavit in uxorem, ex quo matrimonio est ortus Dionysius, qui primus Lusitaniæ & Algarviorum Rex dictus est. In hoc regno thermæ sunt totius Hispaniæ celeberrimæ, litus omne portuosum & piscibus abundans. Ad caput Europæ, seu sacrum promontorium (quod nunc dicimus caput S. Vincentii, quò metu Maurorum ex Valentia delatū est corpus S. Levitæ & Martyris) Hēricus Princeps Portugalliæ & Algarviæ summus Astronomus, filius Joannis primi, ob aëris puritatem sydera observavit, & cœlesti motu confirmatus, binas dimisit naves, quæ ad caput Bojador è regione magnæ Canariæ pervenerunt anno 1410. Iterumque tres alias anno 1420. quarum duæ Maderam insulam repererunt, tertia ad Serram Lionam vix gradus 8. distantem ab æqua-

tore penetravit. Urbes in Australi plaga 4. Lacobriga, seu portus Hannibalis, nunc Lagos, oppidum antiquum, nec infrequens nobili pharo à Joanne III. Lusitaniæ Rege ornatum. Ossonoba, nunc Sylvis, Faraon urbs Episcopalis, à Pharo antiquâ nomen trahens: ejus portum claudit insula, quæ à figura dicitur Cuneus S. Mariæ, & Tavila Metropolis regionis; sita ad mare in lat. 37.

CAP. XI.

Durius & Castilia vetus.

DUrius, Doris, seu Dorias, oritur in Pelendonibus ex monte Idubeda. Fluit per Arenacos & Vaccæos, & disterminabat olim Vettones ab Asturia, & Gallæcos à Lusitania, nunc mutatis appellationibus per mediam fluit Castellam Veterem, Et Lusitaniæ Provincias Transmontanam & Interamnem, quas rigat. Urbes alluit Numantiam 42. Osmam, Arandam, Camoram, Mirandam, omnes in eadem penè latitudine, scilicet 41.40 Lamegum 41. 10. & Portũ Fluvios excipit præcipuos Pizupa, Zapardiel, Fornis, Aquada. Navigatur adverso amne per 10. mille passus usque ad catarractam S. Joannis ad piscariam, ubi ingens, Lampetrarum rupi sub cadente in arcum aqua oribus adhęrentium, captura est. Evolvitur in Oceanum 12. min. infra urbem Portuensem 41. 6. in ostio, aqua medio æstu tres orgias alta est. Fines Castellæ veteris sunt Idubeda mons, amnes Pisorica, Durius, Aquada & mon-

montes Toletani. Ager fertilis frugum, vini
nerosi ferax, bonus pecori, non ita fœcundus
ei, homines magnoque ingenio, salubri cor-
ore, venusta facie, patientes laborum, Vae-
os dixerunt Romani, apud quos agricolam
isse fuit capitale. Nos veteres Castellanos di-
nus, quod Castellum aureum in rubro scuto
beant pro insignibus, vel potius à Castello ve-
e quod Pelagius Rex Legionensis circa annũ
o. excitavit in iis partibus, ut Maurorum im-
us sisteret. Hujus præfecti, Castellæ Comi-
initio dicti, deinde consequenti tempore Re-
m indulgentia, vel imbecillitate, honos ille
pit ipsis esse proprius: demùm ad posteros
reditatis jure propagatus ad an. à partu Vir-
is 965. quo Rex Legionensis ære alieno pres-
, cum Ferdinando Comiti quam debebat pe-
iam solvere non posset, permisit ut debiti
npensatione Castellam sui juris haberet. Post
quot deinde annos Castellæ principatu, ad
ictium Regem Navarræ devoluto, Ferdinan-
s Sanctii secundo-genitus Comitis Castellæ
pellationem in Regis nomen mutavit circa
1034. Pizurga amnis ex Austriæ jugis fer-
in Austrum, & auctus rivis qui urbes rigant
rgos in lat. 42. 28. Palantiam, & Lermam,
nfit in Durium min. 8. infra Vallisoletum.
rgos ex multis Burgis in civitatem coaluit,
ando Didacus Porcellus Castellæ Comes cir-
an. 846. ibi sedem fixit; celebrior deinde fa-
circa an. 1097. Episcopatu qui erat Aucæ
c translato. Ejus præsul de primatu Castel-

læ certat cum Toletano: concinnis ædibus ornata eſt, maximè Palatio Comitis ſtabuli. Incolas habet mercaturæ ſtudioſos. In Abbatia *de las Huelgas* 150. numerantur Moniales, Equitum, vel Principum filiæ. Præeſt autem Abbatiſſa 14. minoribus oppidis. Crucifixus ille Burgenſis totâ Hiſpaniâ celebris, à Nicodemo, ut creditur, factus, in Auguſtinianorum templo colitur. Lerma municipium celebre, caput famoſi Ducatûs ſitum in agro, qui perdicibus ſolito majoribus abundat. Palencia, olim Palantia, oppidum Plinio & antiquis notum, cujus Epiſcopatus inter ditiſſimos Hiſpaniæ numerantur. Valladolid Vallifoletum 41. 50. olim Pintia, oppidum ædificiis ornatiſſimum, propter viros principes ibidem habitantes, antequam Madritium ſedes regia transferretur: omnium ſcientiarum Lyceum habet nobiliſſimum. Ejus cancellaria una eſt e 4. totius Hiſpaniæ. Undecies mille domos numerat. Circa Durium & influentes in eum loca habes plurima Caſtellæ veteris notatu digniſſima. Non longè à fontibus Durii in agri Soritani loco dicto *Garray*, in Pelendonibus monſtrantur veſtigia urbis Numantiæ, quæ ſine muro, turribus, Scipionem Africanum & quadraginta milliũ exercitũ per annos 14. ſola ſuſtinuit, cùm tantùm in ea eſſent 4. milia armatorum, qui magni ſæpè cladibus Romanos affecerunt. Victæ autem urbis nullus ſuperfuit, qui in catenis duceretur: Præda ut de pauperibus nulla: triumphus tantùm fuit de nomine. Oſma Epiſcopali ſede & Academiâ inſigne oppidum 300. non an-
pliu

plius caſarum, eo ſitum loco, ubi Uxania urbs, olim à Pompéio exciſa. Arauda vaſtum municipium Sentica poſtquam diu jacuit incolis vacua, ab Alfonſo Rege iterum ædificata, Zamoræ nomen habuit, propter cyanum lapidem (Turcicũ & Turqueſum alii vocant) qui Arabum linguâ Zamora eſt, in eoque agro reperitur plurimus. Epiſcopali ſede donata fuit anno 1119. Ad influẽtes verò in lævam Durii, Caſtellæ habes oppidum Segoviam, Plinio Secubiam, in lat. 41. ad amnem *Zabardiel* oppidum in editiore munitum loco, Epiſcopatu divite, omnium penè Regum Hiſpaniæ effigiebus, nec non Aquę ductu (qui putatur Trajani opus) ornatum, nullibi pannus texitur nobilior. Avila 40.57. Ptolemæo; Albula Baſtitanorum oppidum trium millium focorum in media planicie ſitum, quàm montes fructibus & præſtanti vino nobiles ambiunt: ſecatur fluviolo *Algerbe*. Salamanca, Plutarcho Salmantica, urbs bellicâ virtute adverſus Hannibalem clara, & Academiâ toto orbe celebris, quam Pallentiâ ò tranſtulit Ferdinandus III. circa annum 1240. Tormis fl. urbem alluit. Penna de Francia ſeu Marianæ rupes Franciæ, in quibus ſignum D. Virginis, hominum concurſu & miraculis celeberrimũ à Simone Vele Pariſino, ibi repertum anno 1434. *Cuidal* Rodrigo, oppidum Aquadæ amni appoſitum à Ferdinando Rege Legionis conditum, eo loco, ubi quondam fuit Mirobriga, ut munimentum eſſet adverſus Portugallos.

Cap. XII.

Tagus.

TAgus caput habet in Sierra Molina in altissimis Orospedæ jugis (fonti nomen Albarracino frias) auctus amnibus Henares & Mançanares, qui Ascalam & Madritum alluunt, per Vettones & Carpentanos, Toletum venit, indeque Talaverani oppidum dives vino, melle, pecore, quod olim Reginę in quotidianos sumptus obtinebant, priusquam Gomeso Archipræsuli Toletano tribueretur. Sunt præterea in ejus ripa Puente de Larcebispo, pons Archiepiscopi terminus olim Castiliæ & Portugalliæ. Alcantara, Plinio dicta Norba Cæsariana, ubi Trajanus pontem excitavit longum pedes 670. latum 28. altum aqua tenus 200. constantem pilis sex concamerati operis. Hæc urbs ab Alphonso VIII. Mauris erepta & Calatranæ militibus data, ut inde in hostium fines irrumperent, & ab ea dicti milites *d' Alcantara,* cruce viridi insignes. Post sepem octove minuta Tagus excipit aquas lupinas, cujus utramque ripam obumbrant proceræ populi, quæ malis navium inserviunt. Oritur ex montibus Catalatravæ, oppidum alluit exiguum, ubi D. Virgo ad Aquas Lupias. Ferunt annales sævientem tota Europa pestem circa annum salutis 600. à Gregorio Magno, Romæ indicta supplicatione sedatam esse, patrocinante Virgine Matre, ejusq; effigiem quam manu gestabat, ad D. Leandrum Hispalensem Præsulem, unà cum Moralibus ab eodem

eodem Gregorio esse missam, Pœnisque postea-que Hispanias vastantibus, eam à Sacerdote sepulchro marmoreo conditam esse, adjunctis literis in ejus rei gestæ memoriam. Hæc post 600. annos revelata bubulco, innumeris deinceps fulsit miraculis. Nunc templum undique septum anathemate. Inter multa donaria habes ferreum globum majoris tormenti, quem Alphonsus Albuquercius Indiæ Prorex avorum memoria misit. Ille dum in obsidione Goana flumen subit, suum comitem videt globo discerptum, Virgini Guadalupinæ se committit, moxque alius globus tormento à 40. passibus excussus ipsi pectus percurrit, sed innoxiè ad pedes delapsum: bracteis postea incrustatum argenteis donum misit Virgini, cum monili gemmis & adamantibus ornato. Imago lignea est fusci coloris. Est præterea in læva Tagi ripa *Canaveral* municipium non infrequens, duæque urbes Episcopales in montibus sitæ Placentia ab Alphonso Rege Castellæ condita anno 1178. & Coria oppidulum 600. focorum in quo templum illustre. *Tomar* olim Neobantia oppidum in longa, sed angusta planitie situm, quam rivus Nabanis alluit, & in amnem Ozecarum labitur, cujus fons in monte Stella. *Santaren* oppidum Portu-galliæ, dictum olim Scalabis & præsidium Julium, postea Sancta Irene à corpore ejusdem Sanctæ illuc delato, & labente ævo *Santaren*. Situm est in edito colle, ager olei vinique fœcundus; tritici vero sic ferax, ut alicubi sexagesimo die à jacta semente segetes maturas possis demetere,

alibi verò quadragesimo die, & quidem mensurâ centuplicatâ. Almerinum pagus loco situs amœno, ubi Portugalliæ Reges Hyberno tempore consueverant degere. Infra Olyssiponam Tagus effunditur in Oceanum ostio 2050. passus lato, ubi portus efficit, qui maximæ molis navigia capiunt. Æstuarium quinque leucarum spatio, sex munitur arcibus; *Belen* earum firmissima, cujus in oppipo Rex Emmanuel D. Virgini magnificum posuit templum, cui Hieronymitanos præfecit, ut Nautas illuc commeantes pietate excolerent. Arces aliæ sunt S. Antonii, *Cabeca secca*, Arx S. Ægidii, in quâ tormenta majora 70. præsidiarii verò 400 *Cascale*, ubi onerariæ stant in anchoris ad 15. vel 20. orgias consistentes, sicut & ad caput lunæ, vulgò *Rocca de syntra*, in lat. 38. 54. ubi mons sacer Varronis, in quo aluntur equi ita veloces, ut commento probabili vulgatum sit apud exteras nationes, vetere sque scriptores equas Favonio flante animalem concipere spiritum & fœtus pernicissimos edere.

Cap. XIII.

Castella nova.

Regio hæc est in meditullio Hispaniæ sita, montibus ex omni parte clausa, cujus *Toledo*, Metropolis. Anno Sal. 577. Rex Gothorum Lovigild⁹, Justiniano Imperatore, Romanas copias, quib⁹ Hispaniensis limitis custodia credita erat, profligavit, regni sedem Hispali Toletum transferri voluit, & Toletanus Rex appellari. Anno dein-

no deinde 716. Universa penè Hispania à Mauris occupata, Toletum similiter Judæorum proditione captum, obtinuerunt ad an. 1085. quo Alphonsus Rex eam occupavit, & Toleti Rex appellatus est, seu Castellæ novæ, ad differentiam veteris, cui jam ex antiquo imperabat, priusquam Veteri nova adcresceret. Tres in ea partes præcipuæ, *Sierra, Algarria, Mancha*: Sierra, id est, montana, fontes Tagi & Sicoris occupat: præcipua urbs *Cuenza*, 40. 7. (Incolæ Caucenses dicti sunt Plinio) Episcopatu, Academiâ, & ædificiis pluribus ornata. Situm habet in montis Orospedæ aspera rupe, cui cathedralis Ecclesia superstructa, & palatium Marchionis Canneræ. Ex rupe innumeri fontes defluunt. Algarria seu campestris feracissima est, rivis Xalon, Tainna, Henares, Mançanares aliisque proscissa, nec non & Tago. Ad fontes Xalonis & Henares habes Medinam celi 41. 19. & amplissimas possessiones Ducum Pastranæ & Infantado. Henares rio oritur proximè *Siqueuza*: urbes alluit Siqueuzam, Hitam, Gadalaiaram, Ascalam, & admissis amnibus Mançanares & Tainna, in Tagum abit 25. minuto supra Toletum. *Siqueuza* 41. 8. Plinio Saguntia urbs est in clivo sita. Episcopali templo divite & ornato clara. *Hita* 40. 55. urbs ampla, pertinet ad Ducem *de Infantado*, qui caput est Mendozæ familiæ, inter Hispanicas primariæ. Ejus Palatium necnon armamentarium in urbe est *Guadalaiara*, quam Ptolemæus vocat Carracam, Antoninus Arricam. *Alcala de Henares* 40. 40. olim Ascala S. Justi Martyrio clara. Complutum Car-

petanorum & à multitudine fontium *Cifuentes* dicta, urbs sita in planitie, figura ovali. Plateam habet insignem porticibus ornatam in quibus divites mercatorum tabernæ, necnon & Academiam nobilem excitatam à Francisco Ximenes præsule Toletano S. R. E. Cardinale Minorita, qui viros doctos magnis præmiis evocavit, Sacráque Biblia Hebraïcè, Chaldaïcè, Græcè & Latinè, accuratissime excudi curavit. Magnus planè vir, qui propter morum sanctitatem & prudentiam singularem, à Ferdinando Rege Hispaniæ gubernandæ præfectus, dum nepos ejus Carolus V. adolesceret. *Mançanaros* rio, quem Nonius vocat. *Guadarama*, quod oriatur è montibus, in quibus urbs ejusdem nominis, & portus per quem ex una Castilia transitur in alteram. Fluit limpidissimus, quod nulla cimba ejus aquam turbet. Pilas subluit pontis Architecturæ singularis, in quo pyramides, obelisci & globi rari operis Cæterùm non tam necessarius est Madritensibus propter aquas *Mançanaris* quam ut æqualis sit via, quod non advertebat ille, qui aut vendendum pontem ajebat, aut emendam aquam. *o vender la puent, ô compar agua.* Madritum *Madrit.* 40. 38. quibusdam Mantua Carpentanorum, aliis Viseria, situm in editiori clivo, Septentrionibus majori ex parte obversum, in solo magis salubri quam fœcundo. Regum Hispaniæ nunc est habitatio, ex quo Philippus II. eam variis ornavit operibus, & ejus exemplo nobilitas sumptuosa sibi extruxit
ædi-

ædificia. Inter publica opera eminet *La plaça*; figura pentagona, quæ ædibus lateritiis pulcherrimi operis cingitur, ad cujus fenestras omnes prominent cancelli ex ferro inaurati, è quibus spectacula cernuntur. Etsi vero nullis hæc urbs cincta sit mœnibus, frequentiusque habitetur in caveis quam in ædibus, non illepidè tamen Joannes Menna Poeta Vernaculus, igne cinctum Madritium suis rythmis prædicat, quod privatorum ædes pleræque pyrite lapide constent. Ad fontes Guadanumæ septem Madritio leucas abest mirandi operis moles egregia & plane regia, quam Philippus II. dedicavit, ut votum solveret quo se obstrinxerat anno 1557. ipso die S. Laurentii in funestissimo Gallis prælio ad S. Quintinum in Veromanduis. Hîc Templum, hîc Palatium, hîc Bibliotheca, nihil nõn regium. Bibliotheca est in superiore parte præcipui introitus Monasterii S. Laurentii longa 185. pedes, lata 32. tota concamerata. Habet autem tria diversa conclavia, in quorum primario depictæ sunt facultates omnes, libri omnes instaurati ejusdemque compacturæ. Inter eos unus est membraneus, omnis generis animalia quæ usquam conspecta sunt exactè suis coloribus adumbrata repræsentans. Alterum conclave meros habet manuscriptos Latinorum, Græcorum, & Hebraïcorum Theologorum; singulisque Autorum suorum imagines præpositæ sunt. Tertium manuscriptis similiter variorum autorum refertum cum suis imaginibus. Australis pars Castiliæ dicta *Manica* trans Tagum sita est, præcipua

pua urbs *Cuidalreal* 39. 8. est trans Anam. Hujus regionis pars maxima pertinet ad Magnum priorem Castiliæ Ordinis S. Jacobi, in cujus ære sunt oppida *Huertas* 39. 39. *Consuegra, Tremblei-que, Osanna* 39. 50.

Cap. XIV.

Anas & Estremadura.

ANas seu *rio Guadiana*, oritur in lat. 39 in agro Laminitano, fluit intet urbes *Cuidal real*, & Oretum Germanorum, oppidum non obscuri nominis, nunc Calatravam, 39. 10. quod à sacra militia plurimùm inclaruit. Duxit illa originem à Cistercienſi Monacho, qui jussu Toletani præsulis, contra Mauros urbem egregiè defendit circa an. 1158. Militibus vestis est rubrâ cruce insignis. Magisterio cedunt aureorum 40. millia quotannis. Hinc eum tractum subit, cui Estremaduræ nomen, quod post Hispaniæ vastitatem, rebus Christianorum resurgentibus, bellique alternante fortunâ, utriusvis partis limes esset extremus. Incolas habet paucos; quod montuosa sit, sterilis & æstatis torridæ. Quidam vocant Bæturiam, quod à Bætica soli felicitate superetur. Ad Palatium Regium, *Palacio del Rey* 39. terræ visceribus se condit, & post 20. minuta, ad Metallinam, *Metelin*, iterum erumpit, planiciem, quam subluit, pecora plurima depascuntur millia. Adit postea Meridam, 39 quam olim Augustus post devictos Cantabros pacatamque Hispaniam condidit in Vettonibus (quorum equites lau-

tes laudabantur) & ab Emeritis militibus, quos in ea constituit, Emeritam dixit, fuitque aliquando Vettoniæ, imò & Hispaniæ Metropolis; nunc in tantam incolarum delapsa est infrequentiam, ut priscæ claritatis nihil præter ruinas ostentet, ipso Archiepiscopatu à Calixto Summo Pont. traducto Compostellam. Sunt præterea in ejus ripa *Badaios* 38. 50. Metropolis Estremaduræ, dicta olim Pax Augusta. 23. ab ea minut. habes in fontibus *Xeres de Badaios*, ex cujus antiqua & nobili familia oriundus fuit Vasco Nugues de Valvola, qui sub Ferdinando Rege gemmas, ex novo orbe primus in patriam transmisit, & post innumera belli, pacisque facinora ab æmulo suo, tunc Castellæ aureæ Prorege, cujus lippientes oculi tantum lumen non sustinebant, falso, ut ajunt, crimine oblato, fuit capite plexus. Elvas verò fertilitate soli & nobilitate civium, ut postremas non tulit, ita olei bonitate sine controversia primas obtinet. In Episcopali urbe *Olivença*, 38. 50. terminatur Portugallia. *Moura* famosum est oppidulũ. *Beia* vel *Bexa* antiquitus Pax Julia, celeberrima fuit civitas Lusitana & Juridicus conventus, in quo multa adhuc antiquitatis monumenta. Castrum *Alcotim* terminus est Algarbiæ, ubi se Anas miscet Oceano, in tres sinuatur portus: qui omnes à nautis frequẽtantur. Ortivo nomen Aimontium, altum mare tribus orgiis medio æstu. Duo alii sunt in parte Occidua, scilicet S. Mariæ & Castromarinum, ubi statio ampla, altumque mare sex vel septem orgiis: vitandi tamen puluilli arenacei, qui ostio prætenduntur.

Transmiſſo Ana portus habes in hoc litore utcumque celebres S. Michaëlis & Palos, quod oppidum eſt ditionis Comitum de *Miranda* ſitum in interiori ſinu, in quem amnes duo influunt. Uni nomen *Rio Odier*, alteri Rio Tinto, qui Comitatum Nieblæ perlabitur, ubi aliqui, ſed perperam ponunt Italicam coloniam. Columbus ex portu *Palos* ſolverat, quando unionum inſulam reperit, & in eum reverſi ſunt è Navalibus operis benè multi, cum ingenti unionum copiâ.

CAP. XV.

Bætis, Andaluſia, Granata.

EX Carthaginenſis Provinciæ media camporum vaſtitate, oritur in lat. 37. 30. mons Straboni dictus Oroſpeda, qui in duo ampliſſima diviſus brachia ad ipſum excurrit Oceanum. Partem quæ Orientem inter & Boream eminet, Tugienſem ſaltum vocat Plinius, Caſtulonenſem Livius, à Tugia & Caſtulone oppidis, in faucibus quibus Loſæ nomen. anno 1212. menſe Julio, Hiſpaniæ Reges Catholici Alphonſus Caſtellæ, Petrus Aragoniæ & Sanctius Navarræ de Miramamolino eam retulerunt victoriam; qua majorem Hiſpania non vidit, Chriſtianis in pugna 25. nec pluribus deſideratis, Maurorum verò ducentis millibus internecione deletis. Brachiorum unum quo Caſtellam novam & Eſtremaduram ſecernit à Bæticâ, Plinio dicitur Mariani montes: nunc verò indigenis, *Sierra Morena.* Lævum cornu per Granatam perpetuo jugo ad

Medi-

Mediterraneum mare porrigitur. Utrumque Calpam & Tarteſſum tanta procurrit aviditate, ut penetrato mari, fretíque anguſtiis tantum non obturatis, Africæ complexum Atlanti junctum appetere videatur. Inter utraque montium brachia, per Bæticam ſeu Andaluſiam, placidus labitur amnis dictus Arabibus *Guadalquivir*, ſeu magnum flumen Cordubæ, Græcis Bætis, quod profundum ſignificat. Eſt enim magnarum navium patiens: oritur ex duplici fonte, uno propè Alcaraſſon, qui Caſtulonem alluit, altero qui Illiturgim rigat, indéque urbes Cordubam & Hiſpalim præterlabens, demùm in Oceanum evolvitur ad Luciferi templum, uno oſtio, duobus olim, quando Nebriſſa & Aſta in Bætis æſtuariis ſitæ erant, quæ nunc ab eo octonis & amplius paſſuum millibus remotæ ſunt, dictæ nunc *Lebrixa* & *Xeres de la Frontera*, niſi Aſtam velis obrutam aquis cum inſulâ Tarteſſo, in Bætis oſtio quondam ſita, & à quâ Bætis reperitur Straboni & Pauſaniæ dictus Tarteſſus. Bætica cunctas Hiſpaniæ Provincias diviti cultu & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit. Hic olim dolia & præſepia ex argento invenerunt Phœnices. Aries Turdulus ad ineundas oves talento emebatur propter lanam ejus generis, quæ in maximo erat pretio: hîc urbes 200. numerat Strabo, hîc Elyſios campos ponunt aliqui ob aëris præſtantiam, hic leges verſibus ſcriptæ ex antiquo, hinc felibus Africanis occidione occiſi cuniculi, qui nihil non vaſtabant. Terminatur Oceano, Mediterraneo & amne Bæti, à

quo

quo ipsi nomen sicut & ab incolis Turdulis, & Turdetanis, Turdetania reperitur nominata à Romanis, qui eam in conventus quatuor divisérunt, Gaditanum, Cordubensem, Astigitanum & Hispalensem. Anno verò 410. dicta est Vandalusia à Vandalis, qui ejectis Romanis, Hispali sedem Regni stabilierunt: Mauri verò duo, Cordubense scilicet & Hispalense. Castulonis vix salva sunt vestigia, putant aliqui situm, ubi nunc Puerto S. Stephani, alii non longè ab Alcarasso, 38.37 ubi nobiles olim argenti fodinæ, nunc plumbeæ. Ut ut sit, condita fuit à Phœnicibus Beotis, & propter fontis Castalii, & montis bicipitis similitudinem, Castulo dicta Hispaniæ citerioris terminus, posteaque urbs Episcopalis. Incertum similiter ubi fuerit Illiturgis. Sunt qui *Iaen* existiment, oppidum vino, oleo, & tritico abundans, & nobilitate frequens. Corduba, vern. *Cordoüa*, 37. 57. inter omnes à Romanis, Duce Marcello in Hispaniam prima ducta Colonia. Illius pomærium amplum, sed raræ ædes. Abundat ære mariani montis & carduis, quorum provētum annuum 150. millibus aureorum æstimant. Hinc oriundi magnus Ozius, uterque Seneca, Lucanus, & Averoës, quorum postremus in ea urbe medicinam exercuit, ut & eodem tempore Avicenna Hispali. Hic in fratrum Prædicatorum cœnobio, ut testatur Joannes Lupus, est campana, quæ sponte pulsatur, quoties hujus loci religiosus aliquis propediem moriturus est. Vigesimo sexto minuto infra Cordubam, Singulis miscetur Bæti ortus in nivosis montibus 12. citer min. supra Gra-

Granatam 37.30. quam interſecat, Regni cognominis *M*etropolim. Duodecim millia paſſuum ambitu ſuo complectitur, Epiſcopi ſedem obtinet translatam ex proxima urbe Illiberi, in qua Juridicus olim Conventus celebris, tanta eſt ſerici copia, ut è ſolis mori arboris foliis, præter multas ſerici libras, Regi 30. millia aureorum cedant in vectigal. Eceia olim Aſtigi 37. 37. eidem amni apponitur ſita in ſolo lanarum & cannabis fœcundo, ſicut & Oſſumenſis ager, in quo arbor nulla, præter oleam, & *M*archenæ 37.32. ubi naſcuntur equi optimi, quos Ginettos vocant. Oſſuna verò oppidum quinque millium focorum Academiâ illuſtre, antiquis Genua urbanorum, nunc caput Ducatus Oſſunæ illuſtriſſimæ familiæ Gironum. Porrò Xenil & Bætis junctis aquis, ad Palmam municipium, *S*evillam, 37.40. adeunt antiquis Coloniam Romulenſem & Hiſpalim, quod ut tradit Iſidorus, in paluſtri ſolo ſuffixis profundo palis ſit locata, emporium jam à *S*trabonis ævo celebre. *M*urorum ambitus eſt paſſuū ſexies mille. Antiſtes illius 100. millia poſſidet aureorum annui reditus. Nulla in Indiam Occidentalem navis vela facit, quæ mercibus & armis illic nō oneretur, vel rediens non exoneretur. Ibidem *Caſa de la Contraction de las Indias*, cui præſunt Conſules 12. Negotialis libellionis acta referunt ab anno 1519. ad annum 1617. è novo orbe advectos 1536. auri milliones. Olivetum urbi proximum ad 30. leucas excurrit. Sevilla, la Veia olim dicta, Colonia Italica, eidem fl. apponitur, 4. min. infra Hiſpalim. Ad eam Herculeius Q. Ser-


torii Legatus cum *Metello* congressus, 20. millia peditum amisit. Ex eo orti Imperatores Trajanus, Hadrianus, *Magnus* Theodosius, & Poëta Silius, dictus inde Italicus. S. *Lucas de Barameda* 37. Luciferi fanum, oppidum est cum nobili statione navium, ubi etiam reperitur salina totius Hispaniæ optima, jacitur anchora ante urbem ad 10. orgias. Ingressus tamen habet difficiles propter arenæ cumulos, in quibus remittente æstu, cum luna cava est, orgias 4. mare vix attollitur. *Xeres de la Frontera*, olim Asta, Regia Romanorum Colonia, sita est in agro vineis, oleâ & segete lætissimo. Incolæ puteos defodiunt altissimos, quibus annonam multos in annos conservant. Alunt etiam equorum greges miræ pernicitatis, quos Ginettos vocant. Ad hanc urbem Duces C. Pompeii à *Cæsare* concisi, Gothíque ad internecionem ultimum profligati à Saracenis, Portus B. *Mariæ*, Straboni portus *Mnestei*, capax & tuta navium statio ad ostium rivi *Guadalete*, quem Florianus vocat Lethem, Arabes Bedalac. Portus Regius 37. 40. interiorem sinum tenet, portui Gaditano oppositus. *Medina Sidonia*, aliis *Methimna*. Hujus loci Dux, est præfectus maris, dictus Allantado, eique subsunt Gibraltar, Tariffa, Vegel, Conil, & S. Lucar. Unde à quibusdam dicitur Dux San Lucarianus. In hujus ditione, inter Gades & freti Herculei fauces, Cetarias habes Thynnorum piscatu nobiles, quippe sedes, ut volucrum quædam, & alii quidam piscium, ita mutant Thinni, mira naturæ solertia in maxime stolido animali. Nam ubi exe-

exegerunt Hyemem in Oceani tepore, gregatim maria interiora petunt ad æstivandum & fœtus exponendos, cum aquæ dulcis illecti copia quam tot flumina devehunt, tùm clementiore aura per æstatis fervorem, plerisque in Euxinum usque subeuntibus, unde post æquinoctium Libræ remigrant in Oceanum, universa cum prole. In hac commigratione multitudo incredibilis, hîc capitur mensibus *Majo* & Junio. Sub capturæ tempus, præter piscatorum turbam & præsidiarios milites, ex universa ferè Hispania Negotiatores confluunt. Habes in litore insulas dictas antiquis Erythræas, Aphrodisias & Gades, vix 700. passus à continente disjunctas; in quarum altera Naucleri mare interius emensi, Herculi, quasi ad extremum terræ limitem fuissent eo Duce feliciter evecti, sacra faciebant. Plurima de illis Authores scripserunt notatu digna. Sed illud non omittendum, Urbem Juliam Gaditanam quæ & Tartessus dicebatur, à Julio Cæsare Romana civitate donatam, ad tantam pervenisse potentiam, ut Rex Juba civitatis illis Duum vir factus, gratiam illam plurimi duxerit, repertique in ea fuerint sub Tiberio censu uno 500. cives equestris ordinis. In templo Herculis asservabatur oliva *Pygmalionis*, cujus fructus ex Smaragdo erant, veris oleis simillimi, optimi pabuli ubertas ea fuit, ut pecorum lac non concresceret, ac præ nimio abdomine suffocarentur, ni quot mensibus vena scissa eliceretur sanguis. Erat & Geryonis arbor, cujus rami præcisi humorem quasi sanguineum sudabant, eo rubicundiorem,

quo

quo propiùs radices cædebantur. Duo item putei memorantur, in quorum uno aqua dulcis, cum æstus se alto incitat, bis quotidie incrementa similia & decrementa suscipit; in altero salsa, cujus vicissitudines ex contrario feruntur, imminutâ aquâ cùm se æstus effert, aucta cùm remittit. Unica nunc est insula Cadis dicta, vix 12. mille passus extensa in longum, cùm 100. passuum millia olim colligeret in ambitu. Tinnorum captura, salinis & navigationibus se utcunque urbs tuetur.

F I N I S.



GEO-

GEORGII FOURNIER, E SOCIETATE JESU.

GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA, PER LITORA MARIS & Ripas Fluviorum.

PARS SECVNDA,

Internum Mare complectitur.

LIBER OCTAVUS

Partem Hispaniæ & Galliæ explicat, quæ apposita est Mari interno.

CAP. I.

Mare Mediterraneum.

INterna maria vocant Latini Auctores, quæ ex Vasto Oceano per freta terrarum penitiora ingrediuntur. Inter hæc principem locum tenet, quod per Fretum Herculeum infunditur, & per incurva Europæ, Asiæ & Africæ litora, ab Occidente in Orientem, ad oras usque Syriæ longè lateque expanditur. Hinc dicitur Mediterraneum, quod terram antiquis cognitam secet quasi mediam. Mare magnum vocant Scriptores, cùm sacri tum prophani, quod nullum majus nossent

ejus accolæ, præſertim Paleſtini, qui & illud mare Noviſſimum & mare Occidentis ſępius appellaſſe noſcuntur; imò & mare Tarſis apud Jonam. Varia denique à Provinciis, inſulis & populis ſortitur nomina, quæ ſuo ordine ſingula referemus. A Gadibus ad Alexandriam Syriæ, qua patet longitudo ejus maxima, eſt MIↃCCXV. Latitudo Hipponem inter Regium in Africa, & Genuam in Liguria CCCCL. Ita recentiorum tabulæ accuratiores, cum Strabo ipſi tribuat, duodecies mille ſtadiorum longitudinem, & latitudinẽ quinque millium ſtadiorum. Ab Ponto Euxino verſus Ægæum tendenti, ſenſim creſcit ejus profunditas, magiſque etiam verſus Tyrrhenum & Sardoum. Indeque ad Herculis columnas, ubi omnium eſſe altiſſimum mare, jam olim docuit Ariſtoteles. Ajunt verò Capella, Plinius & Seneca, Montes Calpen & Abylam, perpetuo jugo conjunctos, ab Hercule ſeparatos, & inde Oceanum, mole montis ante retentum, in medias exundaſſe terras, anguſtoque freto Europam ab Africa ſeparaſſe, quod non perſuadent. Nubienſis Geograph⁹ multo minus, cum id adſcribit Alexandro Magno, qui cum ad Andaluſię populos perveniſſet, & videret mare Damaſcenum (ſic enim vocat Mediterraneum) in inſtar ſtagni undique clauſum, imperaſſe, ut interjecta regionibus Tangiæ & Andaluſiæ, terra foderetur, ducto alveo, firmatiſque utrinque aggeribus, lapideo muro, per millia paſſuum XII. quibus tenebroſum mare, id eſt, Oceanus à Damaſceno diſtabat. Cumque duo illi aggeres removerentur ab

tur ab invicem, tantum per ſex millia paſſuum; Oceanus quâ datâ portâ irruens in mediterraneum, multas civitates hauſit appoſitas litori, ipſoſque aggeres, orgiis 11. ſuperavit, imò Africanum aggerem evertit penitus. Qui verò in litore erat Europæ, tranquillo mari adhuc apparebat ante annos non amplius quingentos, quando illius longitudinem Albarius Arbs menſus eſt; aitque idem Nubienſis Geographus à ſe conſpectum, & ab incolis dictum Alcantara. Nugæ. Nuſquam enim legitur Alexander eò perveniſſe, & longè ante Alexandri tempora Phænices, Carthaginenſes, aliique per fretum illud, in Oceanum penetrarunt. Hujus maris initium ab Herculeo freto ductum, rectâ lineâ in Orientem fertur uſque ad Syriam: qua verò divertit ad Septentrionem, Helleſponti primò anguſtiis arctatur, inde Propontidis laxatur litoribus, rurſus in Thracium Boſporum cogitur, ex quo in pontum Euxinum ſeſe expandit, à quo per Boſporum Cimmerium paludi Mæotidi committitur. Sed hæc verbo dicta fuſius dilatemus, ſic tamen, ut abſtineamus à quæſtionibus infinitis, quæ ſpectant ad naturam, motum, colorem, gravitatem & innumera alia ſcitu digniſſima, de quibus egi in libris 20 meæ Hydrographiæ.

CAP. II.

Ibericum mare.

SIc appellatur ab Hiſpania, quæ olim Iberia dicebatur, vel ab Ibero fl. qui in hoc mare evol-

evolvitur in lat. gr. 40.10. vel ab Ibero Rege, vel ab Iberis Asiæ populis. Hispaniam alluit ad austrum & ortum, ab ipsis scilicet Gaditani freti faucibus, ad Leucatam in Volcis Narbonensib⁹, per millia passuum 1080. si extima & inflexa legentes litora, totum spatium metiamur. Hujus partes præcipuæ sunt Herculeum fretum, & Balearicum mare. Herculeum fretum sic vocatur propter rationes dictas cap. præcedenti: longitudo ejus olim 15. millia passuum efficiebat: latitudo, quâ brevissimus trajectus, vix septem. Nunc verò longitudo, â capite Trafalgar ad caput Gibraltar est 24. millium, latitudo 12. Idem Gaditanum fretum à Gadibus vocatum est, quæ insula fauces freti egressis ad dextram in Oceano occurrit. Dicitur & Tartessiacum fretum, ab urbe Tariffa, sita in lat. g. 36. m. 3. quæ, si velis credere Goropio & Pinedæ, Tartessus est antiquorum, & regnum Tharses, quo Rex Salomon sicut & in Ophir classes mittebat, ut aurum argentumque hinc aveherent. Tariffa nunc portus est utcumque munitus: ante portum insula est, & infida statio propter pulvillos arenæ, vitandaque rupes minutis 6. distans ab insula ad hypafricum: latet illa pedes novem sub aquis, quæ hîc perflante vento ebulliunt. Sequitur Algariza, urbs sita in intimo sinu Calpes, ubi ex faucibus angustis panditur mare, in quo murices olim & purpuræ librarum 10. à piscatoribus repertæ, quin & Polypus 700. librarum. Carteiam ad Oceanum vocat Livius: putatur condita ab Arganthomo Rege, quem vixisse CL. annis tradit Anacreon. Hîc

Pom-

Pompejum, post sinistrum ad Mundam prælium fugientem, naves conscendisse refert Strabo. Cajus verò Lælius, pugnaturus adversus Hannonem, Carteia solvit, eodemque cum classe victor rediit. Denique inter Argerisam & Tarifsam commissum est prælium, in quo Alphonsus XI. adjuvante Alphonso socero suo, victoriam retulit nobilem de quinque potentissimis Maurorum regibus, quorum spolia D. Virgini ad Aquas Lupias obtulit, circa an. 1340. Appellatur etiam Estrecho de Gibraltar à Pœno Gebal Tarik, qui è Mauritania venit, & Urbi nomen dedit. Sita est in lat. 36. 5. ad radices montis Calpe, cum priùs Heraclea in memoriam Herculis diceretur. Inde generosum vinum suavitate gratissimum evehitur. Insignis est portus, solum in plerisque planum, altumque mare orgiis, ut minimum sex: munitur castello duplici: ad Occidentē pulchra est statio ad fundandas naves anchorâ. Sed Lybicus ventus recta eodem spirat. Distat à portu Ceuta ipsi opposito ad Mesophœnicem Geographicis minutis 24. Succedit ad Charidemum promontorium litus pluribus speculis & nocturnis facibus collucens: præcipuæ navium stationes censentur Estepona 36. 18. & Marbella 36.29. ubi jacta anchora ad orgias 10. vina & passos fructus tibi comparabis. Malaga 36.47. Episcopalis est civitas, propugnaculis munita, & duob⁹ castellis nec non & armamentario, ex quo omnia suppeditantur necessaria urbibus, quas Hispanus possidet in litore Africano. Mercatores vindemiæ tempore propter oleum, vinum, fru-

T ctus

ctus passos, & Galeas eò confluunt. *Montium* porro Vertices ita præcelsi sunt ut urbs Tanger in Africa hinc videatur. Ad eam labitur in mare *Guadalqueviero*, Ptolemæo Seduca, amnis qui Cartamam municipium alluit, ortus è palustri & voraginoso solo ad *Mundam* 36. 45. Turdetaniæ Metropolim, juxta quam, Cæsar filios *Pompeii* profligavit, & finem bellis civilibus imposuit. *Torres* 36. 48. municipium ad quod, mari se miscet *Rio Frio* descendens ex asperrimis, sed cultissimis Granatensium rupib⁹; in quibus thermæ, nervorum affectibus saluberrimæ. Castrum alluit Almunecar, in quo Mauri Reges, filios & fratres, habebant in custodia. Est & aliud castellum mari affusum. In quo iidem suos asservabant thesauros. Sequitur Almeris quæ ex Abderæ ruinis crevisse putatur, & nomen accepisse ab Almarico Gothorum Rege qui Hispanis præfuit cum à Childeberto Francorum Rege, bello petitus fuga salutem quærens ibidem interfectus est. Ager fructibus abundat & oleo. Urbs sita est in lat. 36. 55. in interiore sinu, in quo statio est tutissima ab Oriente Subsolano & Africo subvespero, stratumque aquis solum ubiq; mundum 15. ab ea minutis ad austrum removetur, quod ab Achatis, quorum iis locis magna est copia, nomen habet promontorium, & à Græcis olim, quoniam ii lapides ad conciliandam gratiam valere crediti sunt, Charidemum vocabatur. Ad Mesafricum promontorii, scopulus est cæcus, novem pedibus sub aquas abditus.

CAP.

Cap. III.

Murciæ regnum.

MUrciæ regnum paucas habet habitationes, ob montes & ariditatem ſoli, quod abundat tantùm malis citreis & ſerico. Navium ſtationes præcipuæ ſunt Caſtellum Almacaron abundans alumine, ad quod Rio *Guadalentin* miſcetur mari. Oritur ex monte Oroſpeda & Lorcam alluit grande municipiū. Carthago nova Pœnorū eſt opus, qui hanc urbem in belli ſedem delegerant, quod ſinus hic eſſet quantævis claſſis capax. LXII. hinc populi jura olim petebant exceptis inſulis. Erant & argenti fodinæ, ex quibus 400. homines 25. drachmarum millia per dies ſingulos reddebant. Hæc urbs à P. Scipione oppugnata & capta eſt, ſimulque cum eâ tota recepta Hiſpania. Urbis clariſſimæ vix tenuæ ſupereſt veſtigium. Nam iterum everſa eſt à Vandalis & à Gothis ſolo æquata, juridicuſque conventus Toletum migravit. Philippus tamen 2. hanc denuò muniendam curavit, ne à piratis, aut Turcis occuparetur. Portus enim hodieque commodus, licet minus quam priſcis temporibus. Nam Scombriam inſulam quæ portui objecta erat maximam partem fluctus corroſerunt, latentque brevia ad Meſafricum. Epiſcopalis tamen urbs eſt ad hanc diem. Magna ibi copia Sparti colligitur manibus armatis, ex quo indigenæ veſtes, calceos, caſas & ignem conficiunt, fit & Scombrorum opulenta piſcatio. Cap. de palos

promontorium dictum ab antiquis Scombrarium Herculi Saturno Sacrum fuit. In extremo ipsius vertice Pharus eminet in latit. gr.37. m.30.

Ad caput Guardamar labitur amnis Segura, aliis Staderus, Sorabis, & Setabis, qui terminus est Taraconensis Provinciæ. Oritur è montibus Orospedæ, minutis 80. ab ostio. Caravacam rigat oppidum, in quo servatur S. Crux è cœlo delapsa Sacerdoti sacra facturo. Urbs crebris tempestatibus licet quatiatur, Turris tamen in qua asservatur illa crux non movetur, ut habet Joan. Nierembergius. Hinc cruces toto orbe celebres & fulminum amuleta. Alluit & Murciam, postea que Horquelam quæ putatur Orcelis Bastetanorum Ptolemæi, sicut Murcia creditur Menlaria Contestanorum, quibusdam Murga, obscurum olim oppidum, postea tamen regni caput, situm in planitie amœnâ, magna ubi bombycum copia. In eo sepultus Alphonsus X. cognomento sapiens, decus Astronomiæ, qui ex Rege Castellæ factus Imperator Occidentis cum sponte molem Imperij deposuisset, eum in Hispaniam reversum sola recepit Murcia cum Hispali. Ad Sanctium enim filium reliquæ defecerunt. Hanc à Saracenis olim receperat.

Cap. IV.

Valentia.

Valentiæ sive Regnum, sive Provincia, dividitur ab regno Murciæ Segurâ: ab Catalania verò, Ceniâ amnibus, rigaturq; rivis aliquot, qui

qui in Sucroniensem sinum & Illicitanum labuntur. Sic dicitur ab amœna urbe Contestanorum, sive Edetanorum Valentia. Jacobus Aragoniæ Rex hinc expulit Zahelem Regem Saracenum. Patet in long. 60. in lat. ubi maxima, 17. leucas, continet civitates 4. municipia 60. pagos 1000. centum millia familiarum, qua veterum Christianorum, qua Maurorum conversorum, quos vocant Moriscos, qui optimi sunt agricolæ, parci admodum in victu & vestitu. Fodinas habet argenti, ferri & alabastri. Vascula item fiunt porcellanea, Italorum æmula. Secundùm oram maritimam Carolus V. 27. turres locis opportunis fabricari curavit, in quibus duo pedites & unus Eques jugiter excubant, ut piratarum & hostium adventum speculentur. Versus Cataloniam montibus aspera est regio; serici tamen, olei, vini, pecorúmque est dives. Putatur amœnissima pars totius Hispaniæ. Irrumpentis aquæ in continentem procursus ad oppidum Alicante, Pomponio Alone, Antonino Illicis, celebre municipium in Contestanis & colonia immunis, ut habet Plinius, à qua & Illicitanus dictus est sinus. Jacitur anchora ad 6. vel 7. orgias ante urbem. Ad Austrum ipsius insulam habes D. Paulo sacram. Est & alia insula 20. minutis hinc remota: quæ dicitur Benidora, Caput S. Martini Promontorium antiquorum scriptis celebratissimum, Ptolemæus Tenebrium vocat ab oppido ejusdem nominis, quod constituit in extremo ejus angulo. Ferrariam dixit Mela, quòd in propinquo essent ferri effosiones admodum feraces,

ut ex Strabone colligitur. Plinio Dianium Artemisium, Isidoro Zantum & recentioribus Artemus, quòd hic Dianæ Ephesinæ templum frequenti religione cultum ædificassent Phœnices, qui Dianiam coloniam constituerant. Strabo li.3. vocat Hemeroscopium seu diurnam speculam, quod una hîc emineret in extremo colle sita. Nunc tres habet mari imminentes, quæ longinquum navigantibus prospectum præbent. In extremo ejus angulo ex Oceano emergit insula, quę puluillo arenacæo jungitur promontorio, & naves impedit, quo minùs inter ipsam & promontorium vela faciant.

Sequuntur Promontorium sancti Antonii & oppidulum Xabea, necnon Denia Phocensium Massiliensium, qui totum hunc tractum occuparunt. Q. Sertorium hoc oppido ad res maritimas usum esse, dirutam urbem suo ævo tradit Avienus. Nunc est Marchionatus 450. focorum, arcem habet munitam, portus in ea mediocris, quem tamen externi nautæ non subeunt, nisi priùs exploso tormento Navarchum loci incolam evocent, à quo in portum deducantur. *Oliva* oppidum est Comitatus ditissimi caput, qui pertinet ad Duces Gandiæ. Gandia urbs, caput Ducatus cognominis familiæ Borgias, ex qua prodiere Summi Pont. duo, multi Cardinales & Frãciscus Gandiæ Dux & Cataloniæ Prætor, qui spreto seculo factus Societatis nostræ Generalis, cum ob innumeras animi dotes & vitæ sanctimoniã, tùm maximè ob incredibilem animi demissionem meruit in Beatorum album referri. Sita est urbs

urbs ad ipsum penè litus *Xucar Rio* antiquis Sucro, & sinus Sucronensis, oritur è montibus Orospedanis in Castella nova, in lat. 40. 6. ex monte cui imponitur urbs *Cuença*, alluit Xatinam urbem fontibus irriguam tria circiter focorum millia capientem, quæ putatur Setabis Contestanorum Ptolemæi. Sudaria ejusdem commendat Catullus in Hendecasyllabo in Asinium, quod tenuissimi lini proventu tunc esset celebris. Inde labitur ad Alziram, seu Algeriram, oppidum ab Arabibus sic dictum, quod in insula Sueronis sit positum. Evolvitur in mare in lat. 38. 48. ubi vicus Cillera nautis Coglera, cujus statio ab omnibus improbatur. Ad hujus ripas fuisse Sertorium clade affectum, & castris exutum à Pompejo habet Salustius. *Albufera* amœnum est stagnum ad maris litus inter Sucronem & Turiam fluvios, plenum canneto & avibus palustribus. *Guadalviar Rio*, id est pura aqua, Plinio Turias, aliis Duria fluviolus, nemoribus & flosculis à fonte perpetuis, ab ipso monte Idubeda ad ostium usque coronatus; olim Sedetanorum & Contestanorum, nunc Aragonum urbes præterfluit Albazarim in tumulo sitam, Tervel 40. mercimoniis celebrem, Villar & Valentiam; labitur in sinum Sucronensem ad oppidulum Grao, ad cujus litus appellunt naves quam proximè, orgiis octo evectæ. Valentia 39. 28. urbs ter mille passus à mari distat Archiepiscopatu optimo, D. Vincentii Martyrio, Pompejo qui eam æquavit solo, Sertorii affectu, qui eam restituit, Roderici & Jacobi Aragonum Regum, qui eam

ſibi à Mauris vindicarunt, bellicâ fortitudine, S. Dominici ſtudiis, Vallæ & Ludovici Vives in cunabulis, ſolo irriguo, exterorum commercio celeberrima. Laudatur certè incolarum pietas, qui collecta corpora & oſſa damnatorum in commune civium cœmeterium facta ad patibulum ſupplicatione ipſo die S. Matthiæ honorificè dedeferunt, teſte Marinæo Siculo

Sequitur in litore *Morvedro* 30. 40. ubi adhuc viſuntur reliquiæ amphitheatri, ad gradus 50. conſurgentis. Saguntì urbis conſtantiâ & fide in Romanos clariſſimæ tenuè veſtigium ad oſtium rivi *Morvedre*, antiquis Uſuba, qui & Segorbiam alluit urbem Epiſcopalem, ex qua olim Romam marmora devehebantur. In urbe Sagunto ajunt templum olim Dianæ poſitum, ducentis annis ante Trojam exciſam, cujus Trabes ex Junipero ad Veſpaſiani tempora integræ perſeverarunt. Meminit præterea Delrius in urbe Morviedro ante annos 100. vetulæ Abbatiſſæ edentulę reſtitutam juventam, crines denigratos, renovatos dentes, ſulcos frontis æquatos & compactas mammas. *Oropeſa* 40. 4. caput eſt Nautis celebre, quòd & magnæ ſit proceritatis, & plurimùm in mare promineat. In illius parte Occidua, ſtatio eſt optima, & caſtellum in colle ſitum. *Peniſcola* 40. 20. Ptolemæo Cherſoneſus, munimentum in ſcopulo Pyramidali ſitum, penè undique mare alluitur, Benedicti XIII. latibulo inclaruit, cùm Romana Eccleſia ſchiſmate laboraret ſub Sigiſmundo Imperatore. Ad Orientem, proximè oppidum, poteris jacere ancho-

anchoram ad 10. orgias. Benicardo oppidulum est ad ostium rivi, qui oritur min. 18. supra ostiū non longè ab amplissimo municipio, quod à S. Matthæo denominatur Alphaice Nautis *Alfagues* de Tortosa insula est humilis ad ostia Iberi sita, quæ alto mari fluctibus tegitur. Plana est navibusque farciendis apta. Sinum habet commodum, in quo turris eminet D. Joanni sacra. Jacitur anchora ad orgias 6. vel 7. multæ naves in hac ora sale onerantur.

Cap. V

Iberus & Alava.

E*Bro rio*, Latinis Iberus, oritur apud Cantabros, non procul ab *Aquilar del Campo* ex binis fontibus, incolæ *Fontribre* appellant, quasi fōtes Iberi: hinc est, quòd eum vocat amnem Cantabrum, Eulogius, Prudentius verò Vasconem. Inter Pyrenæos & Idubedam montes æquo ab utriusque disjunctis spatio, Regna sive Provincias perlabitur Alavam, Rioiam, Navarram, Aragoniam, & Cataloniam. Fluit teste Plinio per 450. mill. pass. navium tolerans per 250. duobus ostiis, facta Alphaice insula, in Mediterraneum profusus ad 50. passus adhuc dulcis hauritur. Ejus aqua reddit manus candidiores & faciem molliorem. Nomen habet ab Iberia urbe, totius Europæ olim præstantissima, quæ hodie putatur *Elix* 41. 12. Prima, quam decurrit, Provincia est Alava, pars olim non Cantabriæ veteris, sed Vardulorum, quorum urbs primaria dicta Ptolemæo, & Plinio Alva seu

Alba. Complectebaturque olim partem Riojæ. Biscajam & Ipuscuam. Vasconum nomine sępius est designata: paruit aliquando Regibus Asturicensibus, posteà Pompelonensibus, tandémque Castellanis. Definitur nunc, Ipuscua, Navarræ montibus, Castella vetere & Biscaya; inter nobiles familias eminent *Mendocana* & Guevarrea. Episcopatus Alavæ olim fuit Armenti, qui nunc vicus est obscurus, distans Victoria tantùm media leuca, indeque primò translatus Calagurrim, tandemque Victoriam, quæ nunc caput est Alavæ, cùm olim tantùm vicus esset dictus Gesteiz, quando ad eum Sanctius Major Pompelonensis Rex ob victoriam à se ibidem reportatam nomen mutavit & Victoriam dici voluit. Alia oppida sunt Harum, vern. *Haro* nobile dominium ad fl. Oja, qui hic cadit in Iberum. Trevennium & *Miranda*. Navarrici etiam Regni Provincia fuit Rioja, quæ in hanc diem tria habet oppida Juliobrigam, vern. *Logrono* à Rege Sanctio muris cinctum ad Iberum, Varcam & Najaram caput Ducatus, cum circumpositis vicis & agris Burenam versus. Alluuntur præterea ejus aquis, Juliobriga Vaccæorum, hodie Logrono, 42. 44. Calagurris Calahorra 42 35. Quintiliani patria, fame quæ dicitur Calagurritana celebris, quando ex salitis cadaveribus vitam produxerunt obsessi à Pompejo, Duce Afranio. Ex ea sui corporis custodes delegit Augustus. Tutelam à qua non multùm distat *Mons* Caunus, vulgò *Mon Cayo*, in quo si oves pascantur ante solis ortum, dubio procul intereunt, jam

olim

olim celebris propter Cacum Vulcani filium, & pugnam quam Gracchus cum Celtiberis produxit à primâ luce ad sextam. Ad ejus radices Turiasso, vulgò *Tarrazona* 42. 10. urbs Episcopalis in Castellæ & Aragoniæ limitibus. Cæsar-Augusta, *Zaragoza* 41. 40. urbs Aragoniæ Metropolis, ædium nitore nulli secunda vern. *Zaragoza*: in ea asservatur columna ex qua D. Virgo, ut volunt, se visendam præbuit D. Jacobo. Hinc oriundi Antonius Augustinus, & Hieronymus Surita omnibus literatis benè noti. Villiæ in Cæsar-Augustana Diœcesi campana est, quæ sponte sonum edit, quoties Christiana res detrimentum aliquod insigne passura est: de ea vide Marianam lib. 21. Tortosa antiquis Dertosa 40. 20, ex reliquis antiquæ Iberiæ condita.

CAP. VI.

Aragonia & Amnes in Iberum influentes.

A Tarraconensibus Aragoniæ nomen aliqui deducũt, alii ab Aragone fl. Terminatur amne Cingâ, Idubeda & Cauno montibus & Aragone fl. Metropolim habet Cæsar-augustã. Solũ nitrosum est, & aquarum penuriâ laborat. Sunt tamen valles aliquæ feracissimæ frumenti. Quibusdam in montibus hîc reperitur sal miræ dulcedinis, quem diceres Saccaro temperatum; reperiuntur & lapides ejusdem coloris & magnitudinis cum oleis, imò & nonnullis sic efformati

in Coturnices, ut arte elaboratas crederes. Inter rupes sunt quædam angustiæ, quas vocant portus Seccos, sicut & in Navarra & Valentia, in quibus solvuntur vectigalia. Arvasius ob rem præclarè gestam contra Mauros ad fl. Aragonem, Comes Aragoniæ creatus est primus à Garcia Inigo Rege Navarræ; Postea Sanctius Magnus hunc Comitatum evexit in Regnum, in gratiam Ramirii Regis, qui postea Regna Sobarbiæ & Ripargorziæ eidem junxit. Porrò Iberus fluvios excipit præcipuos quinque, Sicorim, Salonem, Aragonem, Aragum & Egham, ad quem urbs Stella à Sanctio Rege Aragonum condita, nunc in eo tractu comprimis nobilis. Aragus Pompelonem alluit urbem, quam Pompejus ad triumphum festinans inter Vascones condidit, quæ nunc est Metropolis Regni Navarræ sita feraci solo, firma muro & duplici castello munita. *Aragon,* qui Regno dedisse nomen creditur, & oppida alluit Jaccam, pentagona munitam arce, Fanum S. Joannis. *S. Iuan de la Penna,* ubi sepulcra Regum Sobarbiæ; Sanguissam, ubi miscetur rivus, qui ex Roncevallis labitur montibus, transitu Gallorum & clade celebribus, nec non Olivam. Salon Celtiberiam alluit regionem, sic dictam à Gallis, qui cùm diu pugnassent cum indigenis, de hoc nomine convenerunt: Fuit deinde adeò populosa, ut in iis 300. sive urbes sive turres everterit Tiberius Gracchus. Eorum fortitudinem docuit Numantia: ajunt dentes & totum corpus quotidie urina fricasse, & corpora occisorum in bello volucribus tradidisse. Fl. Salo

miram

miram vim habet in durando ferro. Urbem alluit Aragoniæ Calatajubam fœcundam frumenti, vini, & olei, armorumque & ferri præstantia nobilem: putatur condita ex ruinis Bilbilis, quæ fuit patria Martialis. Ad Calatajubam Saloni miscetur Xiloca fl. qui Darocam alluit op. in quo sacra asservantur corporalia, ostenditurque saxum (quod non malè refert hominem) in quod mutatum ajunt Sacerdotem, qui coram sacris Hostiis pejerans, optaverat in saxum rigere. Sicoris denique fl. bello inter Cæsarem, & Pompeji Duces Petreium, & Afranium gesto, notissimus, Urgeliam alluit & Leridam, olim caput Illergetum, nec non Olianam oppidum, in quo ædes virginis, ad quam quotannis mense Martio, die Veneris aliquo, ex insula, quam fl. Sicoris efficit, exurgunt tria Luminaria cærulei coloris, quæ basilicam subeunt per fenestras, accendunt luminaria, moxque egrediuntur & disparent: hanc ædem vocant Castel-Vedrensem. Idem Sicoris Cingam excipit fluvium, qui *Balbastro* alluit urbem nobilem, & *Monçon* oppidum, ad quod Regni Comitia celebrantur, & singulis tribus annis ajunt Regem Hispaniæ debere se conferre, ad exigendum tributum Aragoniæ, Valentiæ, & Principatus Cataloniæ: Huescam denique antiquis Oscam victricem in Illergetibus Academiâ illustrem. Conditorem urbs Sertorium agnoscit, ibidem loci à Perpenna interfectum. Cingæ miscetur rivus, qui lapsus ex oppido & valle Broto, urbem rigat Ainsam, caput olim Regni Sobarbiæ.

Cap. VII.

Catalonia.

UTrum hoc nomen à Castellanis deducatur, an verò à Gothis vel Catis & Alanis, quidem percontantur. Cataloniam tamen quasi Gothaloniam dictam plus probabilitatis habet. Ejus fines sunt amnes Sorabis & Cinga; montes Pyrenæi & Mediterraneum. Regio sterilis, fructuum magis quam frugum abundans, imò coloni Agriculturam, pecuariam & artes mechanicas, viles ducunt. Putantur illic supra 100 millia Gallicæ originis, qui ea curant, quæ indigenæ respuunt. Maxima hîc copia Suberis, cujus cortex præcrassus & renascens. A Carolo Martello & Francis Regibus, diu Comites accepit, qui dicebantur Barcinonenses, fueruntque Franciæ clientares, etiam posteaquàm Raymundus Berengarius Reginam Aragoniæ duxit uxorem, donec Philippus Audax eos solvit hoc debito, quando Aragonius ditiones, quas in Gallia possidebat, cessit Gallis. Solventibus ostio Iberi, mox occurrit litus D. Georgio sacrum, in quo nullus portus, domus nulla, proptereaque locus Piratis Turcis gratissimus, in quo naves quæ Catalonia & Balearibus solverunt, præstolantur ad prædam. Rursum post millia passuum octo, procul eminet rotunda turris nocturnis ignibus deputata, albicanti scopulo imminens, ad cujus occasum versus rudera eversæ arcis bona est statio, tuta à pluribus ventis. Anchoram jaciunt

nautæ

nautæ ad altitudinem orgiarum 7. vel 8. Hinc petes Tarragonam, portum jam olim celebrem Scipionis classibus. Pharus eminet in turri quadrata, ad cujus Orientem solem statio est navibus tuta. Urbs fuit Hispaniæ citerioris nobilissima, & Provinciæ cognominis Metropolis, ex qua prodiisse putatur Editum Augusti Cæsaris, ut describeretur Orbis, de quo Luc. 2. Archiepiscopatum habet celebrem, Toletano, ut aliqui volunt, priorem. Ager abundat pecore, vino oleo, frumento. Vix tamen domos 500. in urbe numerabis. Ex ruinis Amphitheatri constructum nobile templum D. Virgini *del Milagro*. Ab Tarragona ad ostium Rubricati amnis continui, sunt montes rupicosi per declivia cautium in formam graduum distincti, quos vulgus vocat scalas Hannibalis. Nec in toto hoc tractu quicquam videbis, præter Pharum in colle & oppidulum *Tamaril*, in colle situm. *Lobregat* Rubricatus Ptolemæo, propter arenas rubras, quas perlabitur: à Pyrenæis dimittitur, & per Bagutos in Lacetanos lapsus Issentium circuit agros, Solsonam alluit & Cordonam Ducatum, in quo mons est, cujus terra farinæ similis apparet; fons verò cujus latices rubri ad instar vini. Sal præterea in eo partim candicans, partim crystallinus, cæruleus, viridis, croceus, ruber qui contusus evadit candidus. Salsissimus est, perenniter crescit, nec pinis, aliisve plantis officit. Lambit denique Manrezam & radices montis altissimi, ex cujus vertice despectus est in Baleares. Serratum dicunt, quòd ejus circuitus in similitudinem

serræ

ferræ compositus benignum præbeat ascensum. Sacer est Supremæ Virgini, ob vetustissimum ejus simulacrum abditissima in spelunca inventũ ab Opilionibus anno 880. Nautis Pharus certissima. Pelagus ingreditur in Barcinonis occiduo litore, ex quo ann. 1343. Rex Aragonum Baleares petiturus solvit cum 106. navibus, Moniivi Nautis *Iuve*, *M*ons Jovis, qui olim portum, nunc speluncam tantùm præbet Barcinonensibus, & Nautis *P*harum nocturnam. Inexhausta hic & perennis laudatur lapidicina, crescente sic materia & cicatricem obducente naturâ, ut nihil penè videatur excisum, licet infinita quotidie petatur materia. Vario ornatur fontium & fructuum genere. Barcino navale jam olim celebre, in eo jacitur anchora ad 9. vel 10. orgias, condita urbs ab Hercule, nomen accepit à Barcinone fratre Hannibalis. Regia fuit Araulphi Gothorum Regis. In ea sepultus Comes Berengarius, qui 12. Maurorum Reges vicit. *M*etropolis nunc est Catalaniæ; vitri conflandi peritissimos habet artifices. Hortensium leguminum ferax est ager, sed frumento caret & oleo. Cabo Dragonis vel Dagofredi ab aquâ frigidâ, Lunarium promontorium antiquorum, nautis omnibus celebre, ex quo velificationis lineas in celebriora *M*editerranei maris loca dirigunt. In summo ejus vertice ædes eminet D. Sebastiano sacra. Inter Barcinonem & hoc promontorium cernitur oppidulum Palamos, cujus portui agger prætenditur, objectaq; moles ad quam jacitur anchora ad 10. orgias. *Tec rio* Ticer Plinii oritur in convallibus

Pyre-

Pyrenes & per Ausetanorum confragosa loca in plana decurrens, postquàm urbes alluit Vicum & Gerundam, auctus amnibus Unda & Nudario, Indicetum agros circuit, & versus cirneum montem, miscetur mari ad Bajam *de Rosas*. Girona urbs est Episcopalis, *M*usis chara, opificum numero locuples, parva quidem, sed utcunque valida. Baja de rosas sinus est in his partibus amplissimus, promontoriis Aphrodisio & Lunario, quasi brachiis in mare procurrentibus inclusus, sic dictus à Rhodopoli, à qua & promontorium Aphrodissum etiam dictum est Rhodope, tutissimus portus ab omni vento præterquam Euro Vulturno; cavendi tamen scopuli duo in meridionali latere, insularum Medarum reliquię, anchora fundandæ naves in latere Septentrionali ad altitudinem Orgiarum 7. In eundem sinum evolvuntur præterea amnes Sambroca & Clodianus ad oppidum Emporias à Massiliensibus olim conditum in insula Palaiopoli, posteaque in continentem translata. Ad eam M. Cato Hispanorum 40. millia cecidit. Ager sparti ferax est. *Cabo de Creos* à Sancta Cruce denominatum, dictum olim Rhodope & Rhodopolis & Aphrodisium promontorium, Pyrenæorum & Galliæ Narbonensis terminus. In summo ejus vertice turris eminet rotunda, ad quam statio est tuta & jacitur anchora ad Orgias 15. vel 20. Ab hoc promontorio ad promontorium Olearsonem excurrunt Pyrenæi per leucas 80. inquit Nonius, & hic est terminus litoris Iberici.

Cap. VIII.

Mare Balearicum.

SIc appellatur Mare Mediterraneum, quo insulas circumluit Baleares dictas, vel à Baleo Herculis Comite, ut habet Florus, vel *para to ballein,* à Jaciendo. Unde Balistæ & balearis verbera fundæ. Ajunt quippe Plinius, Florus & Lycophron, pueros à matre cibum non accepisse, nisi quem ipsa monstrante, fundæ ictu percussissent. Addit Strabo & Diodorus, proficiscentes ab bellum tribus fuisse instructos fundis. Longiori ad ictus longè dirigendos; breviori, quâ ferirent ex propinquo, & mediocri ad modicum intervallum. Unâ caput, alterâ ventrem cingebant, tertiam manu gestabant. Dictæ sunt à Græcis Gymnesiæ, vel quod nudi (secundum Lycophronem) illuc facto naufragio appulerint quidam ex Bœotis, vel quod nudi incederent Incolæ. Ajunt præthereà duos leporum catulos in eas ex ulteriore ripa portatos, masculum nempe & fœminam, ita prole auctos fuisse, ut domos cuniculis factis subverterent & arbores, qua de causâ coactos esse Legatos Romam mittere qui peterent regionem, qua sedes mutare possent. Certè si quibusdam Græcis septem gymnesias ponamus iis Pityusas & minores aliquot juxta positas accensebimus, à Pineto frutice nomen habent, earumque duæ præcipuæ. Uni nomen Yuica, alteri Colubraria. Solum omnium, serpentes necat. Ex terebintho olim parabant

oleum.

oleum. Egregiè felices sunt & fœcundæ, ferunt que armenta omnis generis. *Piratica* olim vivebant incolæ. Carthaginenses postea, mox Romani Duce Metello, postmodum Saraceni, denique Jacobus Aragonum Rex eas sibi subjecerunt. Ebusus 10. circiter millia passuum in ambitu continet, ager fertilis & salis abundans copia. Præcipui duo portus sunt in parte Orientali. Uni nomen à S. Hilario, ubi castellum & turres duæ & statio commoda, alteri nomen Yuica, ubi oppidum cum castro olim Ebusus dictum Carthaginensium colonia. Ab Ebuso mediocri freto dividitur frumentaria antiquis Ophiuca, inculta ob serpentes omnibus perniciosos qui terram Ebusianam secum non ferunt. Major Balearis figurâ est quadratâ C. M. P. longitudine, in circuitu 380. patens, Portopini portus est satis amplus qui sex millia domiciliorum continere dicitur. Majorica urbs est caput insulæ in interiore sinu, in quo statio tuta. Hinc oriundus Remondus Lullus, quem populares tanto honore prosequuntur, ut eum in vicem Aristotelis juvẽtuti exponant. Petræ promontorium spectat Orientem. Ab eo haud removetur Polentia Romanorum olim Colonia, nunc modicum oppidum, sed portu insigne. Minor Balearium XXX. M. P. distat à Majore, longit. LX. circuitu vero CL. M. P. unicam habet urbem quæ Minorica appellatur, & plures pagos. Portus in Septentrione porto Tornelli, Notalibi, cum Citadella, ad Euronotum Porto Maon, altis montibus & nemorosis undique cincta est, nunc Mediterraneæ partes uber-

ubertate soli & pascuorum bonitate Majoricæ non credunt, mulos alit præstantissimos. Olim tres in ea fuerunt urbes, Jammona ad occasum, Magona ad Orientem & Janisera. Vide Baron. tomo 5. Ann.

CAP. IX.

Mare Gallicum Rhuscinonensis Comitatus, Montes Pyrenæi.

SInuosis Galliæ Australis litoribus, quod prætenditur mare Gallicum dicimus ab Aphrodisio promontorio ad Ligures & Varum fl. ubi Antipolim inter & Niceam in mare inferum effunditur. Partem à Venereo cornu ad Rhodani medium ostium extensam per min. 135. Narbonensem sinum ab urbe secundum Volcarum litus posita, dixerunt majores. Aliam verò à Rhodan oper min. 180. ad Varum extensam ab Massilia portu celeberrimo in Salviorum Provincia sito, Massalioticum, seu Massiliensem appellarunt. Antonini itinerarium ab Nicæa ad fossas Marianas, seu Rhodani ostia per litorum anfractus procedens & assignans singulis oppidis, portubus & promontoriis vera eorum intervalla, colligit millia ducenta 49. plura sine dubio, quam hodie reperias, exesis scilicet litoribus. In toto Narbonensi sinu, aura minima de causa maximas patitur mutationes, leniterque spirante Euro tempestates excitantur adeò horridæ, ut nautis omnibus horrorem incutiant, qui undarum vio-

len-

lentia frequenter, cum suis navibus absorbentur. Apud antiquos Geographos Galliam ab Hispania Pyrenæi montes dirimunt, geminis promontoriis in duo maria procurrentibus, in Oceanum quidem Gallicum Olearsone; in Mediterraneum templo Veneris, quod nunc religione mutatâ à S. Cruce *Cabo de Creos* denominatur. Et verò Athenæus, Mela cæterique collocant in Gallia Narbonensi Rhuscinonem Latinorum coloniam, sitam in ora Sardonum, quam Pomponius & Plinius à Curiano promontorio extendunt ad Leucatem & fontes Salsulæ.

Rhuscinonensis igitur Comitatus concluditur inter Pyrenæi brachia, quorum unum ad Illiberim tendit, alterum ad fontes Salsulæ. Caput illius fuit olim Rhuscino, nunc Perpignianum. Defuncto autem Gerardo Comite, absque hærede an. 1168. ad Alphonsum IX. Aragoniæ Regem devolutus est hic Comitatus. Sed Joannes ærarii compulsus inopiâ Ludovico XI. Gallorum Regi 300. aureorum millib⁹ eum oppignoravit. Postea eundem Carolus VIII. anno 1494. Ferdinando Regi his conditionibus concessit, I. ne filias cuiquam Principi jungeret matrimonio sine Galliæ Regum consensu 2. ne sibi esset impedimento, dum Neapolitanum regnum in ordinem redigeret. Singula videamus. In duplicem nunc hemicyclum curvata litora duplicem efficiunt portum; uni nomen porto Veneris, in quo ad 10. vel 12. orgias jacitur anchora. Alteri nomen Lansan, cujus statio laudatur ab omnibus hydrographis. In eam naves evehuntur per

aquas 10. imò 20. Hexapodis extantes. *Colibre* vicus est Illiberis, magnæ quondam urbis & magnarum opum tenue vestigium, ut habet *Mela*, Volcarum siquidem Rhuscinonensium, fuit Metropolis, assidens cognomini promontorio, portui, & fluvio: quem enim diximus *Rio Tech*, Strabo vocat Illiberim, qui è Pyrene exit, alluit Helenam urbem Episcopalem, in qua olim Constans imperator interfectus est, postquam eam à fundamentis excitasset & Helenam de nomine aviæ suæ appellasset. S. Maria *Almare* viculus ad quem labitur in mare, *Latet rio*, *Melæ* Telis, Straboni Rhuscino propter Rhuscinonum castrum quod alluit sicut & Perpignianum urbem quam condidit Guinardus Comes anno 1068. loco versus *Meridiem* in clivum assurgenti, cui arx imminet. Philippus Galliæ Rex febre correptus hîc interiit. Ex quo verò Ludovicus XII. eam obsidione cinxit an. 1543. muros egregiè communierunt incolæ, lanificio plurimùm addicti: numerat focorum circiter 4. millia, distat à mari 4. min. & ab ea min. 2. Turris Rhuscino, Romanorum olim Colonia valde celebris, ubi priscarum ædium apparent rudera. In latissimo ad Rhuscinonem campo Carolum Martellum conferta manu Visigothorum & Alanorum nomen in iis partibus extinxisse refert Helias Apamiensis l. 2. hist. Fuxensis. *Egli rio Melæ* Ticis, amnis quidem modicus, sed ubi accrevit persævus. Salsulæ fons sic dictus quod ut habet *Mela* Salsioribus, quam marinæ sint, aquis diffluat. Hiberno tempore cum sit calidus & æstivo geli-

gelidus,mirum in modum piſcoſus eſt , adjacet fonti campus multa humilique frequens arundine: quem ſi fodias, ut memorat Polybius & alii, ad altitudinem duorum , vel trium cubitorum, mugiles foſſiles innumeros reperies; tortuoſos enim & multiplices aquæ curſus,piſces cibi gratiâ ſequuntur, dum hinc aquæ tepore,inde graminis alliciuntur radicibus. *Salſas.* arx ad fontes Salſulæ à Carolo V. ædificata è regione inexpugnabilis propugnaculi Leucates, quod cùm Vernacule anſerem ſonet,Salſas addidit, *Il y a mis la ſauſe*, Clavis eſt Hiſpaniæ. Aër eſt peſtilentior ob vicinas paludes.

Pyrenæi montes Europæ altiſſimi ab interno mari, ſeu Comitatu Rhuſcinonenſi ad caput Ficuum , ſeu Fonterrabiam in Cantabris ad Oceanum per ſtadia ter mille extenduntur. Variis in locis arboribus in maximam creſcentibus altitudinem ſylveſcunt, in aliis campos cernes ſegete utcunque fœcundos ; quibuſdam jugis perpetuæ ſunt nives cœlo propemodum immiſſæ Qui ſumma juga incolunt , barbarum incultumque hominum genus eſt , nullis ferè legibus obnoxium , per fas nefasq; omnia tentans , armis aſſuetum, famis , æſtus & algoris patiens ; qui Galliam ſpectant nunquam Romanum ſubiere jugum , tametſi Craſſus in eos juſſu Cæſaris duxerit exercitum. In Vallibus innumera ſunt oppida,vici, caſtella, hominum multitudine frequentia , quibus ad victum terra tametſi ſaxoſa ſuppeditat neceſſaria. Verſus Hiſpaniam colles Baccho abundant & Cerere. In his montibus

Gen-

Gentiana, Cardinea, Saxifraga aliæque herbæ corpori humano utilissimæ succrescunt, quibus freti montani *M*edicorum pharmaca facile spernunt. In Cavati montis verticeversus Rhuscinonem lacus est immensæ profunditatis,qui repentinis imbribus, Oceani more æstuat, & grandine tonitribusque videtur concuti interiùs. Umbrarum & dæmonum sedem ajunt, & languentium clamores horridos audiri narrat Hieronymus Paulus, additque sata & arbores ejus aquæ malignitate contractas aduri & arescere; tetriora longè de Pyrenes monte Taburo refert Helias Apamiensis hist Fux. l. 1. Ex his montibus Idubeda mons versus Austrum ad Iberi fontes in Pelendonibus derivatur, & per cacumina Orbionis & Cauni emissus, Orospeda mollibus initio jugis sensim, tamen sese efferens Molinæ montes erigit, Conchæ deinde ubi Sucronem & Tagum fluvios emittit, inde Consuegræ montibus constitutis, Anæ fontes enixus, nec ita multò post Bætis,in duo brachia scissus, uno ad Muxaram & Mediterraneum desinente, altero ad Calpam & Tartessum procurrit, vel potiùs transmisso freto Atlanti junctus, ipsam complectitur Africam.

Cap. X.

Gallia Narbonensis, seu Languedochium.

GAllia,quæ Braccata ante dicta,deinde à Narbone Martio Narbonensis, mox à Viennâ Vien-

Viennensis appellata,tota Pyrenæo, Gebenna & Alpibus cōclusa,mari Mediterraneo imminet,opum amplitudine & hominum solertia nulli terrarum posthabenda.Mediæ ætatis Scriptores, Sidonius Appollinaris, & Gregorius Turonicus, hanc Galliæ partem vocaverunt Septimaniam, deducto fortassis nomine à septem illis Provinciis utraque Narbonensi,utraque Aquitania,Novem-populania,maritimis Alpibus & Viennensi, quarum conventus annuos Honorius & Theodosius Arelate dixere. Illarum porrò septem, potissima pars iisdem Scriptoribus visa, utraque Narbonensis. Dicta etiam reperitur Landgothia quandiu occupata est à Gothis: ex quo vocabulo, quod idem valet, atque terra Gothica vox *Languedoch*, fluxit pro ejus Provinciæ vernaculo nomine. Quanquam non desunt qui ex eo fluxisse hoc nomen putent, quod *Oc* ipsis sit idem, quod reliquis Gallis *Ovi* & *Languedoc*, ejus populi esse patriam, qui *Oc* pro *Ovi* pronuntiat. Idem quoque regionis tractus Occitania dicitur à recentioribus, ob eandem causam & usum vocis *Oc*, nisi fortè Auscitanos pro Ausciis, Aquitaniæ populis voluerunt dicere. Dividitur nunc in superiorem, inferiorem, & Cemenicam. Coronæ Franciæ accreverunt Comitatus Tolosanus,& Carcassonensis, necnon Vicecomitatus Biterrensis, regnante S. Ludovico: Narbona, Ludovico XII. & Monspessulanus, Philippo Valesio. Jam ordiamur ab ipso litore Narbonensi. Extremum Pyrenæi cornu *Las Mattes*, occupat Gallica arx validissima Leucata, Hispaniæ conterminа,

termina, ab hoste tentata sæpius Volcæ Narbonii extremi Tectosagorum, hinc extendebantur ad oppidum Bliterram & ostium Obris fluvii. Urbes eorum Atacini appositæ.. Arecomici Volcæ, ab Obri ad medium Rhodani alveum patent, motibus separati à Gabalis & Velaunis. Atax fl. vernac. *Aude*, initio præceps, mox placidus & stanti similis, oritur non ex Cemeno, ut ait Strabo, sed ex Pyrenæo in Aletensi regione, urbes alluit situ & manu firmissimas Aletam *Alez*, 42.43. Limolium *Limoux*, unde sedes Episcopi Aletham translata. Carcassonam *Carcassone*, 42. 53. urbem Episcopalem primam Senatus Tholosani Seneschaldiam, Simonis Monfortēsis adversus Comitem Trinquabellum victoriis celebrem & Narbonem Martium, *Narbone* 42. 45. Archiepiscopi sedem, olim verò Proconsulum Romanorum, qui eam urbem Amphitheatro, Capitolio, & aquæ-ductibus decorarunt. Atax verò supra Narbonem in duos divisus alveos, altero eam rigat urbem, & infra eam lacum Rubresum subit, indeque ad caput *Romanin* & Turrim novellam delabitur in mare Australe : altero verò per stagnum Vandrensem *l'estang de Vandres*, in idem pelagus evolvitur, secum aquas devehens amnis Hiciæ, qui ortus in agro Sam-ficiano oppidulum alluit Castel navium, *Castelnau d'Ari* 43. 4. in Lauracis, ubi Kal. Septembr. anno 1632. perbrevi, sed cruento prælio, inter Gastonē Ducem Aurelianensium & Schombergium Regii exercitus Ducem, commisso, captus Montemoren-

morencius Dux generosissimus, Languedochii Prorex, qui Tholosam perductus capitali in eum ab Senatu dicta sententia, ferro cervicem subdidit 3. Kal. Novemb. In Hiciam *Hicie*, rivulus labitur, qui Sam-Papulum *S. Papoul*, urbem Episcopalem rigat. Volcis Narboniis succedunt Arecomii, qui ab Obri fl. extenduntur ad trium alveorum Rhodani medium, id est, à Bliteris ad oppidum, cui nomen à tribus Mariis indeque secundùm Rhodanum ad Pontem S. Spiritus. Obris seu Orgius, vern. *Obre*, oritur ex montibus Gabalorum, auctusque amniculo, qui Sam-pontium rigat, abit Bliteram, & post min. circiter 36. à fonte influit in mare. Sam-Pontius Tomeriarum, *S. Pons de Tomiers*, urbs Episcopalis ex Abbatia olim fundata à Pontio Comite Tholosæ, in quo Dominus Ramirez 40. annos vixit Monachus, indeque ad Regnum Aragoniæ evocatus anno 1133. Bliteræ, *Beziers* 42. 55. urbs Episcopalis dicta est Orgo à monte, cui insidet, receptam à Gothis Carolus Martellus solo penè æquavit, iterumque Simon Mon-fortius quando in illis partibus 60. hæreticorum millia interemit. Qui Narbona Bliteras contendunt, ubi collem conscenderunt, unde prospectus est in utramque urbem & Pagum *Quarente*, ajunt ex monticulo, intuitu uno 42. urbes se vidisse. Ita verbo ludere aliquando gratum. Arauraris, vernac. *l'Eraud*, ab Gabalis ortus, rivis pluribus augetur, quibus rigantur Lutena, *Lodeue*, urbs Episcopalis, Pisene, *Pesenas*, oppidum elegans, arce munitum, & nudinis inclytum, cui proxima

villa, *la Grange*, Mont-morenciorum gratiſſimus olim ſeceſs⁹: & Agathe Roe, *Agde* 42.50. alia urbs Epiſcopalis, in qua celebratum illuſtre Concilium anno 506. ſita in peninſula, infra quam Araurasis abit in mare. Succedunt in litore Caput Agathæ, *Cap d' Agde*, & ante ipſum ſcopulus, *le Breſcon*, cui affixum caſtrum munitum. Inter utrumque directa moles 800. circiter orgiarum, ad muniendum portum, qui naves 400. poteſt capere. Ad Caput Setinum, *Cap de Sette*, reperitur marmor eximium. Habes poſtea Frontiniacum, *Frontignan*, cujus vina & uvæ paſſæ laudantur, ſitum ad piſcoſiſſimum Lacum, à vicis *Lattes & Perotz*, dictum *Eſtang de la Latte*, vel *de Perotz*. Illúd à mari ſejungunt, hinc Agathenſis peninſula incolis dicta *Playe de la Mar*. Inde inſula Blaſco, nunc ab Anguis ſpecie dicta *l' Anguillade*, quibus tanquam vallo fortiſſimo Narbonenſis Galliæ litus, ab hoſtium incurſionibus tutum redditur. In ſtagni medio inſula eſt Metina, vern. *Magalone* 42. 55. ex cujus monumentis conſtat, incolas Chriſti fide imbutos à Diſcipulo S. Petri, & à D. Paulo, cùm in Luſitaniam tranſmitteret; ſeptem ſummos Pont. Religionis ergo in eam ſe contuliſſe inſulam; D. Ludovicum è Palæſtina redeuntem non prius Galliam reviſere voluiſſe, quam Chriſtum in *Magalonæ* templo (quòd D. Petro ſacrum, innumeris Regum Galliæ auctum eſt donariis) adoraſſet: Cardinales 8. Epiſcopos 100. in ea ſepultos, præter 500. Religioſos doctrina & moribus celebres, quorum pietas ſemper enituit in
oran-

orando Deo pro defunctis, antequam S. Odilo idem pietatis officium in Occidente commendasset: sedemque Episcopi translatam Montempessulanum, *Montpellier* 43. quam etiam alluit urbem celebrem arce, Episcopatu, & Academia medica, in qua Avicennæ, Averrois, cæterorumq; Arabum discipuli, Hispania pulsi sedem fixerunt, quod vicini montes, infinita simplicium abundent copia, urbis plateæ angustæ & ædes excelsæ ad inhibendam radiorum solarium vehementiam. Vidulio, *Vidourbe*, oppida alluuntur naturâ, vel arte firmissima, *Sauve*, Sestatio, *Sommiere* Forum Domitii *Lunel*, & Aquæ-mortuæ *Aigues mortes* 42. 55. urbs condita à Massiliensibus, ubi portus celebris, ad quem appellunt naves plurimæ ob nundinas Lugdunenses. Leucæ spatio ab ea distant Salinæ Metapinæ dictæ, *Les Salines de Pequaiz*, à præsidio *de Pequaiz*, sito in fossa Rhodani, è regione ostii amnis *Ristral*, influentis in eandem fossam, qui fontes habet supra Nemausum, *Nismes*, 43. 10. ad fl. *Vistre*, Episcopalem urbem caput Arecomiorum, solo sitam cultissimo, in qua cernuntur innumera antiquitatis monumenta, quorum Palmarium est amphitheatrum 470. passus continens & 63. arcus. Volcarum Arecomiorum urbes reliquæ Rhodano appositæ sunt, Sant-Ægidius *S. Gilles*, olim Abbatia Benedictinorum in valle Fluitana vel Gothica, posteà Melitensibus equitibus data. Vindomagus, *Beaucaire*, 43. 6. & nonnullæ aliæ, quas rigat Gardonus amnis ortus in Gablis, scilicet Andusa *Anduse* oppidum, Usetica *Usez*, urbs

Epiſcopalis, Ducatus titulo inſignita anno 1566. & Pons Guardonius, *le Pont du Guard*, ſeu potius mirifica aquæductuum ſubſtructio, tripliciter arcuata; cuj⁹ ordo inferior ſex tantùm pilas continet, medius undecim, ſuperior 35. quibus incumbit canalis altus ſex pedes, latus tres, toties verò operis altitudo pedum 82. Pons San-Spiritus, *le Pont S. Eſprit*, 43. 35. oppidum Volcarum Arecomicorum, ſeu Languedochii terminus, inſigne ponte longo 1206. paſſus, lato 15. in quo fornices 22.

Cap. XI.

Rhodanus.

ORitur Sempronio ex jugo, *Mont Sanpron*, pœninarum Alpium celſiſſimo, qui pars eſt Adulæ ſeu montis Godartii. Fontes habet apud Mantam vicum, paucis min. à fontibus Arolæ, Rheni & Ticini, per Sedunorum & Veragrorum, quos jam Valeſios dicimus, umbroſas valles, & campeſtria ruit, minimè altus, ſed Vado facilis ad Pagum *Neuuille*, ubi miſcetur Lacui Lemano, unde ad Genevam exit, ferturque in occaſum fermè Lugdunum uſque, ac inde advenis aquis locupletior vertitur in auſtrum, Galliamque præterlabitur tanta cum violentia, ut ſummæ gloriæ Plutarchus Sertorio tribuat, quod eum trajecit armatus. Et verò *Rhedec*, Britannicè ſignificat violenter currere. Navigabilis eſt à Taureduno caſtro, ſeu Cluſa tribus leucis infra Genevam. Evolvitur in mare Maſſalioticum

ticũ triplici oſtio, Metapino, Hiſpanienſi, & Maſſaliotico. Priora duo Lybica nuncupantur; primum quidem Metapinum, quod per Volcarum fines obliquè decurrat in Metapina ſtagna ſalaria, *Les Eſtangs ſalez de Pequais*, Rhodaninum vocant incolæ, quorum induſtria difficulter ſovetur, & limo purgatur ad commodiores ſalis & aliarum mercium evectiones. Medium Hiſpanienſe dictum, quadrante leucæ ſupra Arelatem divellitur à principe fluente, effunditurque in mare ad tres Marias oppidum. Tertium vocatur ab incolis, *le Tampan*, à latinis Maſſalioticum, tum quod ex tribus ſit iſtud Maſſiliæ propinquiſſimum, tum quia C. Marius ducta ampliore foſſa, illum *Maſſilienſibus* conceſſit ob præclaram ſibi in bello adverſus Ambrones aliosque navatam operam. Ager, qui figura Triquetra porrigitur ab Rhodani divortiis, uſque ad mare alveis Hiſpanienſi & Maſſaliotico concluſus, vini Cereriſque longè feraciſſimus eſt, & abundans, paſcuis vulgus vocat *la Camargue*, Majores Caſtra Mariana, quod in eo habuit Marius exercitum, dum foſſa ducta, Rhodani ortivum alveum ampliavit.

CAP. XII.

Pennina Alpis & Valeſii.

PEnnina Alpis, *Alpe Pennine*, nomen habet nō à Pœnorum exercitu, Cottia enim Alpe tranſivit Annibal in It. li ım, ſed à Penno Deo

quem Alpini in Sempronio summo horum montium jugo colebant. Ab hoc Penninæ sunt dictæ Alpes proximæ, quæ frequentibus in transversum jugis excurrunt & Sedunorum Veragrorumque vallem sic complectuntur, ut ex ea tres sint tantum exitus, scilicet per Sempronium montem in fines Insubrum & Italiam: per summam Alpem, *le Grand. S. Bernard*, in Salassos *Val d' Aouste in Savoye,* & ex his in Subalpinos *en Piedmont*: & per fauces Agauni *de S. Maurice* in Antuates, *les Chablesiens*, & Allobroges Sabaudios. Penninis Alpibus Seduni Montani continentur & Veragri Campestres: Valesios nunc dicimus Superiores & Inferiores. Illi Teutonica linguâ utuntur in septem decumas, seu Conventus divisi. Hi Allobrogum idiomate, in sex communitates, seu Vexilla partiti. Omnibus præest Episcopus Sedunensis Comes Valesiæ. Incolæ humani sunt, sed plerique Strumosi, ager feracissimus Vini, Tritici, Siliginis. Abundat & croco, pecoribus, lacte, piscibus. Montes vero mineris crystalli, plumbi, æris, ferri, thermis & herbis medicis, Terebintho & Agarico. Sedunum *Sion* Germanicè *Sothen* Metropolis est regionis sita ad Rhodanum in lat. 46. Sola muris cincta, in quam translata dicitur à quibusdam sedes Episcopatis Octoduro, Veragrorum, seu Valesiæ Inferiolis civitate. Ad Martinâcum *Martinach.* 45. 50. oppidum Rhodanus excipit Dransam fl. cujus origo in monte Sambernardo majore qui Valesios inter & Salassos intercedit, *entre les Valesiens & ceux du Val d' Aouste*, qua expeditior

est

est via, quàm per vicina juga ex Sequanis, Helvetiis & Germanis in Salassos, indeque ad Italos.
S. *Moritz.* 46. Abbatia Agaunensis S. Maurici ad Rhodanum & radices Alpium Penninarum in ditione Valesianorum, à S. Sigismundo Burgundiæ Rege fundata in angustiis Agauni, quod antiquo Sermone Gall. Saxum sonat, ut habetur apud Sanctum Eucherium. Hæc porrò vallis à capite ad Lemanum lacum longa est 90. millia passuum, vix duo lata.

Cap. XIII.

Lacus Lemanus, Chablasij, Vaudenses, Gesij, Mons Iura, Genevenses.

Lemanus extenditur in long. min. 56. in lat. 13. cum passibus 500. quibusdam vero locis altus est adeò, ut immissâ bolide ad 500 orgias, non reperias fundum. Truttæ 100. librarum in eo inventæ. Tranquillâ aquæ superficie, interdum magno navigantium discrimine turbatur, aurâ, ut creditur subterraneâ quàm incolæ Vandesiam vocant. *La Vandaise.* In eum torrentes minimum 40. præcipitant; in quibus vix ullus alicujus nominis. Ripis clauditur eminentibus, ex quibus vinum illud generosum colligitur quod à lacûs ripâ vocant Ripalium. Australe latus incolunt Antuates Allobroges, Boreale Latobrigi. Antuates ii sunt quos dicimus Chablasios *les Chablaisiens*, fusos ab Genevâ per totum latus Meri-

dianum Lemani usque ad fauces Penninarum Alpium. Ager planissimus est, & omnium frugum ferax & vicis frequens. Oppida tamen minus celebria, Tononum in clivo celsiore ad ripam, & Aguianum, vern. *Euiam* 46.15. Latobrigi *les Vaudois peuples du pays de Vaux*. Boreali ripæ Lemani appositi, in Helvetiorum nunc sunt potestate: non tamen sunt, nec unquam fuerunt gentis Helvetiæ, sed suæ. Eorum oppida sunt Villanova *Villeneuue*, Viviscum *Vueis*, Lausanna *Losanne*, Episcopatu Aventico & Concilio Basiliensi illuc translato nobilis, Morgesium *Morges*, Rollium *Rolle*, vicus amœnus cum arce, Nevidunum equestris Colonia, oppidulum inter quod & montem Jura, visuntur rudera perantiqui muri, qui putatur à Cæsare ductus, ut Helvetios sisteret, Copetium *Copet*, Versonia pagus, olim Castellum, ad quod influit amniculus ex Gesio *Ges*, oppido supra clivum Jurasi montis sito, à quo tota illa montanæ regionis lacinia Gesia vocatur, *le pays de Ges*. Jura seu Jurasus *Mont-Iou ou Iura*, ab Geneva Sequanos inter & Helvetios versus Boream obliquè porrigitur ad fines Mediomatricorum, contra occasum verò in varia promontoria tributus, Sequanorum oppida & agros frequentibus clivis & vallibus distinguit: celsus est & amplus frugum, ferarum & abiegnæ materiæ dives. Ipsum verò nomen *Iou* vetere Celtico vocabulo montem sylvosum significat; unde viculus *Mitou* occurrens inter facientibus ex Geneva San-Claudium. Idem enim est, quod montani ascensus intervallum medium. Ad egressum Rho-

Rhodani ex Lemano ſunt Genevenſes, *les Genevois* 46. 10. Provinciola jam ex Antiquo celebris à 600. verò & eo ampliùs annis diverſis ſubjecta Satrapis, annoque demum 1536. cum Bernatibus & Tigurinis Helvetis fœdere juncta, cum quibus jam ab an. 1529. everſis aris deturbatiſque imaginibus Romanam fidem ejuraverat, urbs arte munita & manu, negotiatione ſerica & libraria celebris.

CAP. XIV.

Arua, Focunates.

ARua *Arue* oritur ex Alpibus non longè à Sacello Virginis *de la Gourre*, 45.35. convallem alluit pinguem & feracem, oppidaq; Salanchias Salance 45. 48. Cluſas, *Cluſe*, & Bonamvillam, *Bonne-ville* 45 58. caput gentis Focunatiũ *de Focigny*, & Primarium forum Judiciale. Rochiam & Fortalitium Aruæ ab Genevenſibus contra Allobroges excitata, nonnihil ſupra Confluẽtem Aruæ qui 100. paſſus infra Genevam tanta cum violentia in Rhodanum ingreditur, ut aquas non miſceat, imò Rhodani curſum interdum avertat in Orientem & Lemanum, ejuſque moletrinas motu contrario agitet; quod an. 1572. contigiſſe refert Caſaubonus. Ejus truttæ quando Lemanum ſubeunt facilè pingueſcunt, ſed ruborem exuunt & ſuavitatem, quàm utramque dotem regreſſæ in natalem Aruam recipiunt. In Alpe Pennina quæ Focunates reſpicit, regio eſt nullis pervia ſolibus, ubi glacies illa celebris,

quæ æternis durata frigoribus fit cryſtallum, ex quo eximia Itali vaſa conficiunt, quæ tantùm in fornace & certis medicamentis adhibitis poſſunt liqueſcere. Inter Chanci & Pogni ſternitur pons quo tranſmittunt, qui Lugduno Chamberium, vel Genevam proficiſcuntur. Cluſa, *le pas de Cluſe*, Tauredunum olim caſtrum in monte ſitum, cujus ruinis aquæ Rhodani reſtagnantes Genevæ mœnia olim tranſcenderunt, totuſque ejus alveus adhuc ſic occupatur, ut navigationem ab Lemano impediat, viam tamen ſibi per cuniculum aperuit Rhodanus ex quo prodit denuò & labitur quietior. In ripâ ſiniſtrâ Fortalitium eſt tetragonum. Minutis 24. infra Genevam oppidum habes Beugeſiæ Seſſelium *Seiſſel* utramque Rhodani ripam & mediam occupans inſulam. In conſpectu Seſſelii in Rhodanum influit Titius amnis *le Tieu*, Moletrinis & ferrariis fabricis utilis, qui Annecium *Anici*, urbem perluit, in quam tranſlata Genevenſis Epiſcopi ſedes. Lacus urbi proximus admodum piſcoſus eſt, ternas ferè leucas longus. In Titium torrentes præcipitant qui Cruſelias & Remelium Genevenſium oppida alluunt. Ad Chanaſſium portum Rhodanus excipit Leſſium amnem quem emittit Burgetius lacus Sabaudiorum, trutta, lucio & thriſſa lavareto abundans. In dextra Rhodani parte Genuini ſunt Sebuſiani, *les urays Beugeres*, quorum oppida Rochefortium, penè ad oſtium Serani & Belleium, *Bellay*, urbs Epiſcopalis, in læva verò Delphinates ab oſtio Giviæ, ubi ſitus eſt San-Geniſius ad Auguſtam S. *Genis d' Aouſte*, Cam-

peſtrem

pestrem oppidum Allobrogum ad confluentem Giviæ qui ortus ex altissima & sterili Carthusiæ Eremo Escelias alluit & Latisconem Pontem *Beauvoisins* oppida Delphinatibus & Allobrogibus communia. In ea eremo S. Bruno Coloniensis & Remensis Ecclesiæ Canonicus doctrinæ pariter & sanctitatis laude celebris Carthusiensium ordinem Sanctissimum instituit an. 1086. Habes præterea in eadem Delphinatium ripa Cremiacum *Gremieux*, paulo tamen remotius ab Rhodano, sicut in opposita Idanum *le Dain*, quem ex sinuoso recessu vomit mons arduus, *Sirodo*, grandi pago incumbens, fons in antro præcipiti latus 10. passus, cujus profunditas imperscrutabilis altissimum fundit gurgitem trottis & auratis gratissimum: per rupes devolutus, Sequanorum agros rigat, Juræ montis radices subluens, à quo rivos circiter 60. excipit & crates lignorum ex abiegnis sylvis suscipiens, Bressiam secat in duas partes, & in Rhodanum tandem labitur. Urbes præcipuæ, ipsi vel ejus rivis appositæ sunt Noseroium *Noserοi*, Sansorlinus, Sanclaudius cœnobium insigne Sanctissimi Vesuntiorum Archiepiscopi, Idanum oppidum & pons.

Cap. XV.

Araris, Sequani.

ARaris *la Saone*, obliquo inter ortum & Septentriones cursu ex montis Vogesi Lotharingiæ pago Grandimontio ortus, Æduos &

Sequanos interſecat, & Brannovices à Sebuſianis dividens tanta fluit lenitate, ut oculis, utram in partem eat, non judicetur: nec plus laboris puellæ duodennes, quæ naviculas regunt, ſentiant dum aſcendunt quam ſi deſcendant, facilè crediderim Arar quod Britonibus lentum ſonat idem apud antiquos Gallos ſignificaſſe. Lucios omnium optimos alit & Carpiones laudatiſſimos. Ædui ampliſſimus quondam Celticæ populus pro variis regionibus variis ſubinde diſtinctus eſt nominibus. Nam alij dicebatur Nivernij, de quibus egi in Ligeri, alij Boij, de quibus in Elavere, plerique Bibracti ad Arrotium, vel Mandubij, ripas Armantionis accolentes. Alij denique Divionenſes. Cabillonenſes & Ambarri, de quibus nunc agendum. Ut vero dexteram Ædui, ſic lævam Araris ripam occuparunt quondam Sequani, quorum animos, ut ſibi adverſus Theodoſium Imperatorem devinciret Tyrannus Maximus, eorum Provinciam dici voluit Maximam Sequanorum. Utroſque poſtea ſubjecerunt Burgundiones, quorum nomenclatura & origo mirum quantum diverſa & incerta. Ajunt verò Proſper, Caſſianus & Jornandes an. 413 Burgundiones Germaniæ populos, à Conſtantino pacem impetraſſe, ſedeſque ab eo apud Helvetios & verſus Rhodanum obtinuiſſe, eodemque anno ad Chriſti fidem converſos monet Socrates. Auctum poſtea progreſſu temporis hoc regnum Provinciis, quæ hodie nominantur Sabaudia, Burgundia, & Provincia. Regni Metropolis aliquando facta Arelas, ſubinde

Augu-

Auguſtodunum, poſtea Cabillonum, tandemque Divio. Ipſis imperarunt Reges quinque, poſteaque hoc regnum Franci occuparunt an. 532. & retinuerunt ad an. 888. quo mortuus eſt Carolus Craſſus, qui Franciam tenuit & Imperium, tuncque Cis-jurana Burgundia manſit ſola in Francorum dominio, traditaque Ducibus, quorum primus memoratur Richardusqui obiit anno 921. Trans-jurana verò Burgundia quæ Sabaudiam, & nunc dictos Helvetios continebat, uſque ad Alpes, Reges ſibi creavit, ait Regino, Rodolphum Comitem, qui invito Arnulpho Imperatore retinuit regnum cum ſucceſſione ad poſteros ad an. 1032. quando à Rege Rodolpho coronâ ad Conradum Imperatorem miſsâ, Burgundiæ regnum Imperio unitum fuit. Nec ita multo poſt traditum Comitibus, qui eas partes tenuerunt ad an. 1313. quo uniti ſunt Ducatus & Comitatus, quibus omnibus, mortuo Philippo Audace, ſucceſſit Joannes Franciæ Rex. Cætera diximus in Belgio & Flandriæ Comitatu. Nunc Superior Burgundia, liber dicitur Comitatus, quod ut ajunt, ſint incolæ omnibus tributis liberi, ſub protectione tamen partim Regis Catholici, partim Bernenſium Helvetiorum. Dividitur in tres Præfecturas, Superiorem, Inferiorem, & Dolanam. Sic fertilis eſt, ut vili penè ſemper pretio veneant vina, frumenta & carnes. Celebriora loca hujus Comitatur ſunt Luxovium *Luxevill.* 47. 45. famoſum Monaſterium Ordinis S. Benedicti, conditum à S. Columbano in Vogeſo ſaltu agri Sequanici, ubi

ubi thermæ celebres. Monasterium præterlabitur Antenna , *l'Antenne*, qui ortus in celebri pago Falconeo *Francogny*, in Ararim labitur, supra Vicum Portu Sonam , *Por-sur. Saone.* Vesulium, *Vesou*, fortissima habet mœnia , sedes est Bellivatus Superioris *du Baliage d'Amont*. Grajum vero *Grey* 47. 22. plateis , fontibus & ædificiis cultum; præcipua Sequanorum arx est adversus Lotharingiam & Franciam. Urbes aliæ appositæ sunt Alduabi , *Doux*, qui fontes habet in lacu amplissimo , cujus aqua subterraneo meatu per montem Jura , sibi viam aperiens post 5. min. erumpit tanta violentiâ , ut illico totam verset ferrariam , moxque aliam quæ trabes abiegnas dividit, indeque prioratum Motensem *la Motte*, 46. 37. qui instar oppidi est, alluit, & nonnullis anfractibus fanum petit S. Hippolyti, 47. 20. & pagum *Dampierre* , ubi Allium amnem *Halle*, excipit in Rauracorũ confinio ex monte Vogeso profluentem , variisq; auctum rivis , quibus rigantur oppida Bruntuttum vern. *Polentru*, sedes Episcopi Basileensis: *Mentbeliart*, caput Comitatûs cognominis & *Befort*, 47. 25. arces sitæ in claustris , quæ Germanorum in Galliam irruptiones arcent. Ibi Cæsar Aristovitum vertit in fugam. Exinde verò Dubis post varios gyros & flexus Vesuntium permeat , *Besançon*, 47. 8. civitatem Imperialem , Sequanorum Metropolim, & facta insula ad Dolam *Dole*, 46. 54. civitatem 5. vallatam propugnaculis longe optimis, Academia & supremo Senatu Comitatus Burgundiæ illustrem , post multas ambages in Ara-

rim

rim prope Virodunum *Verdun*, labitur. Lupa *la Louve*, nascitur in specu ex perfossa rupe durissima, in monte, *S. Georgen*, vico ovino, rapidúsque fluit per Ornatum *Ornans*, 47. oppidum inter montes situm. Quingium *Quingé*, vetustissimum oppidum anno 1480. solo æquatum, nunc utrumque restauratum, rivos admittit reliquos, quibus rigantur Salinæ *Salins*, Arbosium *Arbois*, & Polygnium *Poligni* urbes, quarum in vinetis & salsis fontibus sunt maximæ Sequanorum divitiæ.

CAP. XVI.

Burgundiæ Ducatus, & Principatus Dumbensis.

Vigenna, *la Navigenne*, Ducatum Burgundiæ separat à Comitatu, oritur ex Lingonensi sylva. Rubuit Germanorum sanguine anno 1636. Mense Novembri, quando Galassius cum ingenti exercitu in Gallias illac tentavit perrumpere. Rivum excipit Torselle erumpentem ex villa celebri, *Fontaine Françoise*, 47. 23. ubi Henricus IV. Galliæ Rex, ut Bironium liberaret periculo, in quod imprudens se conjecerat, Meduani Ducis & Conestabilis Castillæ amplissimas copias fudit, paucissimis tantùm stipatus equitibus. Hanc adepto victoriam, illico se tota permisit Burgundia, & postmodum universa Gallia.

Vigenna miscetur Arari quatuor min. supra Pontarli 47. 5. cui nomen à ponte, quem Ælius

Adria-

Adrianus Cæſar extruxit, ad id oppidum quod arcem fecit & Metropolim Provinciæ. Axona, *Auſone* 46. 56. urbs parva, ſed munita & dives, quam Ludovicus XI. pace cum Sequanis factà univit Burgundiæ Gallicæ, cum S. Laurentij vicina juriſdictione. Ladona *S. Iean de Laone*, 46. 45. oppidum Æduorum Cabillonenſium 300. non amplius focorum, quod & ſi nullis vallatum propugnaculis, nunquam tamen obtinere potuit Galaſſius, menſe Octobri anno 1636. licet 40. Germanorum millia in ſuo numeraret exercitu, & 120. tormenta, Duce Ranzovio animos militibus, & civibus faciente. Ad S. Joannem Laudanum, Oſacus *Ouche*, miſcetur Arari, qui ortus in Pago *Carraben*, Divionem *Dijon*, 46. 56. alluit Burgundiæ Ducatus Metropolim, in qua Senatus anno 1476. inſtitutus à Ludovico XI. qui eodem tempore ratum habuit Dolanum Senatum in Sequanis. Ibidem Araris excipit Valgiam, *la Vaulge*, in quam infunditur rivus *Senfond*, qui Ciſtertium *Ciſteaux*, 46. 44. rigat, caput ſui Ordinis, ſub regula S. Benedicti, opus ſtupendum Odonis Ducis in vaſtiſſimo nemore extructum anno 1098. Ejus Cœnobiarcham agnoſcunt ſupra mille octingenta virorum Cœnobia, totidemque velatarum Virginum. Virodunum, *Verdun*, 46. 25. oppidũ Æduorum Cabillonenſium ſitum ad Confluentem Dubis, Duſini, & Burſoriæ in Ararim. Inter Muſinum & Burſoriam in lat. 46. 30. eſt Belna *Beaulne*, Æduorum Divionenſium urbs loco ſita uliginoſo, & propugnaculis vallata, ubi

Xeno-

Xenodochium inter præcipua totius Galliæ numerandum, & vites generosi saporis. Cabillorum Æduorum, *Chalons* 46 14. Regia olim Guntrani Aurelianensium Principis, eversa à Lothario Ludovici Pij filio, in odium Comitum Cabillonensium quorum familia, post Principes, inGalliis erat clarissima, maximè ex quo annexum habuit Principatum Arausiorum. Horum ultimus Philibertus Cabillonensis Prorex Neapolis, periit in obsidione Florentiæ anno 1530. ejusque filia nupsit. Henrico Nassovio. Nundinæ hic olim fuerunt celebres, quæ Genevam primum traductæ sunt, posteaque Lugdunum. Decem min. infra Cabillonum, Araris excipit Gronam, *la Grone*, qui Cluniacum alluit, Monasterium S. Benedicti, caput congregationis suæ, ædificatum à Bernone, Impensis Wilhelmi Pij Arvernorum Comitis, & Ducis Aquitaniæ, anno 910. Tinurtium *Tornus*, 45. 56. oppidum Cabillonensis Diœcesis & Præfecturæ Marisconensis, infra quod in Ararim labuntur Ceilis *la Seille*, & Reiffusium postquam oppidula rigarunt, *Chastelchalon*, *Arlij*, *Blecterans*, & *S. Amour*. in Sequanis, aliáque in Sebusianis, inter quæ eminet Burgus. *Bourg en Bresse*, forum Sebusianorum Brannovicum Metropolis situm in mediâ Provincia, frugum opulentissima, quæ tota simul cum Genevensi Præfectura, Galliæ accrevit, pace inter Sabaudum & Galliæ Regem Henricum IV. initâ anno 1600. Notabis verò Recentiores Romanos Burgi nomine designasse sua

oppi-

oppida annovaria, *leur ville d' Estape.* Matiscona, *Mascon* , 45. 35. urbs Episcopalis porrecta ad Ararim, qui ponte insigni hic stratus est, caput Comitatus cognominis, quem Ludovicus IX. Galliæ Rex emit à Joanne, ejusque conjuge Comitibus Matisconensibus.

Sequuntur in utraque ripa Araris Monpenseriorum nobilia dominia: in dextera quidem, Bavius clivus , *Bavieu* , urbs sic dicta à Basilica Dynastarum clivo , seu jugo inædificata, ad amniculum Ardieram qui miscetur Arari, infra Bellam villam, 45. 27, ejusdem Dynastiæ oppidum. Lævam ripam occupat Principatus Dumbensis, cujus interiora partim in colles assurgunt , partim occupantur stagnis ; urbs præcipua Trevolsium *Trevouxe* , 45. 19. edito sita loco, quæ jus habet Parlamenti , licet ejus Prætorium sit Lugduni.

CAP. XVII.

Dextera Rhodani ripa, Lugdunij, Segusiani & Helvij.

Lugdunum *Lion*, 45. 10. Lugduniorum Segusianorum caput , & clarissimum Galliæ emporium ad confluentes Rhodani , Ararísque, ubi templum Augusto Cæsari triginta Auguribus inclytum , 60. Galliarum gentes posuerunt, statuásque totidem ipsi dedicarunt Kalend. Sextil. annoque V. C. 744. ante Christum natum septimo.. Caligula verò Oratorium certamen instituit cum Græcis , tùm etiam Latinis : cujus

hæc

hæc erat conditio, ut victus lingua propria, aut ſpongiâ madidâ elueret ſcripta, ni præferret, aut virgis cædi, aut in profluentem demergi. Ex hujus Athenæi ruinis conditum eſt, poſteà Monaſterium Athenicenſe, *l' Abbaye d' Aiſnay*, & cultiſſimum primatiale totius Galliæ S. Joannis templum. Cùm verò Auguſtus Cæſar ex Italiâ duplicem Lugdunum viam duxiſſet; alteram quidem prolixiorem, plauſtro permeabilem per Centrones, alteram verò rectam, ſed anguſtam & compendiariam per Apenninum, gener ejus Agrippa ex eodem loco in omnes Galliarum partes alias deduxit, unam per Cemmenos montes in Aquitaniam, aliam in Rhenum, tertiam ad Ambianos & Oceanum, quartam in agrum Narbonenſem, lituſque Maſſilienſe. Impræſentiarum nihil æque ſuſcipio Lugduni, atq; pauperum hoſpitium & eximiam illius Oeconomiam. Habes præterea ad Rhodanum oppida San-Syphorium & Givorſium, ubi Rhodano miſcetur Gierſia, cum rivis aliquot ex finibus Lugduniorum collectis, qui oppidula alluunt Santenemundum *S. Chaumont*, 44. 51. & ripam Gierſiam *Ribe de Giers.*

Lugdunios excipiunt Helvii ab Cancio, *le peuple de Vivarez*, qui annonæum oppidum *Annonay*, alluit, ad Burgum Andeolium: horum alii ſunt montani, alii campeſtres. Oppida uti ſita ſunt ab vicinis Seguſianis, ad finitimos Arecomios, ſeu Languedochios ſunt Turnonium *Tournon*, 44. 21. ubi caſtellum validum, ſedes Comitum ejuſdem nominis, ad oſtium Dubij torren-

torrentis, qui ex Helviorum montanorum oppidulo Desania *Desagne*, decurrit in Rhodanum. Vini Turonii generositas necnon soliditas pontis, quem Franciscus è familiâ procerum Turnoniorum ædificavit ab omnibus laudatur. Sojonium oppidum *Soion*, ferme è regione Valentiæ situm est. Charmæ *Charmes*, urbs subter montem paulo remotior à Rhodano. Volturna *la Volte*, & ipsi proximùm Posinium *le Posin*, ubi miscetur Rhodano amniculus, qui ex Cemmenis montibus ortus Privasium *Privas*, 44 urbem Languedochii alluit. Baiis nomen inditum ab multâ glareâ & arenâ ab residibus aquis Rhodani: sic enim oppida in finibus maris sita dicimus Bajas. Vivarium *Viviers*, 43. 50. olim Alba augusta Helviorum, ut testantur vetera acta Ecclesiastica, oppidum scopuloso in colle, ad ostium Acassii influentis in Rhodanum. Ipsis Joannes Rex dedit lilia pro insignibus, cùm priùs haberent Aquilam. Helvios ab Austro terminat Ardeschius amnis, qui Albenacum *Aubenas*, 43. 55. alluit montanorum Helviorum oppidum & collectis variis torrentibus, in quibus est qui Joyosam *Ioyeuse*, 43 45. Ducatum alluit, infunditur Rhodano minutis aliquot infra Burgum Andcolium.

Cap. XVIII.

Allobroges, Delphini, Isara, Centrones, Alpis Graia.

Allobrogum alii Cismontani & Occidui, qui

qui Delphinii nunc vocantur, alii Ortivi & Transmontani qui Sabaudi appellantur. *Cis*montanorum tres sunt principes populi, Viennenses, Cavari, seu Cavares & Vocontii. Viennenses tamen ex usu loquendi veterum, soli Allobroges, Isara comprehensi, Rhodano, Givia & Alpino Jugo. Humbertus Viennensium princeps in Dominicanam familiam ascriptus an. 1349. Delphinatum Regi Philippo vendidit ea lege, ut inter Regum Francorum filios, natu maximus Delphini nomen gereret & pricipatum. Oppida quæ ad Giviam sita sunt, ab ipsis Carthusiæ montibus supra recensuimus. Secundum Rhodanum est San-Symphorianus *S, Saphorin*, Vienna 44. 45. *Vienne*, olim Allobrogum nunc Delphinatium Metropolis ad ostium Geræ, qui Moletrinis papyri & officinæ, in qua laminæ ensium fabricantur valde conducit. Amphitheatrum hîc magna sui parte integrum; Pilati Palatium & Specum æterna tectum nebula, nihil moror. Sanvalerius *S. Valier*, Tinum *Tin*, Comitis, Turnonii oppidum. Isara *Isere*, oritur ex Alpibus Graiis apud Salassos in vico Furvillo, ubi montis Sam-Bernardi minoris subluens latera, Centronum convallem perlabitur. Inde transit in Sabaudios & conversus in Allobroges, Vocontios & Cavaros ab Viennensibus dirimit, ac inter Rocheam, & Valentiam *Valence*, 44. 12. delabitur in Rhodanum. Alpis Graia tribus constat convallibus in quarum centro videtur situs Minor San-Bernardus. Una est Centronum quam Isara perluit; alia Garoceliorum *la Valée*

de

de Maurienne, quàm Arcius permeat, tertia Salassiorum versus Ortum in Italia. Minor San-Bernardus *le petit S. Bernard*, mons Salassibus & Centronibus communis, conica erectus specie per collem arduum superandus iis qui ex Gallia per Centronum vallem transmittere volunt in vallem Salassiam, indeque in Italiam, nullus enim est in tota Alpe depressior. Mons Jovis olim dictus est, vel à Gallis qui montes excelsos vocabant *Iou*, vel à Jove qui illic colebatur, cujus sacrilegam statuam sustulit Bernarduus Allobrox Sanctissimus & Cœnobium ibidem dotavit. Centrones *les peuples de Tarantaise*, Salassiorum fauces egressis occurrunt. Nomen ipsis à vico *Centron*, celebri quondam urbe, extenditur tota hæc vallis à Sammauricio oppido in Salassiorum finibus sito usque ad Confluentem oppidum Centronum, Sabaudiæ proximum, utrumque ipsius latus cingunt præcelsi montes Graiæ Alpis quadruplici clivorum ordine distincti qui frugibus maximè sunt uberes. Infimus vinetis & triticeis agris, medius reliquis frumentis, leguminibus & pratis, summus pinguibus pascuis glandariisque sylvis gaudet, sed deterrimis omnes ubique infesti sunt aquis. Mosterium *Moutiers en Tarẽtaise*, olim forum Claudium Metropolis est Centronum, & sedes Archiepiscopi. *Axime* celebre quondam oppidum nunc amplus pagus, Aquablancha *Aigue-blanche*, Confluẽs *Conflans*, oppidum Centronum Sabaudis proximum.

Cap. XIX.

Caroceli, Cresinodij, Cavares & Vocontij.

SAbaudiæ Duces originem ducunt à Beraldo Mauriennæ Domino, Hugonis Saxoniæ Ducis tertio genito, qui obiit anno 1027. Concilij Constantiensis tempore Amedæus 8. Sabaudiæ Princeps, Dux è Comite, primùm à Sigismundo Imperat. salutatus dicitur an. 1415. Nunc Taurini in præcipua Pedemontij civitate, ut plurimum habitat Dux, qui & Princeps Pedemontij, Saluzziarum & Genæ, Marchio Borzenæ, Comes Astæ, & Dynasta Niceæ. Appellatur hæc Regio in Notitia Imperij, Sabaudia. Subalpiam dixerunt aliqui, quasi subjectam Alpibus, ut ut sit, Sabaudi propriè dicti, exiguum terræ tractum occupant. Nam vix quidquam habent præter Miolanum castrum *Miolans* 45. 18. ad Isaram in abrupta rupe munitum Mommelianum 45. 10. ad Isaram oppidum ad radices ingentis petræ in celsum & oblongum propugnaculum plano è solo erumpentis, cui arx insidet firmissima, & Cāberium *Chambery*, 45.18. Metropolim & Parlamēti sedem ad Lessum amnem, qui primo miliari ab Camberio fūditur ex edita foratāq; rupe, & post duas leucas Burgetio Lacu *Lac de Bourget*, except', & emissus, Rhodanum subit ad Chanassiū *Chana*, ut supra diximus. Ex adverso Meolani castri Isara excipit amnem Arcium *l' Arech*, qui ortus ex Alpinis jugis Aneburgū *l' Asnebourg*, 45 4. rigat

 olim

olim oppidum, nunc pagum conſcendentibus Cineſiam Alpem commodam ſtationem, indeque Modaniam *Modane*, oppidum & San-Joannem Moriennem ſeu Garocelium 44.50. Metropolim totius gentis & Sedem Epiſcopi, ubi Arvahum rivum ex Solinis montibus deſcendentem: excipit & Aquambellam; abit penè ad fauces Garoceliæ vallis ſitam, & ad pagum Argentinam ferrariis fodinis percelebrem Iſaræ affunditur. Vallis porrò Garocelia *le Val de Maurienne*, contorto 20. Leucarum tractu continetur, ubique anguſtior. Certis locis ex ea trajectus eſt in Allobroges Delphinios, nominatim per Galterium montem, ſed aſpera omnino via. Fuit autem Garocelius populus, qui junctis olim armis cum finitimo, dextra ſiniſtraque Caturigum Centronumque populo, conatus eſt tranſitu prohibere, Julium Cæſarem, uti communem Galliæ hoſtem. Iſara auctus Artio tranſit in Vocontios, Allobroges Cis-montanos, quos nunc dicimus Delphinos & Greſivodiam vallem *Valee de Greſiuaudn*, percurrit, ab arce *de Barraux*, ad Gratianopolim. Sita eſt ea munitio in colle ad dexteram Iſaræ ripam diſtans Mom-meliano min. 6. Sed extructam à Duce Sabaudiæ an. 1597. Inſequenti anno Mareſcallus Leſdiguieres occupavit. Gratianopolis *Grenoble*, 44. 50, olim Cularo Vocontiorum Allobrogum Metropolis & ſedes Parlamenti Delphinatium, inſtituti à Carolo VII. anno 1407. primo ab urbe lapide vicus eſt *Pariſet*, ubi turris dicta S. *Venin*, quod omne animal venenatum in eam illatum è veſtigio enece-

enecetur: sunt in his partibus varij fontes, qui comburunt quidquid admoveris. Dracus, aliique torrentes ex Cotiis Alpibus præcipites Castellum *Lesdiguieres*, præterlapsi, in Isaram evolvuntur, qui deinceps Cavares ingressus, eorum oppida Sam-Marcellinum & Romana castra *Romans*, perluit, & in Rhodanum effunditur tanta cum rapiditate, ut ei non nisi post 1000. passus misceatur. Valentia Cavarum *Valence Capitale du Volentinois en Dauphinè*, sita in lat. 44. 15. paulo infra ostium Isaræ, (Ducat⁹ titulo, Episcopi sede, Academiâ & arce pentagonâ insignis) videntur hîc ossa Buardi gygantis quindecim cubitis proceri. Druma *Droume*, oritur in occiduis Vocontiis. Ei sunt appositæ urbes Dia *Die*, gr. 44. min. 9. urbs sita in convalle cum Episcopatu Valentiæ unito. Augusta Vocontiorum olim ampla urbs, nunc verò absorpta, exundante superiore lacu, ex qua reliquus vicus. Salhanum *Salhans*, ubi nundinæ celebres, Crestidium *Crest*, Lubero *Livron*, oppidum cum arce situm, super edito tumulo, fertili tamen & clementi, penè ad confluentem Drumæ, cum Rhodano. *Montelimar*, Acusio Cavarorum, oppidum mediocre, at pulchrum & munitum ad ostium amnis, *Roulion*, ab Oriente defluentis, qui sæpe transitu difficilis est, & multo sabulo impeditus.





Cap. XX.
Provincia, Arausio, Avenio, Alpes Cottia seu maritima.

PAtet secundum Rhotanum à Vindalio, vern. *Caderousse*, seu ab ostio Sulgæ amnis, usque ad Rhodani alveum de tribus medium, indeque secundum maris oram ad forum Julij. Eas olim partes incolebant Salvij seu Salyi, quorum Principes populi fuerunt Cavari & Vocontij. Provinciales posteà, eorumque regio Provincia dicta est à Romanis, quod prima esset non ordine, sed dignitate inter Provincias Imperij. Solum passim ita gratum, ferax & benignum, ut rore marino, myrtho, similibusque arbusculis, quibus incalescunt clibani, sylvescant eorum senticeta; ficuum & uvæ passæ tanta copia, ut toti Galliæ sufficiant. Mala citria, cydonia. granata, vina generosissima, & segetes omnis generis pleno cornu fundit natura. Franciæ accrevit, ex quo Carolus III. Provinciæ Comes ultimus Ludovicum XI. Galliæ Regem instituit hæredem.

Oppida Cavarorum Salviorum, præter ripam Rhodani sunt Vindalium non procul à Sulge ostio. Luerio *Mornas*, subter Aeriam, olim oppidum in edito colle situm, Arausio Principatus, cui nomen à primariâ urbe *Orange*, 43. 33. sita paulo, remotius à Rhodano ad amnem *Meine*, in solo 4. leucas longo, unâ lato, frugum fructuumque feraci, præterquam malorum cydoniorum. perve-

pervenit ad Nassovios Dynastas nuptiis Claudiæ Cabillonensis Principatus hæredis cum Renato Nassovio, Urbs Episcopatu claret, & Academia & præstantissimis antiquitatum monumentis, munitur vero aggeribus & arce firmissimâ, *Chasteau d' Air. & Rochemaure*, castella sunt sita in gemina rupe prærupta ex omni parte, quæ intra Rhodani alveum emergunt, altissimè tollunt capita, & toti viciniæ imperant, distant Avenionæ 13. min. Sorgia *la Sorge*, Petrarchæ versibus celebris oritur in Clusa Valle, *Vaucluse*, 43. 15. ex rupe 200. pedes alta, ex cujus summo, ruit crassitudine corporis humani, fluit deinde in amnem qui pontem Sorgiæ subluens complures excipit rivos, quorum præcipui, qui Vasionem *Vaison* subluunt oppidum edito in monte situm, caput olim Vocontiorum salviorum, Episcopali clarum dignitate, necnon Carpentoracten *Carpentras* 43.23. Avenio, Metropolis Comitatus cognominis *du Comtat d' Auignon*, agri gaudet bonitate, arce potens, Archiepiscopatu & Academia illustris, Pannorum byssinorum tincturâ & Papyraceis molis dives. Pontem habet passuum 1220. arcuum verò 23. Clemens V. ex Archiepiscopo Burdegalensi creatus summus Pont. anno 1305. Ponti..ciam sedem huc transtulit, ubi annis hæsit amplius 70. Ab Joanna Neapolis regina urbs postea vendita Clementi VI. 80. millibus florenorum auri, anno 1348. Ex quo autem Pontifices Romam reversi sunt, fuit sedes Vice-Legati Apostolici, qui exacto triennio locum alteri concedit.

Druentia oritur ex iis Alpibus quæ à monte Cinesio funduntur in duo latera, uno versus Avenionem, altero ad Niceam, ut sic complectantur suo Provinciam sinu. Eas majores dixerunt ab incolis Caturiges, à Rege Cottio Cottias, & à mari in quod desinunt Alpes, maritimas. Simplicium quæ in iis enascuntur, mira vis est & efficacia; Larix insuper multa, cujus in folia decidens manna ad magnitudinem pisi congelatur. Ejus autem septimo quoque anno magna copia colligitur, quàm Institores Venetias deferunt. Ex Genebra summo horum montium vertice fusus Druentia Brigantium *Briançon*, oppidum alluit, S. Clementem, necnon Ebrodunum *Ambrun*, 44. 35. urbem cujus Archipræsulem maritimarum Alpium Principem constituerunt Reges Galli, cudendæ monetæ facta potestate. Postmodum cum suis, tum advenis aquis, urbes rigat Episcopales Vapingum *Gap*. Sisteronem *Sisteron* Diniam *Digne*, 4. 6. cujus urbis Episcopus Nicasius in Concilio Nicæno solus ex omnibus Galliarum Episcopis sedisse inter 318. patres memoratur, Reium *Riez*, & Cabellionem *Cavaillon*, ac deinde Cavaris oblique trajectis fertur in Rhodanum pluribus simul nec iisdem alveis, idque tanta cum violentia, ut nec lintribus possit trajici. Reliquæ sunt in Rhodani litore. Tarasco, vel uti scribit Ptolemæus Tarusco *Tarascō* Arelate *Arles*, celeberrimum olim totius Europæ emporium, Cæsaris Navale adversus Massiliensis, civitas Augusto ita addicta, ut ipsi aram posuerit, in qua duo juvenes publicis sumptibus sagi-

saginati quotannis immolabantur. Burgundionum deinde fuit regia, novissimaque Comitum Provincialium sedes, Archiepiscopatus dignitate semper clara, sita ad Ortivum ex tribus amplissimum alveum Rhodani, inter quem & Stagnum Astromelam *Lestang de Martegues*, lapidei sunt campi *la Crau*, in quibus fabulantur Plinius & Solinus Herculem hîc dimicantem contra Albiona & Bergionem Neptuni filios, cùm ei tela deessent ab invocato Jove adiutum imbre lapidum. Et verò credas pluisse, adeò multi & passim & latè jacent. Metina & Blascon insulæ quondam ad ostia Rhodani, nunc incognitæ.

CAP. XXI.

Maritima Provincia.

RHoda Rhodiorum colonia ad Rhodani ostia olim sita periit. Solventi verò ab ostio Rhodani ortivo post campos lapideos occurrunt insulæ Ferrariæ & Jonquieræ, necnon Turris Hircina *la Vour de Bouc*, sita in ipso aditu alvei lacus quem Majores Astromelam dixerunt, recentiores Sinum Marteguæ, vel mare Berrense *mer de Martegues ou de Berre*, à maritimis scilicet oppidis. In eum labitur Larius amnis, qui Aquas, Sextias *Aix*, 43. 33. alluit urbem sic dictam ab aquis quæ ibi sunt, calidis, vel à Caio Sextio Saliorum domitore, nunc Archiepiscopatu insignem & Parlamento quod Ludovicus XII. instituit, an. post millesimum 501. Hinc superato promontorio *de Conne*, adire poteris Massylliam


Marseille, 43. 20. urbem à Phocensibus Persicam servitutem fugientibus conditam circa Olymp. 60. ubi, inquit Strabo, affixa sunt spolia permulta, quæ cives diversis temporibus victores pugnis navalibus retulerunt de iis qui sibi mare injustè vindicabant. Portus tunc est perinsignis in quem grandioris notæ cujuscunque generis naves subeunt, statione anchoris tutissima & capacissima, Triremiũ Franciæ receptaculum. Ante annos aliquot vir in ea urbe repertus est capitis, 4. pedes crassi, ponderis vero 70. librarum; minimæ cæterùm staturæ & macilentus adeò, ut ossibus sola cute tectis incedere vix posset, loquereturque debili tantum & plusquam fœminea voce.

Massylia velificanti Tolonem occurrunt insulæ Stœchades *les Pomegues*, & Citharistes portus & promontorium *cap. & port de Gereel*, necnon rudera Tauroentij *Toroent*, extincti oppidi. Tolo verò Martius *Toulon* oppidum est & portus major Massiliensi, sed minus tutus, capax multarum navium præsertim orbicularium, extantibus aquis quibusdam locis ad 20. orgias. Fuit in eodem hoc litore Heraclea Cabraria oppidum olim & portus, sicut & Orbia *Ieres*, urbs pridem extincta, à qua tamen adhuc nomen retinent insulæ ad Olbiam dictæ *les isles de Ieres.* Sturium, Phenice, Phila incertis hodie vernaculis nominibus, uti parum illustres.

Oppidum S. Tropæi *S. Tropes*, suo situ meridiem spectat: sinus & fossæ *Grimault*, partus est nobilis & frequentiæ navium commodus ipsi ad

Boream

Boream eſt navale Auguſti, ſeu forum Julium *Freius*, quo Auguſtus Cæſar roſtratas naves, quas Actiaca victoria ceperat, miſit valido cum remige ſemperque poſtea claſſem habuit ad tuendam Galliæ & Hiſpaniæ oram. In ejus intimo ſinu, Mediterraneo mari miſcetur Argenteus fl. Graſſa *Graſſe*, in Alpibus maritimis urbs in quam translata ſedes Epiſcopalis Antipoli urbe maritima ob frequentes prædonum incurſus. Habet in Diœceſi Abbatiam S. Honorati. A memorato ſinu Antipolim purgens inſulam videt Lero ſive Lerinas duabus leucis Provincialibus à terra diſſitam frumenti optimi viniquе copiam ferentem, quæ hodie S. Honorati nomine celebratur propter antiquum Monaſterium, ex quo prodiere Archiep. 12. Epiſcopi 12. Abbates 10. Martyres 105, Antipolis Gallis *Antibe* in agro eſt Deceatis populi. Vencium verò Neruſiorum in Alpibus maritimis urbs Epiſcopalis.
Vence en Provence.





GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

PARTIS SECUNDÆ.

LIBER NONUS.

ITALIA.

CAPUT I.

Ejus nomen, magnitudo & figura, cœli solique Natura.

ITalia plura habuit nomina. Dicta enim eſt Auſonia quod Auſones primi eam tenuerunt. Saturnia à Saturno Rege, vel à Saturna rupe, id eſt, Capitolio. Heſperia à Veſpero, quod Græcis eſſet ad Occidentem, Magna Græcia, quod eam regionem, Græcia majorem Græci ſuis coloniis occupaſſent. Oenotria, quod vino, eoque optimo abundaret. Italia denique quod frequentes in ea Græci viderent boves, quos Ipſi *Italous*, vocant. Longitudo ipſius maxima eſt mil. 620. ab Auguſta Prætoria vern. *Aoſta*, ad Rhegium, latitudo 350. inter Antipolim ad Varum & Polam Coloniam ad Arſiam. Ambitus à Varo ad Arſiam vicies centena 49. millia efficit. Querno folio Plinius ait ſimilem, Peltæ verò Amazonicæ Martianus, ocreæ probè diductæ omnes

nes recentiores. Hæc in situ Italiæ laudant Strabo & Dionysius. Primùm, quod in modum insulæ maris præsidio cingatur, exceptis paucis quibusdam partibus, in quibus montes invii. 2. quòd plerisque locis importuosa sit, & quos habet portus, ij magni sint, atque mirandi, quorum illud adversus exterorum incursiones usui est, hoc ad invadendos vicissim exteros & mercaturę expeditam copiam conducit. 3. quod aëris præcipua temperie fruatur, quæ nec gelu nimio, nec immenso æstu fruges lædit, aut animalia, ex qua sequitur eorum quæ ad vitam juvant, fertilitas copiosa. 4. quod Montes Apennini per mediam ejus porrecti latitudinem nullam relinquant partem quæ non & montium & camporum commoditatibus fruatur. Nulli frumentiferæ terræ cedunt rura campana; æstivam post Hybernam & autumnalem post æstivam sementem enutrientia; maximè Benacus, qui masculis per montium claustra ludis undii, qua Avernus, qua Puteoli, qua Cumæ lasciviunt. Nulli oliviferæ Messapiorum ac Dauniorum, Sabinorumque cultura. Nulli vitiferæ Etruscus, Albanus, Falernusque ager, sic amicus vitibus, ut modico labori uberrimos reddat fructus atque optimos. Præter eam quæ colitur, spatia terræ amplissima pascendis ovium caprarumque gregibus relicta sunt: Sed aprici colles & innoxii saltus imprimis admiratione digni, ex quibus plurima aptissimaque fabricandis navibus, & aliis operibus materies petitur quàm facilè, ut & alios terræ proventus fluviorum frequentia, in omnem

partem convectat. Adde aquarum calidarum, ac frigidarum plurimis locis eruptiones, sanitatis gratiâ à natura elaboratas: Metallorum copiam, venationes luculentas, maritimos proventus varios & alia innumera, vel utilitati servientia, vel delectationi, miracula. Hinc illa hominum multitudo tanta, ut nunciato Gallico tumultu, sola sine exteris ullis auxiliis Equitum 80. millia, peditum 700. millia armaverit. Hinc urbium frequentia, quæ ad 1197. aliquando pervenerunt. Sed inter omnes enituit Roma caput Imperii, post orbem conditum longè maximi atque potentissimi, de quo antequam ad Italiæ Chorographiam accedo, pauca quædam prætexere operæ pretium erit.

CAP. II.

Romani Imperii initium, progressus & finis.

Dionysius auctor est ann. 2. exeunte Olympiadis secundæ, qui est ante Christum 735. Romulum natum esse, ab eoque urbem 18. post annos, id est ante Christum 753. conditam esse. Post annos 244. Tarquinio Superbo Regum 7. propter oblatum ab ejus filio Lucretiæ stuprum, abrogatum est Imperium 6. Kal. Mart. & duo Coss. creati, quibus summa rerum commissa. Anno hujus urbis 711. ante Christum 43. cùm jam toto orbe pacato ad summum gloriæ verticem Romana res pervenisse videretur, de repentè civilibus terrâ marisque bellis miserè quassata est,

eſt tandemque Cæſare & Pompejo trucidatis, Octavi⁹ Cæſar Auguſtus Imperium ſolus obtinuit, quod deinceps unius arbitrio geſtum eſt, ad an. Chriſti 163. quo poſt Antoninum Pium, *M*arcus Aurlius, & L. Ælius Verus, conjunctim imperare cœperunt & duo Imperatores ſimul viſi, qui Divi fratres ſunt vocati. Severus deinde, filios ſuos Baſſianum & Getam Cæſares, mox & Auguſtos nominavit, qui & Patre mortuo aliquantiſper unà imperarunt.

Fuerunt & alii, qui habenas imperii ſimul ſunt moderati, nullâ propterea Imperii factâ diviſione, ſed totâ remanente apud majorem natu authoritate, donec Diocletianus & *M*aximianus Principatum abdicarunt. Tùm enim Conſtantinus Chlorus, & Valerius *M*aximianus, Imperium omne in Orientem & Occidentem partiti ſunt, Occidenſque Conſtantio, Oriens Valerio, ceſſit. Poſtmodum Conſtantinus *M*agnus, quamquam ipſe ſolus imperaret, cùm tamen Byſantium urbem Thraciæ, de ſuo nomine Conſtantinopolim appellaſſet, eam etiam in alteram Imperii ſedem evexit, & iiſdem, quibus ipſa utebatur Roma, Privilegiis ornavit, morienſque filiis Imperium diviſit. Exindè quamvis Imperium aliquoties ſub uno Principe coaluerit, quamvis etiam communi conſenſu Principes, cùm plures eſſent, res Imperii adminiſtrarent, ac ſimul Conſules crearent, quorum alter Romæ, alter Conſtantinopoli reſideret, eandem tamen Provinciarum diviſionem, jam inde ab Auguſto factam, & à Conſtantino in duas partes

tributam, sequentes Principes, ut plurimum retinuerunt, & per continua sæcula (quibusdam tantum pro rerum & temporum varietate mutatis) conservarunt ad annum Christi 475. quo Occidentis Imperium jamdiu quassatum, in Momillo Augusto finiit, cœpitque Regnum Italiæ ab Odoacre Italo Helurorum Rege, qui cùm esset trans Danubium, audito tumultu, qui erat in Italia, comparato exercitu eam invasit, & Oreste interfecto, & Augusto relegato in Lucullanum Campaniæ, Rex Italiam tenuit. Heluris successerunt Ostrogothi anno 494. Longobardi post Ostrogothos Italiam penè totam invaserunt anno 568. & retinuerunt ad annum 775. quo Franci pepulerunt Longobardos. Dixi Italiam penè totam; nam Græci Præfecti, Constantinopoli ab Imperatore mitti consueverant, qui reliquias imperii utcunque tutabantur, qui excogitato novo Imperii modo dicti sunt Exarchæ anno 569. quo Longinus Patricius à Justino II. missus, Ravennæ Exarchatus sedem delegit: cui in eodem officio, varii successerunt ad annum 752. quo Pentapoli à Longobardis occupata, Exarchatus cessavit. Orientis similiter Imperium, quod incœperat anno 330. quo nobilissimæ urbis Constantinopolis dedicatio facta fuerat à Constantino Magno, tandem infinitis fluctibus agitatum desiit anno 1453. quo Mahumetus Turcus Constantinopolim expugnavit 29. Maji.

CAP.

Cap. III.

Romani Imperii amplitudo.

MAjor fuit Romani quam Turcorum, aut Sinarum, vel ullius prioris, posteriorisve Imperii amplitudo. Maximum fuit & in suo quasi culmine ab Augusto ad Trajanum: quando clausum fuit Oceano, à Britannicis insulis, ad Fortunatas, hincque ad Nili cataracten majorem, maris rubri utroque sinu, Arabico & Persico, Tigri fl. montium Caspii Caucasique verticibus Mæoti lacu, fluminibus Danubio & Rheno; sicque longitudo ipsius maxima fuit grad. 80. id est, leucarum circiter mille 500. licet inter urbes ab invicem maximè disjunctas Ulissiponem, scilicet & Babylonem in finibus Mesopotamiæ, non plures numerentur, quam mille 200. Latitudo ubique fuit dimidio major, scilicet inter parallelos gr. 22. min. 30. ubi Cataractes Nili: & 52. 30. in quo est Lugdunum Batavorum & medium Rheni ostium, sexcentis inter utrumque terminum interceptis leucis. Nicephorus hist. Eccles. lib. 1. cap. 17. ait, tempore Augusti recensitos in toto Imperio ducentos sexaginta milliones, ter centum & sexaginta millia personarum, hoc est, 26037. miriades. Imperii remotissimas Provincias mare Mediterraneum magno viarum compendio conjungebat. Posteà mole suâ & amplitudine laborans in duas partes æquas divisum est meridiano 45. qui per Syrtim majorem, Corcyram insulam, & Epirum duci-

tur,

tur, interjacente; unumque Occidentis dictum cujus caput *Roma*; Orientis alterum, ejusque caput Constantinopolis. Utrique quadrata obtigit area cujus latus quodlibet 600. circiter leucarum fuit. Per indicem, si placet, singulas uniuscujusque *Provincias* & præcipuas urbes percurramus. Administrabatur Occidentis Imperium à duobus *Præfectis Prætorio*, quorum unus dicebatur *Præfectus Prætorio* Italiæ, alter *Præfectus Prætorio* Galliarum. Singuli tres habebant Diœceses, & præterea Vicarios aliquot per quos *Provincias* administrabant. Sub dispositione *Præfecti Prætorio* Italiæ erant Diœceses tres, videlicet, Italiæ, Illyrici & Africæ. Vicarii quatuor, *Provinciæ* 29. Sub dispositione *Præfecti* Prætorio Galliarum erant Diœceses tres, Vicarii tres. Provinciæ 29. Orientis Imperium regebant similiter duo Præfecti Prætorio, Orientis scilicet & Illyrici. Sub dispositione Præfecti Prætorio Orientis erant Diœceses 5. nempe Asiæ, Ponti, Orientis, Ægypti, & Thraciæ, *Provincæ* 49. Sub dispositione autẽ *Præfecti Prætorio* Illyrici erãt tantùm Diœceses 2. Asiæ scilicet & *Macedoniæ*, *Provinciæ* undecim. Hanc porrò Imperii divisionem, & administrationem fuisse semper talem ne existimes, sed tantum circa tempora Honorii & Theodosii Imperatorum; nam longè alia fuit sub *Augusto Cæsare*, qui anno urbis 727. *Provincias*, quæ pacatæ erant, & imbelles, militumque præsidiis non indigebant, in duodecim Diœceses descripsit, duas Proconsulares & decem

decem Prætorias, easque populo Romano regendas tradidit. Provincias, verò firmiores in quibus exercitus habendi erant, ut sibi universum Imperii robur attribueret, Cæsaris Provincias esse, & dici voluit; quas & divisit in 14. Diœceses & Legatos Proprætores, Procuratoresque dignitate Proprætoria misit, qui exercitibus præessent, quos omnes communi vocabulo Rectores vocavit.

Cap. IV.

Syllabus Provinciarum, urbiumque præcipuarum Occidentis Imperii.

Non dignitatis, sed situs ordinem sequor, quò faciliùs memoriæ mandentur.

Liguria.	Genua.	Genova.
Etruria.	Florentia.	Fiorenza.
Umbria.	Spoletum.	Spoleto.
Tuscia.	Sena Julia.	Siene.
Valeria.	Reate.	Rieti.
Latium.	Roma.	Roma.
Campania.	Capua.	P. Capova.
Lucania.	Metapontum.	P. Torre dima-(re.
Brutium.	Sibaris.	Sibari.
Sicilia.	Syracusæ.	Syracusa.
Sardinia.	Caralis.	Callari.
Corsica.	Aleria.	Alerie.
	Tarentum &	Taranto.
Calabria.	Brundusium.	& Brundisi.
	Barium &	Bari.

Apulia.

Apulia.	Sipontum.	P. Siponte.
Picenum Suburbicarium.	Ancona.	Ancona.
Flaminia.	Ravenna.	Ravenna.
Æmilia.	Bononia.	Bologna.
Venetia.	*Patavium* & Aquillia.	Padova. Aquileis.
Istria.	Tergeste & Pola.	Trieste. Pola.
Alpes Cottiæ.	*Mediolanum.*	Milano.
Rhætia prima.	*Curia.*	*Coire.*
Rhætia 2.	Brigantium. Augusta Vindelicorum.	Bregenrz. Auspurg.
Noricum Mediterraneum.	*Celeia.* Juvanum.	Cilly. Salzburg.
Noricum Ripense.	Lauriacum. Arelape.	Lorch. Pachlarn.
Pannonia 1.	Vindobona.	Vienne.
Valeria.	Aquincum.	Buda.
Savia.	*Syscia.*	Sissech.
Pannonia 2.	Servitium.	Grandiskin.
Dalmatia.	Scarbona. Salona.	
Tripolitana.	Tripolis ante Leptis magna.	Tripoli de Barbarie.
Bizacium.	Adrumetum,	*Suse.*
Africa.	Carthago vel Utica.	Prés Thunis. Biserte.
Numidia.	*Cirta.*	Constantine.
Mauritania Sitiensis.	*Ciriti.* Salde.	Estefe. Bugi.

Mau-

Mauritania Cæsariensis.	Julia Cæsarea & Signa.	Alger. Oran.
Mauritania Tingitana.	Tingis.	Tanger.
	Gades.	Cadis.
Bætica.	Hispalis.	Seville.
Lusitania.	Emerita.	Merida.
	Braccara.	Bragues.
Gallæcia.	Lucus Austurū.	Lugo.
	Cæsar Augusta.	Zaragoza.
Tarraconensis.	Tarraco.	Taragona.
Carthaginensis.	Carthago.	Carthagena.
Baleares.	Palma.	Maillocra.
	Mago.	Minorca.
Alpes maritimę	Embrodunum.	Embrun.
Alpes Graiæ.	Tarantasia.	Monstiers.
Viennensis 1.	Vienna.	Vienne.
Viennensis 2.	Narbo.	Narbonne.
Viennensis 3.	Aquæ-Sextiæ.	Aix.
Novem-populania.	Augusta Ausciorum.	Ausch.
Aquitania 1.	Avaricum.	Bourges.
Aquitania 2.	Burdegala.	Bourdeaux.
Lugdunensis 1.	Lugdunum.	Lion.
Lugdunensis 2.	Rotomagus.	Roüen.
Lugdunensis 3.	Cæsarodunum.	Tours.
Lugdunensis 4.	Agendicum.	Sens.
Maxima Sequanorum.	Visontio.	Besançon.
Belgica 1.	Augusta Trevirorum.	Trier.
Belgica 2.	Durocotorum.	Reims.

Ger-

Germania 1.	Moguntiacum.	Mentz.
Germania 2.	Colonia Agrippina.	Cologne.
Britannia 1.	Londinum.	London.
Britannia 2.	Iſca Silurum.	Caër-Leon.
Flania Cæſarienſis.	Eboracum.	Yorch.
Valentia.	Alta caſtra.	Edenbourg.

Cap. V

Syllabus Provinciarum, urbiumq; præcipuarum Orientis Imperii.

PRævalitana.	Scodra.	Scutari.
Epirus nova.	Dyrrachium.	Durazzo.
Epirus vetus.	Nicopolis.	Preveza.
	Corinthus.	Corintho.
Achaja.	Athenæ.	Setines.
	Lacædemon.	*M*iſiſtra.
Creta.	Cydonia.	Canea.
Theſſalia,	Lariſſa,	Lariſſo.
Macedonia.	Theſſalonica.	Salonichi.
Dardania.	Scupi.	Uſchub.
Dacia Mediterranea.	Næſſus.	Nyſſa.
Dacia Ripenſis.	Oeſcus.	Iſcar.
Mœſia. 1.	Viminacium.	Viſsēbour, aliis Unezidernam.
Mœſia 2.	*M*artianopolis.	Provas.
Scythia.	Tomi.	Tomeſuar.
Hæmimons.	Hadrianopolis.	Andrinopolis.

Thra-

Thracia.	Philippopolis.	Philibe.
Rhodope.	Trajanopolis.	
Europa.	Cōſtātinopolis	Stanbol.
Pontus Polemoniacus.	Neocæſarea.	Tocata.
Helenopontus.	Amaſia.	Amaſce.
Galatia.	Ancyra.	Angori.
Galatia ſalutaris.	Peſſinus.	Poſſene.
Paphlagonia.	Pompejopolis	Tarachitopoli.
Honorias.	Heraclea Ponti	Pendarachia.
Bithynia.	Nicomedia.	Comedia.
Helleſpontus.	Cyzicus.	Cyzico.
Phrygia ſalutaris.	Pergamus.	Pergamo.
Phrygia *Pacatiana.*	Apamia.	Apamie.
Lydia.	Sardis.	Sardes.
Aſia.	Epheſus.	Epheſe.
Inſulæ.	Rhodus.	Rhodes.
Caria.	Laodicea.	Laodichi.
Lycia.	Myra.	Strumita.
Pamphilia.	Perge.	Perga.
Piſidia.	Antiochia Piſidiæ.	
Cilicia 2.	Tharſus.	Tarſo.
Cilicia 1.	Cæſarea.	Ainzarba.
Cappadocia 2.	Tyana.	Tyagna.
Cappadocia 1.	Maſaca Cæſarea.	Sarmuz.
Armenia 1.	Sebaſtia-Trapezus.	Synas, Tarraboſſan.

Arme-

Armenia 2.	*Melitene.*	Malasia.
Comagena Euphratensis.	Samosata, & hierapolis.	Alep, Samusat,
Oshœna.	Edessa.	Rhœy.
Mesopotamia.	Nisibis.	Nisibi.
Syria.	*Antiochia* magna.	Antioche.
Cyprus insula.	Salamis,	Famagusta.
Syria salutaris.	Palmyra.	Faid.
Phœnice.	Sidon.	Said.
Phœnice Libani.	Damascus.	Damas.
Palæstina 1.	Cæsarea Stratonis.	Azoz.
Palæstina 2.	Samaria.	Napolitza.
Palæstina salutaris.	Hierosolyma.	Chutz.
Arabia Petræa.	Petra.	*Arach.*
Augusta amnica.	Pelusium.	Damiate.
Ægyptus.	*Alexandria.*	*Alexandria.*
Arcadica.	*Memphis.*	*Alcayro.*
Thebaïs.	Thebæ.	Thebes.
Libya inferior.	Paratonium.	*Abreton.*
Libya superior.	Cyrene.	Corena.

Cap. V.

Copia & Præsidia circa limites, & in ipsâ urbe.

IN interioribus arx nulla, vix Præsidium præterquam in ipsa urbe. Fines clausi ac muniti mari,

mari, montibus, amnibus & copiis. Spes est in arcibus exigua, sed tantùm in milite, qui circa limites, ut in magna urbe circa mœnia & vallum erat ubique dispositus, non in urbibus, nisi metus esset rebellionis, sed in castris ubi exercebatur, & oneri erat minimo subditis, in hostes usui maximo. Numerus eorum sub Augusto & Tiberio fuit Legionum 25. sub Trajano & Hadriano 30. Erant siquidem in Hispania legiones 3. In Gallia 5. ad Rhenum 8. quarum cohortem unam Lugduni statuit Tacitus. In Pannonia ad Danubium duæ. In Mœsia ad Danubium 2. In Dalmatiâ 2. In Syria ad Euphratem 4. præter duas quæ fuerunt Beryti ad mare. In Ægypto duæ & aliquando tres, quarum una Alexandriæ locata; aliæ per regionem maximè Babylone castello supra Delta & Syene ad minorem Nili cataractẽn. In mari similiter & fluminibus classes habuerunt, quæ & piratas cohiberent, & hostes arcerent, & suis cum opus esset, transitum darent; fueruntque in mari 4. quarum duæ majores dicebantur prætoriæ, videlicet Ravennas & Misenensis in quibus singulæ legiones. Ravennas navibus constabat 250. & Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam & Cyprum petere directa navigatione consueverat. Misenensis verò haud paucioribus navibus Gallias, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Ægyptum, Sardiniam atque Siciliam tutabatur. Minores præterea erant classes duæ, quarum una Forojulii, altera in Ponto, ubi 40. naves longæ. Sunt & qui tertiam collocent ad

ostia

ostia Tiberis & Puteolis. Habuerunt & claves alias in fluminibus, unam, quæ dicebatur Germanica & Britannica, quæ stabat ad Pharum, seu Arcem Britannicam in ostio Rheni; secundam in Danubio, quæ constabat Lusoriis. Tertiam in Euphrate contra Parthos. Præter hæc fuerunt etiam in urbe milites qui Principem tuerentur & ipsam urbem. Principis custodia constabat prætorianorum cohortibus 9. & aliquando 16. fide, robore & gente eximiis. Evocatis præterea Equitibus, qui excubias circa cubiculum Imperatoris agebant, & mille Batavis partim Equitibus, partim peditibus pro custodia corporis. Erant denique Urbanæ cohortes 6. & aliquando 9. ad urbis defensionem. Præterea sex cohortes Vigilum contra nocturnos fures & grassatores. Summa totius Præsidij putatur fuisse 400. millia Ordinariorum. Imò Agarhias de Justiniani ævo loquens negat copias Romanorum tantas quantas olim esse, nec sufficere tutelæ Imperij. Cum enim ad sexcenta quadraginta quinque millia militum universas esse colligere oporteret, vix tunc centum quinquaginta millibus constabat. Verum ut numerus Agarhiæ constet, auxiliares copias numerasse debuit. Sic enim viri docti censent.

CAP. VI.

De viarum magnis operibus.

SUmmum Romanæ potentiæ argumentum petunt aliqui ab itineribus & vijs quas in omnes

nes Imperii sui terminos Imperatores duxerunt. Et verò nihil est cum iis conferendum, sive utilitatem ejusmodi operum respicias, sive impendii sumptuumq; modum. 1. est quam Appius Claudius Censor à porta Capenâ ad urbem Capuam, Augustus Brundusium, usque perduxit per milliaria circiter 350. latam pedes 25. stratam silice polito, trium quatuor-ve pedum qui colore & duritie ferrum referebat, talis juncturæ & firmitatis, ut Procopius referat post 800. annos assiduis quantumvis plaustris jumentisque tereretur, nullum lapidem seriem suam, vel tantillum exiisse, nullum fractum, aut lævorem suum amisisse. Via Flaminia Româ Ariminum usque, & inde porro Aquileiam ducebat. Alias postmodum Romani per totum orbem disposuerunt, excisis sæpè montibus, & complanatis vallibus, ut æquabiles fierent, sic Augustus duplicem ex Italiâ Lugdunum viam deduxit: alteram prolixiorem plaustro permeabilem per Centrones: alteram rectam. Sed angustam & compendiariam per Apennium. Agrippa verò ejus gener ex eo loco alias in omnes Galliarum partes duxit. Unam per Cemmenos montes in Aquitaniam: aliam ad Rhenum: tertiam ad Ambianos & Oceanum; quartam in agrum Narbonensem litusque Massiliense, quarum vestigia plerisque in locis cernimus, puta inter Bacharachum, Treveros & Luxemburgum, ubi adhuc patet via lata, ampla, lapidibus strata: Bavaci in Hannonia, ubi aliud fuit positum milliarium in varias Galliæ oras maximè Tungros & Parisios. Cordubæ in

Franciscanorum cœnobio visitur columna ex subviridi marmore, quæ Augusti nomen habet incisum, expressumque numerum centum viginti unius, quod verum est spatium milliariorum, quo distabat Corduba à mari. Aliam ponit Antoninus Nebrissensis, quæ Salamantica Emeritam usque ducit, quam Argentinam vocat, vultque totius Hispaniæ nobilissimam, quam à Crasso fuisse munitam, asserit. Easdem vias in omnes Imperii fines productas nullatenus est ambigendum. Hujusmodi porrò viæ marginabantur cipis quibusdam eminentibus, primò nè structura diffluerет. Secundò, ut fessi in iis residerent, onera reclinarent, vel ex iis ascenderent in equum. Ad singulos præterea mille passus columellæ extabant notis numerorum incisæ, quas lapides simpliciter, vel milliaria appellabant Romani, *simeia*, verò seu signa Græci, ne ignari locorum oberrarent milites, reficereturque animus, ac vires iter facientium eâ significatione. Hanc præterea itinerum rationem affert D. Ambros. serm. V. in Psalm. 118. miles non voluntaria captat compendia, ne recedat à signis; sed itinerarium ab Imperatore accipit, & præscripto incedit ordine: cum armis suis ambulat rectâque viâ conficit iter, ut inveniat commeatuum parata sibi subsidia. Si alio ambulaverit itinere; annonam non accipit, mansionem paratam non invenit, triduò ambulat exercitus, 4. requiescit, eliguntur civitates, in quibus triduum quatriduum-ve, & plures interponantur dies, donec ad urbem

rega-

regalem perveniatur, in qua fessis exercitibus requies ministratur.

Cap. VII.

Antiquus urbis Romanæ decor.

SUb Trajano Romam ad summum suum pervenisse decus plerique dicunt:: & si eam laudẽ Constantino tribuat Nazarius. Ut ut sit, sita fuit in medio propè ejus imperii, cujus Metropolis fuit, defensa jugis Alpium & Apennino ab omni vi subitâ, distans â mari millia passuum 16. proxima Tiberi, qui tum ibi latus erat pedes 400. & sic profundus, ut maximas naves susciperet, quibus necessaria per mare, quod medium Imperium permeabat, omnes Provinciæ transmittebant. Quadrata fuit initio, postea rotunda propemodum, murus ab Ammone Geometra mensuratus unius & 20. milliarium repertus. Et verò 3765. passus fuerunt à singulis portis ad milliarium aureum, à quo mensuræ currebant, & in quod Italiæ omnes viæ desinebant, ipsumque non longè ab umbilico urbis posuit Augustus in capite fori Romani. Hoc ambitu continebantur montes 7. regiones 14. compita 265. insulæ 46602. templa 424. fora 17. Suburbia excurrebant ad oppida Tibur, Ocriculum, Ariciam & Ostiam ad mare, aliqua ad 15. milliaria, imò nesciebatur, ubi urbs desineret. Hadrianum I. summum Pont. muros, qui nunc extant centenis aureorum millibus è Tuscia contractis, extruisse refert Blondus, feruntque

perimetrum vix esse milliarium 14. Intra pomoerium videre erat 7. colles publicis privatisque ædibus insessos, gradatim declinantes, & velut superas quasdam urbes, urbi inferæ imminentes. Fora Romana, templa, Principum basilicas, ædificia publica pleraque, eorumque decorem sileo; tantùm dico flumina sub urbe visa fluâre quatuordecim præcipuis alveis per quos equitare commodè licebat. Fontibus ad summos montes evocandis, ut inde possent aquæ dispensari, impensos aliquando septem nostrates milliones Unum Agrippam lacus 700. fecisse, salientes 105. castella 130. insuper cloacas opere pensili subternavigatas, in quas 7. amnes, cursu præcipiti ruentes omnia purgabant. Narrat Olympiodorus gratuitas Antonii thermas in usum lavantium habuisse sellas 1600. è polito marmore factas; Diocletiani autem duplo circiter plures. Balnea plerique fastidiebant, in quibus non erant argentea subsellia. Quale fuerit reliquum thermarum corpus, piscinæ longæ, porticus, Xysta, nemora, Sphæristeria, & quanta horum omnium amplitudo, tecum reputa. In his statuarum multitudo tanta, ut alterum populum penè parem incolis daret; nec mirum, cùm liceret cuique ære & marmore se publicare. Principum verò statuas tantùm argento & auro solido. Colossos hic vidisses, alibi curules & equorum, leonum, variorumque animantium greges. Certè privatorum hominum ædes urbanæ tales fuerunt, ut angustæ putarentur, si earum minor esset area jugeribus quatuor, Plurimorum verò sic paten-

patentes, ut laxitatem urbium vincerent. Pauper videbatur & sordidus civis, cujus parietes Alexandrinis marmoribus, aut numidicis crustis non essent distincti, & apud quem, aquam argenteâ epistomiâ non funderent. Si Mamurra Præfectus fabrorum, totius suæ domus parietes operuit crusta secti marmoris, quid mirum, si Crassus ex solido auro tecta habuit, laquearia & cœnationes sic dispositas, ut subinde parietum, alia atque alia facies succederet, & toties tecta quoties fercula mutarentur, essentque aliæ tabulis eburneis laqueatæ, gemmis verò & floribus distinctæ, quibus unguenta desuper spargerentur. Mitto pomaria in summis turribus & sylvas in domorum fastigiis. Mitto atria columnata, & aurea columnarum capitella. Eò venerant deliciarum, ut aliquanto locupletiores, nihil nisi gemmas calcare vellent. Nec mirum, nam quicquid artificum insigniorum Græcia, aut Asia habebat, Romam evocabant, qui quod natura denegabat, per artem tentabant, nihilque fuit in Provinciis magnificum, utile, vel gratum, quod non in urbem inveheretur. Quantus porrò fuerit Romæ ædium hominumque numerus, hinc collige, 1. quod cum Heliogabalus servis imperavit, ut urbis omnes araneas colligerent, Lampridius refert, ad 10. millia pondo pervenisse. 2. Sub Augusto plebis urbanæ tenuioris quæ è publico victitabat, fuerunr 300. viginti millia, Nemo verò dixerit fuisse pauciores Senatorii, vel Equestris Ordinis. Fuerunt adhuc longè plures, ex ipsa plebe honesti. Vix fuit sive dives, sive pauper

qui ſervum unum, aut alterum non haberet. Unus Pædianus 400. ſervos ſub tecto ſuo, & domi habuit. Puerorum & mulierum numerus, haud dubiè duplo major, ut minimum, Quis peregrinos numeret? Ajunt ſub Veſpaſiano luem fuiſſe tantam, ut per multum tempus in Ephemeridem mortuorum in ſingulos dies relata fuerint decem millia. Hæc qui reputant, ad 4. milliones potuiſſe numerum incolarum pervenire ſibi perſuadent.

Cap. VIII.

Quomodo Italia in plures diviſa Principes.

IN re obſcura hæc accipe. Prodiit anno 1195. Donatio facta Sylverio Papæ à Conſtantino Magno, emiſſa in vulgus à Balſamone Patriarcha Antiocheno, in qua inter cætera hæc lego. Donamus Patri meo Beato Sylverio, & ejus ſucceſſoribus noſtrum Palatium, diadema capitis noſtri, & Epomidem, quæ collum cingat, purpuream chlamydem & tunicam coccineam, omnia indumenta regia, & gloriam omnem meæ poteſtatis. Eos autem, qui in clerum Romanum allecti ſunt, ornari jubemus iiſdem, quibus Senatus noſter veſtimentis, equo vehi, albis veſtibus tegi, ita & calceos eorum fieri ex pannis albis. Maximè autem utile & amicum Deo eſſe duximus cedere urbe Româ, & omnibus Occidentis locis, ac urbibus Sanctiſſimo Papæ, iniquum

exiſti-

existimantes, ut Imperator in eo loco summam potestatem habeat, ubi Christianæ fidei cœlitus principium nobis fuit. Hanc Constantini donationem Isidorus Hispalensis ante mille annos veram & legitimam asseruit. Idem præstiterunt Nauclerus & Photius Patriarcha. Quanta tamen sit horum autorum fides, aliorum sit judicium. Certum Constantinum testamento Romam, Italiam, & Illyricum, Constanti filio natu minimo reliquisse. Pręterea Romanos Pontifices præter urbem Romam quidquam possedisse, quandiu imperarunt in Italia Longobardi, & Exarchæ Ravennates vix invenias. Leo verò Ostiensis hist. Cassin. lib. 1. cap. 7. de donat. à Pipino Francorum Rege sedi Rom. facta, hæc scribit. Fecit autem inclytus Rex unâ cum filiis concessionem B. Petro, ejusque Vicario de Civitatibus Italiæ & territoriis per designatos fines à Lunis, seu insula Corsica, inde Suratum, inde in montem Bardonem, Vercetum, Parmam, Rhegium, Mantuam & montem Silicis, simulque universum Exarchatum Ravennæ, sicut antiquitus fuit cum Provinciis Venetiarum & Istriæ, cunctumque Ducatum Spoletinum & Beneventanum, eamque donationem manu propriâ & filiorum, plurimorumque Judicum & Optimatum subscriptione roboravit. Quę omnia A. Chr. 774. Carolus Magnus victo Desiderio Longobardorum Rege confirmavit Sedi Apostolicæ & donationibus novis auxit, ut habet Anastasius. Ipse verò Carolus Imperator factus, pacem iniit A. 802. cum Imp. Orientis, his conditionibus,

ut uterque Augustus esset, & Orientali maneret Sicilia cum ea parte Italiæ quæ à Sipontinis in Apuliâ versus Græciam reliqua omnia essent Imperatoris Occidentis, & Veneti essent ab utroque Imperio immunes.

Legimus posteà apud Blondum, & alios circa an. 1107. exortis dissidiis inter Henricum V. Imperatorem & Paschalem Papam de Collationibus beneficiorum, varias urbes Italiæ quas Pontifici. Pipinus dederat ad Imperatorem defecisse, alias Pontifici accessisse, & Mathildem nobilissimam fœminam Hetruriæ dominam, cujus obitus incidit in an. 1115. morti propinquam, Ecclesiam Romanam reliquisse heredem. Quantùm verò propter hos tumultus cœpit Imperatoris & Pontificis in Italiâ minui authoritas, tantùm aucta civitatum potentiâ, imò & discordia. Primùm dissidium inter Papienses & Derthonenses exortum an. 1107. Inter Genuenses & Pisanos an. 1119. Inter Mediolanenses & Comenses an. 1120. ingravescentibusq; semper Imperatores, inter & Pontifices propter eandem causam discordiis, Alexander summus Pont. cum se recepisset in Gallias & Fredericus Imperator infesto agmine Romam properaret, omnia in itinere vastans, Itali an. 1167. fœdus ineunt apud Bergomum de libertate communibus armis contra Fredericum asserenda, & Fridericus amisso variis cladibus exercitu, ne ludibrio esset hostibus suis, fugit in Germaniam: redintegrato autem sæpius bello in Confœderatos malo successu, civitatum Italię ita sensim aucta est potentia, ut circa an. 1288.

Rodol.

Rodolphus Imperator acceptâ pecuniâ liberos fecerit Italiæ populos. Rurſum ſequenti ſeculo cum ferverent in Italia civiles diſcordiæ, Genuenſes ad inteſtinam tollendam diſcordiam, Ducem ſibi elegerunt Simonem Bocanigrum an. 1338. paſſimque alii Principes Viri, dominatum per Civitates occupârunt, quibus deinde Benedictus XII. Summus Pont. legitimam poteſtatem permiſit, ut contra Imperatorem Bavarum parata haberet auxilia. Sic Scaligeri Veronæ viciniſque in oppidis, Eſtenſes Ferrariæ, Gonzagæ Mantuæ conſederunt.

CAP. X.

Qualis nunc Italiæ facies?

JAm diu Romanum Imperium, ipſaque Roma, variarum gentium impetu, de ſuæ magnitudinis & opulentiæ faſtigio dejecta eſt, jamdiu ſingulæ Orbis Provinciæ in libertatem ſe vindicantes, ſua repetierunt ſpolia. Fatendum tamen Romanum Pont. & ſi vix quintam Italiæ partem obtineat, tamen veneratione rerum celeſtiũ longè plures Chriſto Domino, cujus ipſe Vicarius eſt, ſubjeciſſe populos, quàm olim tot hoſtium effuſo ſanguine, ſibi compararunt Imperatores.

Eſt nunc Italia omnis diviſa in Principatus 10. videlicet Ducis Sabaudiæ, Reipubl. Gennuatium, Reip. Lucenſium, Ducis Etruriæ, Pontificis Romani, Regis Catholici, Reip. Venetæ, Ducis Mutinæ, Ducis Mantuæ, Ducis Parmæ. Tellus frequen-

quentiâ montium aspera, partim solis æstu arida: Segetes frequens rubigo, vel grando corrumpit, vixque tribus annis continuis sufficiunt incolis, sint licet sobrii & temperantes Fructus præter mala aurea & punica, ficus & olivas, nullos habent, gregibus sunt improba vellera, armentis exilia ubera, & olida, ipsæque carnes in saporem ingratum degenerant, si bucularum excipias. Urbes sunt eximiæ, amœnis ut plurimùm locis conditæ. Templa advenarum expectationem non implent, fenestrasque habent multo ferro & picturis inumbratas. In imaginibus signisque summus decor. Nihil aris, & eorum ornamentis formosius. Solum flosculis nitet, & variis animantium figuris è marmoribus diversi coloris. Nam præ copia vilescunt marmora, nisi figura decus addat. Domus, quas vocant Palatia, suâ mole spectabiles sunt potiùs quam usibus habitantium aptæ, interdum auro fulgent, fastigia in altum producuntur, & excisæ statuę pretiosis locantur umbonibus; sed plerumque carbasi vile textum, aut inunctæ oleo chartæ vitri supplent paucitatem & splendorem. In hospitiis sordes maximæ, jejunæ squalentesque epulæ, culicum cinicumque multitudine infesta cubilia, acer diversorii dominus, & inclementis hospitii gravis merces. Animus Itali rerum omnium capax. Impetum naturæ non sequitur, sed eruditè, & cum artificio, virtutes summas aut vitia assequitur deterrima. Verba habet exactæ urbanitatis ad persuadendum aptissima, vix sustinet jocos, nec quid temerè, aut dicere est assuetus,

aut

aut facere, sed videtur semper stare in specula, ex qua aliorum verba, nutus & oculos considerat, quasi velit ex iis, sensus animi cognoscere. Equorum armorumque studiosus est, & facilis ad stimulos gloriæ. Plebs laboris patiens, frugi, ad futurum intenta, nullum curarum genus quantumvis humile aspernatur, quod longo labore non superet, si nomen, aut opes promittat. Denique nusquam alibi sanctiorum virtutum exempla, pejorumque facinorum. Benevolentiæ indulgent prolixæ, ubi verè amant. Si quos oderint, res plenissima periculi. Nam ætatem ferunt eorum odia; animi ęgritudinem apprimè norunt tegere, læsisque interdum descendunt ad obsequium, Venena & damnata libido, hic aliquando reperitur, aliàs fingitur ab æmulis. Avorum memoria sub Leone X. censa sunt Romæ 85. millia civium & inquilinorum. Sub Clemente VIII. vix 32. nunc communis est opinio 300. millia hominum majori ex parte advenarum in ea urbe reperiri. Nam pauci admodum sunt indigenæ, pauci divites, plerique ære alieno pressi, ut necessę est accidere, ubi ars nulla, ex qua vivant incolæ, omniaque aliunde importantur.

Cap. XI.

Mare Italicum, Inferum & Superum.

ITalicum, vocat Justinus, mare, quod Italiam circumluit; Inferum quidem, qua parte australem oram rigat: Superum, qua Græciam in-

ter & Italiam fundit se versus Ortum & Boream; quæ partes in situ Orbis censentur superiores cæteris. Discrimen utriusque ponitur à Polybio & Philostrato fretum Siculum in lat. 38. à Martiano Capella Hydruntus, Otranto: à Procopio insula Melita. Rursum pars Inferi, quæ Liguriam lambit à Varo amne ad Arnum, dicitur Ligusticum. Hinc Tuscum, seu Tyrrhenum ad Siciliam, imò ad Africam & Hispaniam producunt autores, quod, ut ait Diodorus, Tyrrheni, id est, Etrusci, diu mare illud, ut domini obtinuerunt. Ausonium denique ab Sicilia ad Japigium promontorium. Superum similiter ab Adria Tuscorum urbe, (vel flumine) in Venetis coloniâ appellatur mare Adriaticum, seu Hadrianum promontoriis Japigio & Acraceraunio sibi invicem oppositis conclusum, quæ olim ponte conjungere Pyrrhum cogitasse, & M. Varronem refert Plinius. Partem reliquam ab Jonio homine Illyrico Jonium mare dixerunt aliqui, alii ab ipsa regione Illyrium, sicut & à Dalmatia appellatur Dalmaticum. Spinetæ, quibus olim urbs cognominis ad Padi ostium, diu maris Superi dominiũ obtinuerunt. Postea Augustus classem Ravennæ ad tutelam maris superi, & alteram in Miseno portu, Inferi custodem. Nunc ejus dominium sibi vindicant Veneti, ipsisque Turcus permittit, ut quotquot armatas naves in eo repererint sinu, mergant aquis, modò regiones ejus imperio subditas tueantur contra Piratas, & si quæ sint Turcicis navibus in ea parte illata damna, resarciant. Narrat Gregorius Turonius Helenam

lenam cum Hierosolymis rediret, in Hadriaticum mare unum è clavis Christi injecisse, misertam excidia navigantium, quæ in eo tractu frequentissima erant, factumque esse, ut qui Vorago navigantium dici consuevisset, redditus fuerit posthæc quietior.

Cap. XII.

Majores insulæ Maris Italici, Corsica, Sardinia, Sicilia, Melita.

INsulæ sunt in ora Inferi maris crebræ, inter quas Corsica & Sardinia maximæ post Siciliam. Corsica olim dicta Therapne & Cyrnus min. 220. longa, 50. lata, aditu difficilis est propter montes, qui vix per angustos calles superari possunt, licet sint nemoribus obsiti. Valles abundant oleo, vino, pascuis: nec omnino desunt frumenta, gignit equos feroces & canes venaticos spectatæ magnitudinis. Muffola genus est capræ hujus insulæ peculiaris, cervo similis, cursûs maximè pernicis: homines habet laborum patientissimos: Sed Corso infenso, neque vivo, neque mortuo credendum. In medio insulæ in lat. 41. 8. mons Gradaccius eminet, in cujus vertice est planities & lacus Ino & Creno, ex quibus amnes Guolo veteribus Tauola & Liamone olim Ruptanus, aliique defluunt. Plinius memorat olim in ea fuisse civitates 33. nunc præcipuæ sunt Bastia populo frequens, arce firmâ & Archiepiscopatu insignis, qui eo translatus est ex Aleria, nunc in parietinis jacente; Bonifacium primariũ

oppidum, in lat. 40. 12. ubi portus amplus & tutus, dictus olim Syracusanus, cui proximum mare corallium subministrat: Adiacium, nunc caput Insulæ mercatoribus Genuensibus frequens & dives: Calvi, arce & saxo prærupto munitum oppidum, cum portu celebri. S.Florentii fanum à Gallis munitum an. 1553. Curia arx confragosæ rupi imposita in medio insulæ, qua necessariò transeundum ad utramque insulæ bandam, seu latus tendentibus. Genuenses Duce Ademaro eam insulam Saracenis eripuerunt, reditusque penè omnes in ea munienda impendunt.

Insulam à Sardo Herculis filio dictam Sardiniam, Græci vocant Ichnusam, quod formam habeat vestigii humani. Eam post Romanos occuparunt Saraceni, deinde Genuenses & Pisani, posteaque Regibus Aragonum in feudum concessit summus Pontifex. Ejus longitudo maxima est minut. 170. latitudo 90. Siciliæ vix cederet in bonitate soli, si rebus suis intenti essent incolæ, quorum multi solâ vivunt venatione. Equos habent nostratibus minores, agiles tamen, plerosque agrestes & vagos in sylvis; tanta est eorum copia. In argenti fodinis plurima reperitur Solifuga, animal perexiguum, araneo simili, quod per imprudentiam supersedentibus pestem facit. Sardi pecuariam exercēt ut plurimùm, hinc coriorum illa nec non caseorum mira copia, quam in Hispaniam & Italiam adducunt. Urbes paucæ; omnium præcipua Calaris, seu Caralis, vulgò *Cagliari*, 38. 6. Limis insignis & portu, in

quo

quo frequentāt ſemper naves, quæ per Orientem & Occidentem volitāt. Sedes eſt Archiepiſcopi, qui olim fuit etiam Balearium inſularum Metropolita: & Proregis, qui ut plurimùm Hiſpanus eſt, habet tamen Civitas ipſa ſuam Reip. adminiſtrationem. Chia, olim portus Herculis, Oriſtagnum urbs Archiepiſcopalis, infrequens propter aëris impuritatem. Boſſa, 39. ad amnem Thyrſum hujus inſulæ maximum. Argeri, nova civitas populo frequens & munita, ſita ad ſinum multarum navium capacem, Caracodem antiquis dictum. Saſſari, urbs Archiepiſcopalis loco ſita feraci & fontibus irriguo.

CAP. XIII.

Sicilia.

SIciliam Peninſulam olim contiguam Auſonum terræ, magno ab ea terræ hiatu ſciſſam ferunt, & ab illa *Rixei*, hoc eſt, ruptione Rhegium promontorium nomen accepiſſe. Tale etiam quid paſſum Helleſpontum quidam affirmant, & Lesbum ab Ida abruptam, & Oſſam ab Olympo, & Eubœam à Bœotia. Cyclopes & Gygantes, quorũ in Sicilia juxta Drepanum reperta quædam corpora pedum 30. feruntur, antiquiſſimi ejus habitatores, deinde Iberi Duce Sicano, mox Siculi Ligurię populi, poſtea Gręci, Carthanienſes, Romani, Gothi, Conſtantinopolitani, Northmanni, Germani, tandemq; Galli, qui dum Veſperæ canerentur, à Siculis, omnes ſunt trucidati, anno 1282. quo Aragonenſes ejus dominium

nium obtinuerunt, & ad hæc uſque tempora Hiſpanis juncti retinuerunt. Diviſa eſt in tres valles, quæ in totidem promontoria deſinunt longè celeberrima, à quibus dicta Trinacria, Lilybæo, Pachyno, Peloro, quod Italico alluitur freto. Ambitus inſulæ eſt mill. 600. propter aëris cœlique temperiem adeò frumenti ferax eſt , ut ex uno modio 100. colligantur ſæpè. Vino item abundat, melle, ſerico, corallio, ſulphure, quo Ætnæ montis, (cujus crater 20. ſtadia patet) perpetua nutriuntur incendia. *P*linius in hac inſula urbes numeravit 72. Hodieque Epiſcopales continet 12. Inter quas primum Meſſana , hodie *Meſſina*, 37.55. obtinet locum, moris abundans & ſerico probatiſſimo. Urbi mons *P*elorus imminet. Juxta litus ſinuoſum Scylla eſt ſaxum & Charybdis, mare utrumque, utrimque navigantibus ex proximo Italiæ Rhegio exitioſa. Catana, vern. *Catania*, ad Ætnam , Academia inſignis, mari alluitur: fuit à Carolo V. munita. Syracuſæ, vulgò Syraguſa, 36.22. *P*rinceps urbium Siciliæ apud Solinum , cujus Metropolitæ ſubjecti pridem Epiſcopi Melitæ & Liparæ, nunc urbs æquè grata & munita, duplici vallata portu Maggiore, & *P*irriolo. Agrigentum, urbs, in qua ævo *a* Empedoclis numerata hominum octingēta millia, hodie dicitur Gergenti, & ſupra urbes cæteras, adhuc excellit munimētis, formâ & ornatu. Drepanum, civitas & portus magnar navium capax, ad pedem Erycis montis trans Lilybæum ſita in *P*eninſula. *P*anormus, hodie *Palermo*, maxima Siciliæ urbs, & Sedes *P*roregis, ad oſtium

Formosæ fl. Carolus V. firmissimis eam propugnaculis cinxit. Ex quibusdam lapidibus, ajunt nonnulli, hanc urbem Noëmo antiquiorem.

a *Laertius lib. 8.*

Cap. XIV.

Melita.

Melita, hodie Malta, distat à Sicilia mill. 100. ab Africa 190. Ejus latitudo maxima est 12. min. long. 22. plana est, humilis, saxosa, ventis & ardoribus exposita, glaciem & nivem ignorat: ob lignorum inopiam humiliores sunt casæ, & ignẽ struunt ex carduis arefactis, vel boum stercorib⁹: caret aquis pars Borealis, abundat Occidua, sicut & gossipio, hordeo, cymino, rosis & fructibus. Pagi sunt circiter 60 quibus lingua Punica vetus. Quinque habet portus, parùm ab invicem distantes, ac inter duos ex iis, sita est arx in scopulo, apprimè munita, à qua urbs Melita distat mill. 6. Divus Paulus eam suo naufragio nobilitavit. Equites ab ea dicti Melitenses, qui initium acceperunt Hierosolymis anno 1104. dictique primo Hospitalarii, quod sepuchrum Domini adeuntibus necessaria suppeditarent, & peregrinos contra Arabes & Infideles defenderent, vocatique postea Rhodii ab Rhodo insula, in qua consederunt ad annum 1522. quo à Solimanno expugnata est sexto, quam obsidione vallarat mense Decembris 22. proditione Andreæ Meralii Lusitani Equitis. Septimo post anno in Melitam insulam transportati Equites, hactenus ibi

contra

contra Barbaros Christianæ fidei præsidio esse pergunt. Pialis Bassa Melitam obsidione cinxit anno 1565. sed re infecta discessit.

Cap. XV.

Minores Insulæ maris Italici.

ILlæ sunt Urgo, vulgò nunc Gorgona, 42. 52. Mænaria, vern. *Meloria*, Liburno portui objecta: Capraria, seu Ægilum, ubi frequentes olim capræ Silvestres, Ilva Græcis Æthalia 42. feracissima olim æris, quo deficiente apparuit ferrum, quod effossum est post annos 25. renascitur. Eam à Carolo V. obtinuit Cosmus Medicæus, Apianis veris Dominis cedentibus juri suo. In parte occidua portus est ferratus, olim Argous, ad quem ajunt Jasonem quærentẽ Circes domicilium appulisse cum Argo navi. Cosmopolim ibi extruxit Tusciæ Dux & utrumq; collem, qui imminet portui, probè munivit. Stellæ nomen editiori. Hîc armamentarium & triremes magni Ducis. Columbaria avium hujus nominis nutrix. Planaria, vern. *Pianosa*, penè æqualis freto, ideoque navigiis fallax. In ea frequentes olim pavones agrestes. Oglasa insula, vern. *Monte-Christo*, 41. 46. Igilium vino & marmore clarum. Dianium sive Artemisia, vern. *Gianuti*, in qua portus satis commodus. Pontia, vern. *Ponza*, antiquis monumentis celebratissima, Pandataria vern. *Palmaruola*, deserta ferè, nec ullis operibus munita. Ischia, dicta Ænaria, à statione navium Æneæ, aliis Pithecusa, & una ex Oeno-

tridi-

tridibus,quæ rupibus cincta,patet tantùm ab una parte,vino,alumine,sulphure, balneis,vasis figulinis & arce saxo imposita celebris. Fabulantur Typhonem sub hac jacere insula, versoque corpore flammas expirare, nec non aquas & minutas insulas. Ea an.1301. arsit per menses duos. Prochita,vern. *Prosida* , thermas habet & ignem vomit.Capreæ,nunc Capri,nemoribus domesticisque arboribus consitæ, frumento carent, aëris temperie & piscatu nobiles. Hinc tam frequens in eam Imperatorum secessus Augusti & Tiberii. Illic erecta Pharos ad dirigendas naves Alexandrinas:duo habet oppidula:majori nomen Capri. In eam insulam sicut & passim per agri Neapolitani litora sub hyemem imminentē conferunt se Coturnicum agmina, quæ ventum hîc exspectant propirium,quo transmittant in Africam. Ad ortum illius desertæ occurrunt insulæ exiguæ, quas Sirenulas vocant. Lipareorum insulæ, antiquis Æoliæ, Arnæ, Ephestiades & Plotæ, septem numero, nunc 12. Strongyla seu *Strombolis* 39. domicilium Æoli, cui Poetæ Imperium tribuunt ventorum,tam furentium quàm quietorum : ignem noctu & interdiu emittit cōtinuum & fœtētem,quo pars insulæ omninò sterilis redditur , licet altera fructibus abundet & Gossipio. Dina seu Didyme,vinum producit & alumen.Basilurus culturæ idonea est.*Lipara* omnium maxima,à Liparo Ausonis filio dicta,Cnidiorum olim colonia,nunc Hispanorum,ex quo à Carolo V. fuit munita, extinctis ignibus : abundat fructibus, alumine, bitumine & piscibus.

Phœ-

Phœnicusa seu palmaria, palmas olim habuit, nunc pascua & segetes. Ericusa pascuis dives. *Vstica* omninò deserta, piratarum statio. Vulcania seu *Hiera*, 38. 10. repente in mari edita sub mortem Scipionis Africani, anno 144. 5. Febr. tantum ignium evomuit, ut ipsa Sicilia contremuerit, tota nunc deserta est & ustulata. Favognana seu Ægusa Carthaginensium clade, soli fœcunditate & portu amplissimo celebris. Maresimus seu Sacra, thymo & apibus abundat.

CAP. XVI.

Liguria, Comitatus Nicea, Dynastia Monœci & Finale. Respublica Genuensis.

Liguria à Legendis Leguminibus nomen sortita est, ut quibusdam placet: ejus fines sunt mare inferum, Varus amnis, Alpium juga ad fontes Padi, & ipse Padus ad Placentiam, indeque linea ad ostium Arni. Intra hos fines universa gens in varia populorum nomina fuit divisa, quorum termini cum nullis certis indiciis ab authoribus notati reperiantur, ditionum quæ nunc sunt in eo litore sufficiet fines aperire. Niceæ Comitatus patet in long. 22. leucas, in lat. 11. secundum litus vix quatuor; solum habet asperum, cultum tamen & munitum : dividitur in quatuor Vicariatus, quorum capita sunt Barceloneta caput vallis, quæ mercimoniis floret. Pogietto munita præsidio militum. Sospello bellum oppidum, & Nicæa, vern. *Nizza*, 42. 50. à

Massi-

Massiliensibus ad amnem Paulo condita, ut mare liberum haberent: nunc verò ita munita Dangione & Citadella, ut anno 1543. Turcicum spreverit exercitum. Emporium est singulare, unde vinum, oleum, fructus, tela, charta, pisces & materies abiegna ad malos extrahitur. Huic proxima est *Villafranca*, famosum oppidum propter opportunitatem portus magnarum navium capacis. Habes præterea Sangrino arcem munitissimam, non longè à Briga oppido divite. In his stationibus duas triremes habent sancti Lazari Equites, quorũ Magister est ipse Dux Sabaudię, Dynasta Niceæ. Equites, insigne Crucem Viridem ferunt auro argentoque circundatam. Herculis Monœci portus, vern. *Monaco*, olim colonia Massiliensium, nunc Dynastia exigui agri. Cudendæ monetæ jus est Principi. Jus etiam naves, haud soluto tributo, pertranseuntes infestis Myoparonibus persequendi. Anno 1605. post obitum Dynastæ munitionem Hispani occupaverant, ac licet filii, qui tunc erat decennis, nomine, gerere omnia præ se ferrent, nunquam tamen in sua jura integra restitutus est, sed honestæ servitutis aliquando laxiora vincula trahebat, cùm anno 1641. ad Ludovicum XIII. Galliæ Regem confugiens, Ibericum jugum planè excussit. A Monœci portu, inquit Strabo, litus continuum, solidum & importuosum, nisi quatenus exiguæ sunt quædam navium stationes, ubi anchoræ figi possunt. Desuper imminent grandes, atque præruptæ rupes, angustum linquentes juxta litus transitum, suntque illic sylvæ, quarum arboribus

dia-

diameter pedum octo. Proximè sequitur Albium Intemelium, vernac. *Vintimiglia*, urbs quondam magna, ad latus Rutulæ amnis, vulgò nunc *La Rotta.* Mox in edito asperoque jugo videntur Trophæa Augusto de Alpinis gentibus ab Senatu posita, ignobile nunc Castellum, vulgò *Torbia* dictum. Portus Mauricii origo incerta, vernac. *Porto Morisco*, Albingaunum, vern. *Albenga*, oppidum ab Alpinis Ingaunis conditum ad ostium amnis Merulæ, vern. *Arocia.* Post Albigaunum sequitur *Finale*, urbs mille passus recedens à litore sita in faucibus vallis, ubi modico imposita colli arx munitissima, Caractorum Dynastia, ab Hispanis occupata anno 1602, & Medesimus portus, quem milite firmarunt. Succedunt vada Sabatia, vern. *Savona*, 43.38. ubi Alpes desinunt & Apenninus incipit, urbs gratis ornata ædibus, quæ dominos sæpè mutavit. Jam olim Episcopalis fuit & libera, nunc Genuensibus paret, qui & portum illius occuparunt anno 1528. Genua, *Genoüa*, 43. 48. urbs & caput Reip. cognominis, cui nunc præter insulas Corsicam & Caprariam, paret Riparia, *La riuiere de Genes*, hoc est, litus circumpositum per sexenta passuũ millia, si legas litus; nam recta linea à Monachio ad Serrezanam, vix minuta reperies 180. qua in ora urbes præcipuæ sunt Savona, Genua, & Serrezana. Insulæ Corsicæ reditus quingentis Scutatorum millibus æstimatur. Remp. tam Plebeji, quàm nobiles regunt, ipseque Dux promiscuè creatur è nobilitate, aut plebe in bienniũ; quo exacto fit Procurator Montis D. Georgii

gii cum annua 500. ſcutatorum penſione. Huic Monti fœnoris nomine de centenis trina tantùm quotannis ſolvuntur. Plebs è telis & ſerico quæſtum facit, vel maritima munia exercet. Alimenta enim vix poſſent ex tota ditione ſua colligere ad bimeſtre: ſed habent ſemper inſtructas biremes. Sub ipſis mœnibus urbis verſus Orientem miſcetur mari amnis Feritor, vernac. *Biſagno*, & poſt aliquot millia amnis Tigulia, qui abluit Segeſtam Tiguliorum, vernac. *Seſtri*, oppidum Epiſcopale Lunę portus, vern. *Spezzia*, ex quo celeberrima jam olim evehebantur marmora. Amnis Magra Liguriæ & Etruriæ terminus miſcetur mari infra Serezanam, vern. *Sarzana*, urbem quæ olim ditionis Florentinæ fuit.

CAP. XVII.

Etruria.

Fines Etruriæ ſunt quibuſdam Marcalla fl. nunc *Magra*: aliis Arnus, mons Apenninus, Tiberis & mare. Regio ipſa Græcis dicta eſt Tyrrhenia & incolæ Tyrrheni à Tyrrheno quodam, qui Sardibus Lydorum urbe pręcipua, Colonos huc traduxit, quos & Tuſcos appellavit *apo tou thuein*, id eſt, à ſacrificando, cum prius Etruſci, ipſaque regio Etruria ab Etruſco Principe dicerentur. Omnis verò augurandi, ſacrorumque rituum peritia unis maximè tribuebatur Etruſcis, & ad eos Procerum Romanorum liberi addiſcendæ ejus diſciplinę gratiâ mittebantur. Variis Tuſcia paruit principibus, inter quos memo-

memorantur Marchiones, qui dicti ſunt Adelberti potentes, adeò ut teſte Luithprando inter omnes Italiæ Principes ſoli dicerentur divites; cumque Adriani mole, ſeu munitione S. Angeli Romæ potirentur, eam Eccleſiæ perſecutionem intulerunt, quâ nulla major fuit, circa annum 900. ab ipſis barbaris illata. Tyrrheni litoris prima pars eſt ſinus Piſanus inter Promontorium Lunæ, vern. *Spezzia*, & oppidum Populonienſe, vern. *Piombino*, qui amnes Marcallam, Verſigliã, Auſarem & Arnum abſorbet. Inter Marcallam, nunc Magram, & Verſigliam eſt Principatus *di Maſſa & Carrara*, familię Cibo, ex qua Summi Pontifices, Bonifacius IX. & Innocentius VIII. ipſi nomen ab oppidis *Carrara & Maſſa*, in lat. 33.30. quorum Domini Palatia habent, cùm Romæ, tùm Genuæ. Inter Verſigliam & Auſarẽ, eſt Via-regio, portus Reipublicæ Lucenſis, quo frumentum aliaque neceſſaria evehuntur Camajoram, indeque Lucam. Auſar ſive Auſer, vernac. *Serchio*, confluebat olim apud Piſas cum Arno, hodie autem ore ſuo 6. mil. paſſuum ab Arni oſtio in mare effunditur. Prope Auſarem min. 14. à mari recedit *Luca*, 43. 20. colonia olim ex Bononienſibus deducta anno ante Chriſtum 178. nunc Reip. caput, quæ agro fruitur longo 30. minutis, lato 25. ſed montibus aſpero, & ex quo vix annona colligitur in ſex menſes. Urbs ipſa munitur propugnaculis 11. & vallo, cujus perimeter eſt paſſuum 3000. in quo frequentes populi gratiſſimæ propter umbram: cives numerat ad 30000 qui hortos habent multæ amœnitatis extra urbem. Magnam verò partem aluntur

ſerici

ferici textu â & lanificio, ad 10. millia peditum è sua ditione possunt educere. Remp. regunt soli nobiles, Senatorum annua est administratio, seniorum verò trimestris. Reditus ipsius putantur centum & quinquaginta millia scutatorum, Episcopus cruce utitur & Pallio, ejus verò Canonici Mitra ex serico albo, more Cardinalium, subestque soli Romano Pontifici.

Arnus ex Appennino modicis initiis nascens inter horridas præcipitesque convalles in occasum tendit: deinde collectis fontibus, torrentibus, plurimisque amnibus intumescit. Arretium urbem, vern. *Arezzo*, inter tria Etruriæ capita à Livio recensitam, & ab Umbris hujus regionis, primis cultoribus ante Trojana bella conditam relinquit 4. milliari ad Lævam, indeque Florentiam interfecat; mox Pisam quoque dividit, & per Pisanum portum effunditur in mare, non tamen integer, sed in tria flumina partitus. Pisæ, vern. *Pisa*, 43. 10. originem ducunt à Pisis, Elidis in Peloponneso urbe: ejus ager fœcundus, sed desunt operæ. Nam licet fuerint olim frequentes Pisani & Sardiniæ Domini, tamen à Genuensibus bello lacessiti circa annum 1119. tandemque ad Lamellum victi 49. longis navibus & duodecim hominum millibus amissis, nunquam deinceps vires recuperare potuerunt. Exinde à variis Principibus vexati, tandem post mortem Galeacii, quæ anno 1402. contigit, Florentinorum jugum admiserunt, & anno 1499. excusserunt, ab Carolo VIII. Galliæ Rege libertate donati, sed anno 1509. à Florentinis obsessi, iterum urbem

dediderunt admodum civibus exhaustam. Et quantumvis in ea Cosmus Etruriæ Dux Academiam instaurarit,& Archiepiscopatus titulo floreat, necdum tamen est admodum frequens. Primarium templum, quod Domnum vocant 540.habet passus,eiq; vicina turris tota marmorea ad 153. gradus assurgit. Florentini Principatus fundamenta jecit Cosmus Medicæus Florentinus civis, qui negotiando *a* per omnē Europā & Ægyptum, auctusque præterea opibus amici sui Baltazaris Cossæ, olim Joann. XXIII. ad eas pervenit divitias, quas vix Crœsus possedisse putatur, qui obiit anno 1464. Primus titulum Ducis sortitus est anno 1530. nepos Clementis VII. Summi Pont. Alexander Medicæus, qui Caroli V. partes secutus Cæsaris gener, posteaque Etruriæ Dux magnus à Pio IV. est renuntiatus anno 1569. Florentia jam Sullæ Mariique temporibus inter splendidissimas Italiæ urbes cōputata, 90. civium millia dicitur continere. Caput est hujus Ducatus, qui tres Resp. olim sui juris,hodie complectitur Florentinam,Pisanam, & Sinensem. Partem præterea Romagnæ adjunctam habet, Burgumque S. Sepulchri Florentinis 12. millibus aureorum oppigneratum ab Eugenio IV. atque ita nobilissima Italiæ pars altis montibus cincta, aut mari, & pluribus arcibus circumscripta Florentinam ditionem conficit. Possidet præterea in mari Tyrrheno insulas Igilium, Urgonem, Oglasam, & in Ilva portum ferrarium & Cosmopolim. Cæterùm Pisanam & Florentinam Resp. quas vocant domi-

dominium vetus, summo jure tenet. Novum enim magna ex parte beneficiarium est & clientelare, nempe Senensis Resp. & Elvæ dominium, quorum gratia Hispaniæ obstrictus est. Radicotanum & Burgum S. Sepulchri, in Umbria, in clientela sedis Apostolicæ versantur. In universa porrò ditione urbes numerat Archiepiscopales tres, Episcopales 18. & reditus colligere censetur decies quinquies Scutatorum millia. Habet verò Dux perpetuò descriptam militiam 36. millibus peditum constantem; nec cuiquam præter hos conscriptos, extra aut intra urbem ferre arma licet, aut stipendium accipere domi forisque. Hi à principe arma pretio accipiunt, eaque tenentur conservare tersa, nec possunt hi milites, propter æs, alienum in carcerem compingi. Descriptos habet præterea aggerum castrensium fossores iisque pacis tempore utitur in arcibus reparandis, vel in operibus nauticis armamentarii, quod Pisis collocavit omni supellectile instructissimum. Herculis Labronis hodie *Livorno*, 42. 56. portus, à quo naves olim dictæ Liburnæ, nativo situ munitur, & præsidio 500. militum; Ilvæ insulæ trecentorum. Cosmopoli sunt triremes 12. & magni modii naves aliquot. Reliquæ urbes sunt Volaterræ, 42. 54. civitas jugo imposita, Sena 42. 57. optimâ fossâ & muris cincta, strata latere coctili, Archiepiscopatu & Academiâ clara. Massa, vetusta civitas, ubi aluminis venæ. Grossetum præcipua quondam Senensis Reip. arx & oppidum Umbroni appositũ amni, qui mediam secat Etruriã, haud procul

Arno exortus. Ad magnum præterea Etruriæ Ducem pertinet Glania vallis, ubi copiosa aquarum colluvies ex incerto fonte diversas in plagas partim in Arnum exoneratur, quarto ab Aretio milliari, & partim in Paludes, *La Chiane* & Clanin, fl. delabens, Tiberi absorbetur juxta Herbanum oppidum, vern. *Oruieto*, 42. 27. Ejus plerisque locis adeò humilis est alveus, ut paludis potiùs referat speciem quàm fluvii, sed fundo ita tenaci, ut vix possit transiri vado. Ab Arno ad Tiberim per 60. passuum millia porrigitur, collibus fructiferis undique cincta, oppidulisque Castellione, Marciano, Turritâ, Monte, Politiano, & aliis. Unum est, quod tanti Ducis officiat oculis, nempè quod primarios ditionis suæ portus ab Hispano Rege teneri videat. Nam Livorni unicum penè est hujus Ducatus ad mare Emporium; at Rex Hispanus Senensis quondam Reip. portus possedit *Piombino*, 52. 18. situm in interiori sinu Promontorii excelsi, prærupti, & in mare excurrentis peninsulæ, in cujus parte adversa habuerunt olim Romani urbem Populoniam, simulacro ex una vite tot ævis incorrupto celebrem. Tenet adhuc navale dictum, nunc Porto Baratto, 42. 20. Telamonem portum ab uno Argonautarum sic dictum. Orbitellum, 41. 55. & portum Herculis, utrumque in monte Argentario, qui angustâ cervice continēti adhæret instar peninsulæ: cujus Isthmi latus ortivum occupat *Porti di Hercole*, ad occasum verò stagnum, quod ab oppido contermino, vulgò vocatur stagno *d'Orbetello*.

a *Plan*

à Plantin. in Mart. 5. *Sabellicus* 10. *Ennead.* 1. *Iovius lib.* 7. *Gobelinus. Spondanus. ad annum* 1459. *n.* 5.

CAP. XVIII.

Litus Romanum.

LItus Romanum à portu Herculis ad Tarracinam extensum per 150. mille passus patrimonium continet D. Petri, & Campaniam novam. Patrimonium D. Petri vocant eam Etruriæ partem, quæ à portu Herculis ad lacum Perusiæ, indeque secundùm Tiberim ad ejus ostia pertinet à Machtilde Etruriæ domina Romanæ Ecclesiæ data. Novam verò Campaniam à Tiberi ad Lyrim. Omni hoc litore Incolarum octo millia vix numerabis, cum antiquitùs innumeros haberet. Præter illas ditiones possidet in Italia Romanus Pont. Ducatus Spoleti, Perusiæ, Urbini, Flaminiam, agrum Picenum & partem Samnii, ex quorum agris sanè optimis decies, & octies centena Scutatorum millia percipere dicitur, absque illis, quæ ex officiis Cameralibus & Dataria ipsi obveniunt. Post Herculis portum in excelso colle urbs est *Ansedonia*, olim Cosa, à qua portus Herculis dictus Livio Cosanus.

Sequitur fluvius Armenia, vern. *Fiore*, ad cujus ripam *Sovana*, 42. 12. oppidum Ptolomæo dictùm Suana, à quo paucis minutis distat *Pitigliano*, urbs & dominium absolutum familiæ Ursinorum. In eum amnis derivatur, qui ex lacu Satoniensi ortus oppida alluit Farnesium & Ca-

ſtrum, vern. *Caſtro*, olim Statoniam, Principatum Ducis Parmæ, inter rupes ſitum: miſcetur mari infra Mont-Altum *Mont-Alto*, oppidum, dictum olim forum Aurelii. Marta fluit ex lacu Volſino, vulgò *Lago di Bolſena*, ab urbe Bolſena ipſi proxima; ab eo diſtant æqualiter hinc Aqua-pendens, inde Viterbium, antiquis fanum Voltumnæ, ubi ſua Etruſci habebant concilia, & non ita pridem vixit Annio ille dictus Viterbienſis, qui Beroſi, Manethonis & aliorum fragmenta à ſe conficta uno volumine temerario auſu evulgavit Eidem fluvio apponitur Cornetum, vern. *Corneto*, quod ex ruinis Tarquinii famoſi quondam oppidi crevit. Martæ proximus eſt amnis Minio, vern. *Mignone*, ipſique appoſita Civitas Vecchia, Trajani opus, in cujus portu centum erant cellæ triremibus totidem recipiendis, unde portui antiquum nomen Centumcellæ: etiamnum eſt Pontificiarum triremium 12 ſtatio. In ore portus inſula adſurgit, quæ illatum vento mare objacens frangat, tutumque ab utroque latere decurſum præſtet.

Poſt 20. minuta occurrunt, Sancta Severa, oppidum cum exiguo portu, quatuor vel quinque triremium capace. Præterea, haud leves ſunt ruinæ Pyrgorum antiquorum Cernertero, olim Cære & Agylla in Saxeo eminens tumulo, indeque ſex millia paſſuum diſtant Cæretanæ aquæ, ſeu Apollinares, nunc dictæ Stillianæ, toto hoc tractu nobiles, ex quibus derivatur Vacina amnis dictus Cæretanus, qui Bracianum rigat Urſinorum Ducatum. *Palo*, Farneſianæ gentis

tis villa eo ſita eſt loco in litore, ubi Alſium fuit oppidum. Ultimum oppidum in Etruſco litore fuit portus Auguſti, incolis nunc *Il Porto*, urbs Epiſcopalis.

Cap. XIX.

Tiberis, Umbria, Sabinia, Latium.

Tiberis fl. nunc *Tevere*, rerum in toto orbe naſcentium mercator placidiſſimus, fontes habet in finibus Arretinorum in media longitudine Apennini in lat. gr. 43. m. 30. Tenuis primò profluit, deinde augetur imbribus piſcinis & rivulis, qui influunt in eum, dum inter aſpera & confragoſa luctatur, per CL. millia paſſuum ad Tifernum, unde per CC. alia, ſcaphas tolerat ad oſtium amnis Palliæ, nunc *Paglia*, quo mediante, nec non reſtagnantibus aquis Cluſinæ Paludis, ſeu Glanii amnis committitur Arno ad oppidum Aretium. Rurſus Tiberis dum Romam feſtinat 42. in decurſu amniculos admittit, quibus auctus, ad urbem fluviatilium Scapharum capax omnes fruges devehit hyeme & vere, æſtate verò, immenſi fluminis nomen arenti alveo deſerit autumno reſumens.

Ubique paſſim concitatus eſt vorticoſus & ripas radit, unde & Rumon, & Serra dictus ab antiquis: crebris etiam ac ſubitis incrementis augetur, ſed nullibi ejus aquę magis reſtagnant quam in ipſa urbe. In Etruſcum ſe effundit mare duob⁹ oſtiis. Horum majus eſt ſiniſtrum, ejus latitudo

fuit aliquando jugerum fermè quatuor, altitudo verò magnarum navium. Etruscos ab ipsis fontibus ad ostia dividit ab Umbris, Sabinis & Latinis. Inter utrumque ostii alveum insula est Procopio dicta Sacra, cujus viriditatem, flores & amœnitatem Ethicus laudat. Umbros dixerunt Græci, si credimus Plinio, propaginem veterum Gallorum, qui tempore aquosæ cladis imbribus superfuerunt. Eorum regio Apennino, Tiberi & Nare comprehensa, soli ubertate, & mulierum fœcunditate clara, nunc dicitur Ducatus Spoletanus à Spoleto 42.36. Metropoli Vilumbrorum (quæ Hannibali fortiter restitit, & in qua ex muliere vir factus, teste Livio) posteaque, sede Longobardorum Ducum, etiam nunc ædificiis, opibus & arce clarâ, non longè à fontibus Clitumni. Urbes Tiberi appositæ sunt *Borgosan sepulcro.* 43.14. olim Tifernum, ubi Tiberi miscetur amnis Triglia, qui Capratolam alluit Palatium Alexandri Farnesii inter præstantissima totius Italiæ adnumerandum. Sequuntur *Lafrata*, olim Tuficum: *Perugia*, 42.52. olim Perusia Augusta urbs Etruriæ primaria, quæ licet multa sit passa à Fabio Max. nec non à Totila, qui eam septem annis obsedit, adhuc tamen est culta, munita, populo frequens, & Academiâ celebris. Octo mille passus ab ea versus Occasum lacus est Perusinus, antiquis Thrasimenus, ad quem Hannibal magnam Romanis cladem intulit. Habet in ambitu 30 m. p. Non recipit alienas aquas, vel admodum paucas, nec refundit suas In eo vulpes, ut Campanus refert, Lucium capere satagens, pede ab eo dentibus ap-

bus apprehensa est, amboque mortui reperti sunt. Infra Perusiam miscetur Tiberi amnis Tina, sive Tena, adcolis *Il Topino*, ortus supra Nuceriam Camellariam, vern *Noscera*, 42.52. ex Apennino monte, unde abit, Fulginium *Fuligno*, & Mevaniam, vulg. *Benaga*, ubi eidem Tinæ adjungitur etiam Clasius, vern. *Chiaglo*, apud Sigillum oppidum ex Apennino exortus. Inter utrumque amnem stat in colle Assisium, vern. *Assisio*, 42. 50. D. Francisci natale solum. Infra Assisium non longè à Tupini Tiberisque confluente est nobile cœnobium Bettona.

Sequitur *Todi*, olim Tuder 42.33. haud procul Tiberis ripa. Hinc post 14. m.p. apud Orvietum 42.25. mediante Pallia, qui rigat Aquam pendentẽ, Clanis jungitur Tiberi. Umbris ab Austro contermini sunt Sabini, Nare, Tiberi & Aniene circumscripti, nec non collibus oleâ, vitæ, ficu ornatis, Nar amnis, vern. *Nera*, Sabinum est nomen, quod Sulphur significat. Est enim, dum fluit, Sulphurei caloris, dùm hauritur, albi. Oritur è Fiscello monte & Nursiæ, vern. *Norcia*, 42.35. rivo. Augetur aquis Velini, qui urbem rigat Reate, vern. *Rieti*, 42.23. vetustam & famosam, in cujus agro Plinius ponit fontem Neminia, qui dum alio, atque alio loco exoritur, mutationem annonæ præsagit. Miscetur verò Nari ad Velinum lacum, incolis *Pedeluco*, situm in præcelso montium jugo, ex quibus, dum per excavatam in saxo viam præcipitat, ad 10 m.p. auditur, nubesque ex fumo & vehementi undarum concussione adscendit ad sextum milliare, & ex subjecta valle

ſurſum aſpicientibus Iris perpetua apparet. Junctis aquis præterfluunt oppidum Nari antiquæ Narviæ proximum. Ad ſecundum lapidem à Tiberi, ſunt Otricoli, ſeu Otriculi inter fructiferos colles ſiti. In planitie ſubjecta ingentes ruinæ. *Magliano*, urbs frequens & primaria Sabiniæ eminet in monte, à quo tribus, vel quatuor p.m. diſtat Monaſterium *Il Veſcouio di Sabina*, ad amnem Himellam, vernac. *l'Aia*, ubi rudera oppidi Curium Sabinorum capitis. In Faliſcis caput tollit mons Soracte, cujus capras celebrat Cato, quod ſaliant pedes plus ſexagenos. Plinius autem fontem avibus lethalem, qui ſole exoriente exundat, ferventi ſimilis. Nos Monaſterium, quod in honorem S. Silveſtri ædificavit Carlomannus, cum ſeculo nuncium remiſit an. 746. Annio, vern. *Teuerone*, in monte ſupra Trebam Auguſtam, ortus Neronianam villam Sublaqueum alluit, nunc *Subiaco*; mille paſſus ſupra Monaſterium eſt D. Benedi. Infra verò amnis, qui per cataractam præcipitatur, & poſt 20. millia Tybur, vern. *Tiuoli*, deſcendit oppidum antiquum arce munitum & latomiis celebre.

Tranſmiſſo Aniene ſuccedit Campania nova, antiqui vocabant Latium, quod multiplex fuit, antiquum & novum. Antiqui fines ſunt Anio ab oppido Tibure ad confluentẽ Tiberis. Hinc ipſe Tiberis ad oſtia & mare inferum ad Circæũ promontorium. Novum ad Lirim extendebatur. Roma non tam Latii quum Romani Imperii caput ad utramque ripam Tiberis ſita, decimũ ſextum lapidem abeſt à mari: in ea reſidet ſummus

Pont.

Pont. Prima à Tiberi in litore fuit Oſtia urbs Anci Martii opus, cui proximæ hinc ſalinæ, inde lacus. Oſtiam ſequebantur Laurentum Regum Latinorum Regia. Amnis Numicius (in cujus undis periiſſe Æneam ferunt) ex colle proximo derivatus, ubi Æneas Laviniam condiderat. Ardea Rutulorum domicilium quinque m. p. à mari recedit. Intus celebrantur Tuſculani colles Regilo lacu noti, & Ciceronis villa, ubi nunc *Freſcati*, montes Algidus & Albanus cum lacu proximo. Rurſus in litore habes Antium Aſcanii opus, Volſcorum præcipuum Navale & Neronis patriam. 6. p. m. ab Antii promontorio Aſtura eſt flumen & inſula, cujus ſpecula caſtelli in modum extructa Ciceronis creditur Villa. Aſtura Antium remigantis Caji Principis navim tenuit piſciculus. Huic fluvio impoſita oppida Sueſſa Pometia, & tres Tabernæ.

Sequitur Nymphæus amnis & Paludes Pontinæ, quas Cæſar ad mare derivavit, cum prius per 30. p. m. ad Tarracinam extenderentur. Succedit promontorium Circello olim inſula, in qua poculum oſtendebatut, quo Circe Ulyſſem excepit. Refertus hodie mons robore, lauro, myrtho, ſtirpibuſpue variis, quæ conficiendis medicamentis potentes & aptæ. *Terracina*, urbs prona in paludes, olim dicta Anxur, à Jove Anxure, qui in ea colebatur imberbis, poſtea verò Tarracina ab aſperitate montis Candidi, in cujus clivo condita eſt Mola oppidũ. Antiquæ ſunt Formicæ à Græcis dictæ hormiæ, quod circa id crebrę eſſent ſtationes & tutæ. *Gae-*

ta,41.22. olim Cajeta portus aquilonibus expositus, jam olim tamen celeberrimus & plenissim⁹ navium, ubi Ciceronis Villa, in qua ipse occisus est annorum 64. per Popilium militem, ab Antonio missum, nunc censetur clavis regni Neapolitani, ob situm loci, & singularem munimenti fortitudinem.

Cap. XX.

Villæ aliquot insignes ad Tiberim: Laurentinum Villa Plinii junioris in Tuscis.

TUsciæ regionis forma pulcherrima. Imaginare amphitheatrum aliquod immensum, & quale sola rerum natura possit effingere Lata & diffusa planities montibus cingitur, montes summâ sui parte procera nemora & antiqua habent, frequens ibi & varia venatio; inde cæduæ silvæ cum ipso monte descendunt: has inter, pingues terrenique colles (neque enim facile usquam saxum, etiamsi quæratur, occurrit) planissimis campis fertilitate non cedunt, optimamque messem, serius tantùm, sed non minùs percoquunt, sub his, per latus omne vineæ porriguntur, unamque faciem longè lateque contexunt, quarum à fine, imoque quasi margine arbusta nascuntur. Prata inde campique, quos non nisi ingentes boves & fortissima aratra perfringunt, prata florida & gemmea, trifolium aliasq; herbas teneras, semper molles & quasi novas, alunt: cuncta enim perennibus rivis nutriuntur. Sed ubi aquæ plurimum, palus nulla, quia devexa

vexa terra quidquid liquoris accepit, nec absorbuit, effundit in Tiberim. Medios ille agros secat navium patiens, omnesque fruges devehit in urbem. Magnam capies voluptatem, si hunc regionis situm ex monte prospexeris. Villa in colle imo sita, prospicit quasi ex summo ita leniter & sensim clivo fallente consurgit, ut quum adscendere te non putes, sentias adscendisse. A tergo Apenninum, sed longius habet: accipit ab eo auras quamlibet sereno & placido die: non tamen acres & immodicas, sed spatio ipso lassas & infractas, magnâ sui parte meridiem spectat, æstivumque solem ab hora sexta, Hibernum aliquantò maturius, qui invitat in porticum latam & pro modo longam. Si quæras quemadmodum in Tuscis Plinius diem æstate disponeret, ipsum audi. Evigilo quum libuit, omnia ad arbitrium meum facio, nullis inquietor libellis quærulis: equum conscendo, patrem-familiæ ago, aliquam partem prædiorum percurro, & venor, & studeo. Interveniunt amici ex proximis oppidis, partemque diei ad se trahunt.

Cap. XXI.

Fons Clitumnus.

MOdicus collis assurgit; antiqua cupressu nemorosus & opacus, hunc subter fons exit & exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus & vitreus, ut numerare jactas stipeis & relucentes calculos possis, inde non loci de-

vexitate,sed ipsâ sui copiâ, & quasi pondere,impellitur, fons adhuc & jam amplissimum flumē, atque etiam navium patiens, quas obvias quoque & contrario nisu in diversa tendentes, transmittit & perfert, adeò validus, ut illa qua properat, ipse tanquam per solum planum remis non adjuvetur, idem ægerrimè remis contisque superetur adversus. Jucundum utrumque, per jocum lusumque fluitantibus, ut flexerint cursum, laborem ocio,ocium labore variare. Ripæ fraxino multâ, multâ populo vestiuntur, quas perspicuus amnis velut mersas viridi imagine adnumerat. Rigor aquæ certaverit nivibus, nec color cedit. Adjacet templum priscum & religiosum. Stat Clitumnus ipse amictus ornatusq; prætextâ,pręsens numen atque etiam fatidicum. Sparsa sunt circa sacella complura totidem dei simulacra, sua cuiq; veneratio,suum nomen,quibusdam etiam fontes; nam præter illum quasi parentem cęterorum,sunt minores capite discreti, sed flumini miscentur. In superiore parte tantùm navigare, sed infra natare concessum, nec desunt villæ, quæ sequutæ fluminis amœnitatem,margini insistunt.

CAP. XXII.

Villa Cæsarum ad Gallinas.

LIviæ Drusillæ, quæ postea Augusta Matrimonii nomen accepit, quum pacta illa est Cæsari, Gallinam conspicui candoris sedenti, aquila ex alto abjecit in gremium illæsam, intrepidè

pidèque miranti accessit miraculum: quoniam teneret rostro laureum ramũ, onustum suis baccis. Conservari autem alitem, & sobolem jussêre aruspices: ramumque eum seri & ritè custodiri: Liviamque Cæsaris potentiam gremio complecti, omnibusque in rebus dominam ejus futuram, quod factum est in Villa Cæsarum, fluvio Tiberi imposita, juxta novum lapidem, Flaminiâ viâ, quæ ob id vocatur ad Gallinas, mirèque silva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar, laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit, ac deinde Imperatores Cæsares cuncti, tradituſque mos est, ramos quos tenuerunt, serendi, & durant silvæ nominibus suis discretæ; & observatum est sub cujusque obitum arborem ab ipso institutam elanguisse, & novissimo Neronis anno, & silvam omnem exaruisse radicitus, & quidquid ibi Gallinarum erat, interiisse.

Cap. XXIII.

Regnum Neapolitanum.

ETsi antiqui Latii pars ab oppido Tarracinæ regno Neapolitano nunc accenseatur, propriè tamen hoc regnum continetur Liri & Truento amnibus, nec non mari, tam infero quàm supero, nusquam longius 265. min. seu mille passibus, nec latius 120. Licet ambitus sit 1460. In eo loca muris cincta 1563. Archiepiscopatus 20. Episcopatus 107. Nam quoties in Italia locus aliquis Civitatis jure donatur, illicò ipsi Episcopatus tribuitur. Censentur in eo Equites cataphracti

fracti mille, pedites 4000 præter 1600. Hispanos præsidiarios partim in arcibus (quarum tamen præter Capuanam : Et S. Emi, Castrumque Novum, quæ Neapoli imminent, vix est ulla ad munitionis hodiernæ leges fundata) partim in 269. turribus litoreis, ad quas incolæ se recipiunt, ubi Turca, vel alius hostis imminet. Numerantur Principes 19. Duces 25. Marchiones 37. Comites 54. Barones supra 1000. Numerus sanè dignitatem minuit. Portus sunt admodum pauci, licet plures sint sinus, quos ora variis recessibus lacerata admittit. Reditus annui dicuntur ascendere ad duos milliones, & quingenta millia Ducatorum. Vectigal chartarum, quibus aleatores utuntur, est Ducatorum 1530.

CAP. XXIV.

Campania Felix.

LAtio continuabatur sub Romanorum Imperio Campania, quam Florus terrarum pulcherrimam vocat, quod nihil sit mollius ejus cœlo, nihil uberius solo. Summum sit hîc Liberi, Cererisque certamen, nihilque Hospitalius mari. Nunc dicitur *Terra di lauoro*, estque Liri & Silaro fluminibus comprehensa. Liris antea Clanis, seu Glanis, dictus nunc *Gangliano*, ex lacu Fucino, per meatum occultum ortus, alluit Soram 41. 49. oppidum Samnitum, adhuc frequens, & Ducatûs caput, mox in eum se præcipitat Fibrenus amnis, & quasi in familiam Patriciam venerit, amittit nomen obscurius, Lirimque multò gelidiorem

diorem facit: mille passibus à læva confluentis est, Arpinum, nunc *Arpino*, municipium, ubi Cicero natus matre Helvia, patre Fullone, vel secundùm alios Equestris ordinis ex regio Volscorum genere: Fregellas: Aquinum D. Thomæ summi Theologi patria, à quo vix minutis duobus distat mons Cassinus, D. Benedicti cœnobium, & infra Trajectum, ubi ingentes visuntur Minturnarum reliquiæ, inter paludes & nemus abit in mare in lat. 41. 25. In extremo monte Massico sub marinis undis latent rudera Sinvessæ. Inter Massicum & Vulturnum Falernus est vino nobilis. Vulturnus amnium Campaniæ maximus, urbes rigat Æserniam 41. 40. Venafrum, Allifas & Capuam 41. 14. Campaniæ Metropolim annumeratam maximis duabus Romæ, atque Carthagini tertiam 43. annis conditam à Tuscis ante Romam. In Vulturnum defluit Sabatus amnis, qui Beneventum rigat, dictum olim Maleventum. Inter quod oppidum & Capuam est S. Agatha olim Caudinæ furcæ Romanorum dedecore celebres. Ultra Vulturnum fuit Liternum oppidum fluminis ejusdem nominis ostium. Cumæ 41. specula maris Etrusci oppidum totius Italiæ antiquissimum ab Eubœæ colonis conditum in agro totius Campaniæ felicissimo. Inter ejus montis vepreta antrum exiguum reperies, in quod per ruinas operum aliquandiu procedens cum fascibus, vias offendes circiter 12. excavatas in silice, nonnullas ad 500. pedes extensas in varias desinentes conclavia auro, conchis & corallio ornata, in quib⁹ ajunt Sibyllam Deo captam

ptam adeuntibus futura prædixiſſe. Cumis proximus fuit Acheruſius lacus, cœnoſa maris effuſio. Ubi Miſſenum caput circumflexeris, Sinus apparebit Campanus, qui olim Cumanus, Puteolanus & Crater dictus reperitur. In oſtio, Miſenus portus ille nobilis Auguſti claſſe ad tutelam maris inferi. Poſt hunc, litus in Sinum reducitur, in quo *Caſtel di Baia*, & portus triremium tantùm capax olim Baiæ, lavacra miraculis plena, in quibus greges piſcium ludebant etiam captivi, oppidumque ob delicias & populi Rom. corruptelam tota Italia celeberrimum, Pompeji Cæſaris & Luculli villis inclitum. Baias excipit Lucrinus Sinus, ubi anno 1538. ex repentino hiatu ignem evomente extitit Mons Cinereus, in cujus vertice adhuc hiatus conſpicitur. Lucrino per Anguſtas fauces jungitur Avernus lacus, cujus odor ſulphureus ſupervolantes aves necabat, priuſquam Auguſtus Cæſar dejiceret ſylvas imminentes montibus, quibus cingitur. Dicæarchia Cumanorum navale, à crebris puteis dictum Puteoli, nunc Pozzovolo, annona & mercibus Alexandrinis celeberrimū, ſtationes olim habuit plures manu ſtructas, quòd arena hujus loci Cumano admixta cæmento protinus lapideſcat. Proxima in litore à Puteolis eſt Neapolis 41. olim Parhenope, nunc regni caput. Inter Neapolim & Puteolos ſub arduo monte cuniculus eſt, quem Alphonſus Rex collapſum inſtauravit, Carolus V. ampliorem fecit, vulgò *la grotta di Neapoli*. Eſt & *grotta del Cane*, ex qua lethalis exit ſpiritus, ut ex immiſſis in

eam

eam patuit sæpius. Trans Sebetum amnem ad Palæopolim in Pansilypo monte ab altera parté Neapolis P. Virgilii Maronis monumentum ostenditur. Oculis se mox offert *Torre del Græco*, olim Herculaneum oppidum, cui imminet mons Vesuvius admodum excelsus & biceps continuis clarus incendiis. Hinc Sarnus alluit Nuceriam, & Pompejanum Ciceronis Villam, ubi nunc Scafati & Scafæ, quibus Sarnus transitur. Ultra Sarnum fuerunt Stabiæ, nunc *Castela mar di stabia*, Masa agrum habet vino abundantem. Surentum ad radices Lactarii montis oppidum est perantiquum, à quo extremum hoc promontorium dictum Surentinum, ubi Minervæ fanum. Deinceps in ora sunt Malphis, ubi repertam pyxidem nauticam vulgus credit. Salernum 40. 45. urbs Picentinæ gentis caput, Archiepiscopali sede clara, in ipso litore posita, à quo distabat olim non parùm.

CAP. XXV.

Lucania & Brutia.

LUcani à Samnitibus orti Duce Lucio inter oram Tusci maris & Tarentini sinus siti à Silari ad Laum, & à Casuento ad Sibarim. Reliquum Italiæ Brutia occupat, quam nunc Calabriam inferiorem vocant. Silarus amnis is est fluvius, in quem projecta lapidescere falso credidit Aristoteles. In eum ex media Lucania defluit Tanager, vernacul. *Necro*, qui è regione nobilis oppidi Padulæ feracissimam val-

lem

ſem Dianiam prætergreſſus ad diverſorium publicum *Pallo*, in ſpecum ſe magno cum murmure montis condit,& poſt 4. millia paſſuum,haud procul oppido Auleta iterum emergit apud diverſorium, quod inde dicitur *L'Oſterie del pertuſo*. Luci toto hoc litore denſiſſimi, interiora montes occupant latrociniis infames. Poſt Silarii oſtium Strabo ponit fanum Junonis Argivæ, ab Jaſone conditum,& Poſſidoniam urbem,quę & Pæſtus, nunc *Peſti* dicta, cujus roſaria bifera laudant Poëtæ : hodie ſunt tantùm ruinæ cultoribus vacuæ. Areopolis aëre præſtantiſſimo gaudet. Leucoſia inſula Saxum eſt ſterile, poſt quod antiqui ponunt portum Velinum, Palimurum promontorium, amnem Melphes & oppidum Buxentum Ducatus titulo nobile. Laus amnis & oppidum Lucaniam terminat,in lat.39.32. In reliquo Brutiorum litore nullum eſt oppidum antiquis celebre. Laudantur nunc Fredus & Belmontium propter agrum amœnum,& Manthiæ propter arcem. Amnis Acheron,incolis *Sanuto*, ortus ex radicibus montis, in quo Pandolia,Oenotriæ Regum regia , per vallem fluit profundam inter Martoranum & Altiliam. Ad litus S. Euſemiæ, invenitur corallium probatiſſimum. Nicaſtrum domos habet cultas & agros , Mons leo Comitatus,eminet in Apennini colle,in quo olim Hipponium. Briatica laudantur vineta & horti. Scylla Saxum eſt ad oſtium freti Siculi,in cujus vertice fuit oppidum Scyllæum , Poëtis celebre, alteroque abhinc lapide per litus, mare eſt vorticoſum,Charybdis dictum,inter quę fretum trium

trium milliariũ, anceps, ſpumoſum alterno curſu atrox & noxium appulſis. Ad caput Siglio in ipſis freti anguſtiis ſtat Columna Rhegina, à qua ad Pelori turrim oppoſitã tranſitus eſt ex Italia in Siciliam. Rhegium dictum Julium, quod Julia ob impudicitiam à Patre Auguſto relegata illic obiit. Validiſſimum Romanorum fuit adverſus Siculos propugnaculum, nunc infrequens, & à Turcis exuſtum an 1594. In proximo fuit Dianæ templum, & poſt millia 12. Apennini cornu unum deſinit in Brutium promontorium, quod antiquis dictum eſt Leucopetra, nunc *Cappo dellarmi*. Inde ſequuntur promontoria Herculis, vern. *di Spartivento*, & Zephyrum, nunc *Burſano*, ubi primùm ſtetit urbs Locri, & unde translata ſolum tenuit, ubi nunc conſpicitur Gerazzo. Locris & Crotone nullam fuiſſe unquam peſtilentiam memorat Plinius. Ultra Locros eſt Sagra amnis, vern. *Sagriano*, ad quem fuit templum Caſtoris & Pollucis celebre ob victoriam, in qua quindecim millia Locrenſium victoriam retulerunt de Crotonienſium 120. millibus.

Ulterius in eadem fuerunt ora Cocinthum Scyllacium æſtu reciprocante periculoſum Hannibalis caſtra & Taberna, nunc Catanzaro Taverna, oppida ornata & frequentia. Inde devenitur ad agrum Crotonienſem ſuperato videlicet Japigi promontorio, cujus tria capita nautæ vocant *C. delle Caſtelle, C. Rizzuto*, & *C. della nave*, nec non cornu Lacinio, vern. *C. della Colonne*, ubi Pythagoras Philoſophiæ ſcholam erexit, à quo decem millibus aberat Ogygia inſula ſedes Ca-

lypſus,

lypsus, in qua detentus Ulysses; fuit & templum Junonis Laciniæ, unde auream columnam tollere cogitavit Hannibal. Crotona dives & potens civitas, quandiu nauticam exercuit, nunc solo Marchionatûs titulo illustris & aëris sui salubritate, unde adagium, Crotone sanior. Sita est ad amnem Laso, vern. *Earo*, Siberena, vern. *S. Severina*, Archiepiscopatum habet & vinum generosum, proxima Neætho amni. Oresma oppidum è regione promontorii Crimisæ, Cariathis Comitatus titulo ornata. Ruscianum, incolis Rossano, Archiepiscopale oppidum, probè munitum est, & solo felici cinctum. Secundùm Cratis ripam sunt Consentia, caput regionis in declivo Apennini sita, Crate & Busento amnibus cincta, quorum hic dicitur nigrum colorem capillis & serico inducere, ille capillis & serico album. Sunt præterea ab ejus alveo non longè mons altus Ducatus insignis titulo, Rugianum, Turranum & D. Marci oppida. Sibaris fl. Brutios separat à Lucanis. Rivum unum excipit ex alto monte salinis & crystallo celebri, alium ex castro Villari sito in monte editissimo, haud procul læva Siris fluvii ripa, situm fuit Grudentum.

Sequitur in ora Vasento amnis Plinio Casuentus, in cujus ripa Vegianum fuit terræ motibus absumptum eo penè loco, ubi Ferrandus Calabriæ Dux Ferrandinam arcem excitavit. Paulò ultra Casuentum 500. ab mari passibus fuit Metapontus, quondam magnæ Græciæ posteaq; Lucaniæ Princeps condita ab Epeo, ubi & ferramenta, quibus equum Trojanum fabricarat, reposuit

posuit in Minervæ templo. Ibidem vitâ functus Pythagoras. Mille passibus ab ora columnæ sunt marmoreæ 20. prægrandes ordine duplici Gymnasium Archytæ Tarentini. Intus in montibus est oppidum Bernalda. Quinque milliaribus Casuento Bradanus fl. occurrit Lucaniæ Apuliæq; terminus in lat. 40. 28. circa quem Antonius & Cæsar congressi. Trans dexteram ejus ripam est Miliovicum Principis Bisiani: senis inde millibus Crotolum Ducis Trajectini castellum. Trans verò lævam versus Apenninum Datera urbs frequens & opulenta, quondam dicta Acharontia.

Cap. XXVI.

Salentini & Apuli.

SUccedit Salentinorum peninsula à Salo, id est mari sic dicta, patet ab Tarento ad Brundusium per m. p. 190. Oculis se mox offert antiquissima, nobilissimaq; urbs Tarentum, nunc *Tarento*, 40. 37. in peninsula tribus lateribus conclusa mari, arcem olim dictam Oebaliam Ferrandus Rex Aragonius refecit. Nunc portus saxis ingentibus obturatus, parvis tantùm navigiis patet. Haud procul urbe ædicula subterranea visitur, à D. Petro facta, ut traditio regioni suadet. Ab Tarento 45. millibus abest Nardum, urbs Episcopalis Ducatus nobilis, frequens, in amœna jacens planitie. Gallipolis, 40. 10. jactat se habere res septem crocei coloris, crocum ipsum, mel, caseum, vinum, oleum, caricas, & uvas passas. Succedit Uxentum Episcopalis civitas in

colle edito : amplitudinem ejus antiquam adhuc testantur rudera. In Japygie promontorio, nunc *Capo S. Maria*, 39.35. eminet fanum D. Mariæ. Hydruntum, nunc *Otranto*, 40. 12. urbs vetusta, portum habet capacem, Aquilone flante non satis tutum, arcem in Saxo, quod mari imminet, posuit Alphonsus II. Hydrunte p.m.8. munitum est in maris scopulo, castellum Rocca. Octavo hinc milliario per oram vicus sequitur D. Cataldi, ubi turris Aletio, portus usum præbens, à quo p. m. 8. distat Cataldus, & post 8. alios, civitas Brundusium, nunc *Brindisi*, 40. 46. ex qua Romanis tutissimus in Græciam transitus. Portus nunc repletus est adeò, ut vix triremibus per eum currere liceat : eum obturasse dicitur Joannes Tarentinus Princeps, ne in Venetorum potestatē deveniret. Eo in loco Cn. Pompejus ab Julio Cæsare obsessus, vix elapsus in Thessaliam fugit. Ager suburbanus, est olei feracissimus. In via Brundusio Tarentum versus, oppida sunt Messania & Oria. A portu Brundusio post m. p. 19. oppidum est Ostuni 4. m. p. à litore semotum, dein spatio p.m. 14. cernuntur ruinæ antiquissimæ civitatis Egnatiæ. Mox in scopulo visitur arx D. Stephani Equitum Rhodiorum. Altero inde lapide per litus nova Monopolis Marchionatus, urbs concinna & elegans, ab ea 8. mil. pass. distat Conversano oppidum Episcopale & Comitatus. In litore verò habes Polymnum oppidum frequens, situm in rupe, cui Mola parùm concedit. Barium, vern. *Bari*, 41. 8. eâ est pulchritudine populique frequentiâ, ut regioni universæ, cujus

tenet

tenet principatum, det nomen terræ Barrianæ. D.Nicolaus Mirræ Antiſtes, ſepultus eſt in Epiſcopali Eccleſia, ſolebantque in ea Reges Siciliæ & Neapolis inaugurari.

Sequitur in ora Juvenatium urbs Epiſcopalis in agro fertili ſita, ſed importuoſo. Melfatta Principatus titulo floret. Biſegli oppidum Epiſcopale eminet in rupe. Offert ſe deinde Tranum civitas Archiepiſcopalis ab ædificiis pulcra, ſed majore ex parte deſerta, ob portum olim quidem commodum, hodie verò arenâ oppletum, ſylvæ olearum & amygdalorum ab ea Tarentum uſque pertinent. Ulterius eſt Luceria, dein Troja & Barulum frequentia oppida. Hujus caſtellum ponitur inter quatuor nobiliſſima totius Italiæ. Aufidus, vern. *Oganto*, amnis in Hirpinorum montibus, ortus æſtivis menſibus vix agnoſcitur; hyeme verò longo tractu regionem inundat. Apuliam Peucetiam ab Daunia ſeparat. Per agrum labitur Lacedæmonium, Melphitanum, Venuſinum, Lavellinum, Minervinum, Canuſiũ, & infra Cannas vicum clade Romanâ celeberrimum in mare influit in latitudine 41.18.

Tranſmiſſo Aufido veteris Salapiæ lacus invenitur & palus Salapina nec non Andriana, à quibus abeſt paucis millibus Cidignola, ubi copiæ Ludovici 12. Francorum Regis deletæ anno 1503. menſe Majo. Cerbaldus, vern. *Candelaro*, ex variis coaleſcit amnibus, qui ex monte Gargano defluunt per Capitaneatum, ſeu planiciem, à quodam Baſilii Imperatoris Capitaneo ſic dictam, cujus præcipua oppida ſunt D. Serverus,

Foggia & Luceria civitas D. Mariæ consecrata à Carolo II. Siciliæ Rege, post victoriam de Saracenis reportatam 18 Kal. Sept. Hinc Manfredoniam 41. 35. millia octo sunt. Urbs ea frequens est in flexu montis Gargani sita in rupe, quam condidit Manfredus Rex, Friderici II. Imperatoris filius anno 1200. & Manfredoniam vocavit, cùm prius locus Campaniæ portus vocaretur, ob Siponti interitum; translata etiam eò Sipontí Archiepiscopi sede: invictam ad litus habet arcem, moles extra muros in mari jacta magnæ artis opus, securam præstat stationem navibus, in quas per gradus descenditur. Sipontum verò Saracenorum irruptionibus, intestinis contentionibus & terræ motibus sic periit, ut solùm supersit summum civitatis templum. In vetere & præcelsa rupe Gargani sex à Manfredoniâ pass. mil. oppidum est D. Angeli, vernac. S *Angelo*, frequens & loci naturâ munitum. Historia de specu, in quo Michael Archangelus apparuit, omnibus nota. Mons Garganus in summam assurgens altitudinem suo ambitu 200. millia continet: summo in vertice fuit Calchantis oraculum, cui nigrum arietem cædebant, ejusque pelli stratæ consulentes indormiebant. In medio montis, ubi planities amœna, prataque lætissima castellum est S. Joannis rotundi, quo finitimæ gentes 3. Idus Junii conveniunt perpensaque annonæ, & vini ubertate certum frumento, vinoque pretium decernunt, quod excedere non licet. In fronte promontorii, Bestia civitas, olim Vesta, cujus hìc putatur fuisse ædes.

Post

Post 10. millia Vestice Castellum sequitur. Flexum promontorii emensis se offert Rodia civitas, olim Hyrium. Varanus lacus piscosus est in ejus ambitu, qui milliarium est 30. sunt Caprinum, Cognatium & Iscitella.

Cap. XXVII.

Samnium.

Tifernus, vernac. *Fortore*, Samnium ab Apulia dividit. Fons ejus in Tiferno monte, qui nunc Bisanus, exonerat se in lat. 42. Præcipua Samnii loca sunt Terminus, *Termole*, oppidum arte & naturâ munitum in peninsula, Ducatus titulo insigne. Lancianũ celebre emporium, quo mensibus Majo & Augusto Italiæ, Illyrici, Siciliæ, Græciæ, Asiæ & reliquarum mundi partium negotiatores ad frequentissimum conveniunt mercatum. Urbs Archiepiscopum habet, sed Suffraganeos nullos; appellunt verò ad Ortonam civitatem antiquam, quæ servare se gloriatur D. Thomę in augusta ęde reliquias. Ad Aternum, vern. *Pescaria* fl. vel influentes in eum sunt Sulmona urbs pulcritudine loci, frequentiâ populi, & aquarum abundantiâ nobilis. Aquila urbs Episcopalis caput hujus tractus à Sulmone. Ab ea quinto lapide ostenduntur rudera Amiternæ civitatis Samnitum. Casa nova Monasterium est celebre & dives, circa ostia fuit op. Aternum. Pescaria est exiguum castellum, à quo nomen fluvio. Inter Tanum & Sinum, amnes, est nobile & antiquum oppidum Pinna. Habes deinceps Ducatum Laureti in colle, Portum S. An-

geli, Adriam, vern. *Atri*, ex qua natus Imperator Adrianus. Ducatum illuſtris familiæ Aquæ vivę, Teranum, vern. *Teramo*, caput Prætutianorum Ducatûs & Epiſcopatûs titulo clarum: Julionovam oppidum à Julio Duce Adriano ædificatum: Aſculum, *Aſcoli*, in ripa Tiuenti antiquum oppidum, & munitum.

Cap. XXVIII.

Picenum. Domus Lauretana.

Picenum Marchæ Anconitanæ nomen accepit ab Anchone emporio, quod ſedem dabat Marchionibus, qui & Firmiani reperiuntur dicti ab Firmio, quod fuit totius regionis caput. Ager omnium rerum fertilis. Incolæ armis vacant, vel agriculturæ. Sunt in litore, in lat 42. 55. portus Aſculi arce validus, Caſtrum S. Benedicti, vern. S. *Benedetto*, agro beatum amœno, celebre oppidum: Aquaviva caſtellum: Cripta, vern. *Grotte*, Firmium, hodie *Firmo*, Colonia Auguſta popularium factionibus ſupra modum afflicta. In oſtio Tenuæ portus Firmianus, portu tamen carens, nam litus Anconem uſque eſt vadoſum. Intus in continenti haud procul Tenua oppidum eſt D. Mariæ Georgianę, ubi quondam vetus urbs Tignium. Poſt Tenuam 8. milliari, præter oram Chienti fl. oſtia. Supra fontem ejus Seravallis viſitur, altiuſque vetus civitas & frequens in Apennini jugo munitiſſimo ſita loco. Camerinum. Tolentinum vetus oppidum. Macerata inſignis ſede Legati Marchiæ-

Epi

Episcopatu & Academiâ. Novana seu civitas nova, oppidum frequens in monte. San-Severinum ex antiquæ urbis Septempedæ ruinis excitatum est. In utroque latere Musonis oppida sunt multa intus, vicinum illi Ricinetum, hodie *Recanati*, Episcopatûs clarum titulo, emporium celebre ob nundinas, Helvetiæ Ricinæ vestigia passim in itinere per agros monstrantur.

Inter Ricinetum, hodie *Recanati*, & mare haud procul à Musone fanum apparet in edito colle D. Mariæ Lauretanæ fortissimis muris cinctũ ab Alexandro, Julio & Sixto V. Summis Pont. In magna hîc veneratione ædicula, in qua Nazarethi D. Virgo genita, educata & mater Dei effecta: figuræ est quadrangulæ è vulgari structa lapide, tectum cameratum & picturis ornatum, quæ istius domus mysteria referunt. Longitudo pedum amplius 40. latitudo minus 20. altitudo circiter 25. duo illius parietes exactè in duabus meridianis lineis consistunt. In medio fermè pariete janua est à vulgari nihil abhorrens, ad lævam armariolum, ad dextram fenestra non magna, è regione fenestrę caminus humilis: inibi loculamentum sanè eximium, in quo eminet B. V. effigies cedrina fumo infuscata. Eam domum Helena anno trecentesimo, templo pereleganti decoravit. Cùm autem Palæstina à Turcis occupata, nullus Sacro-Sanctæ cellæ honos haberetur, anno 1291. Angelorum ministerio translata est in Dalmatiam, & post tres annos cum mensibus novem, in Picenum delata, ubi hęsit per menses 8. Recanati, posteaque in monte, tandemque

anno 1295. ſtetit in agro viduæ Lauretanæ , ubi in hunc diem ſummæ omnib⁹ eſt venerationi in lat. 43. 18. Ad Muſonem in colle eſt Auximus, vernac. *Oſmo*, urbs jam ex antiquo celebris, deinceps in ora ſunt Humāna Epiſcopalis , & Sirolum oppidum vino nobile. Sub Cumerō promōtorio , qua ſe in formam cubiti in mare torquet, urbs Epiſcopalis jacet Ancona, in lat. 43. 30 priſcum Italiæ, Galliæque Togatæ diſcrimen. Portum habet naturâ & arte validum, aditu peropportunum, multarum navium capacem, ab Trajano Cæſare extructum, continuâ Græcorum, Illyricorum, & Pannonum, & totius Europę mercaturâ celebrem, ſequuntur Senones Galli, quos alii, qui Italiam ulterius extendunt, vocant Umbros Tranſalpinos , qui ab Æſi ad Ravennatium agros poſſidebant. Æſis , vern. *Finmeſino* , oritur paulò ſupra Caretum, alluit Metelicas & Fabrianum oppidum , quatuor nobiliſſimis Italiæ caſtellis ob ædificiorum ſplendorem connumerari ſolitum, decimoque infra oppidum cognomine (quod veteribus Æſis, hodie Gieſi) milliario , mari conditur ad Roccam arcem probè munitā.

Sequitur in ora caſa Bruciata diverſoria taberna, fortiſſimo munita muro , propter Piratarum metum. Ab Caſa 8. mil. urbs eſt Epiſcopalis, Senogallia vallo , & propugnaculis munita, ſed quæ laborat aquarum dulcium penuriâ. Propè eſt Haſdrubalis mons, cui nomen ex clade illi illata. Ad Metauri, vern. *Metro*, ſiniſtram ripam habes Foſſumbrunum oppidum Epiſcopale, dictū olim Forum Sempronii , ubi veſtigia antiquita-

tis

tis plurima. Nec valdè procul hinc cruento certamine ab Narſete ſuperatus Totila. Secundùm litus devenitur Fanum, vern. *Fano*, à Totila olim everſum, & à Beliſario reſtitutum. Piſaurum, vern. *Peſaro*, emporium Italiæ celebre mercimoniis dives, plateis perelegans, ſitu amœno & fertili, arcem habet ad litus munitam: in Ducis Palatio inſtructiſſimum eſt armamentarium. Portus propter vada non admittit majora navigia, magiſque ab Agaſonibus, quàm à nautis frequentatur. Mox viſendum ſe præbet alto ſitum monte, & inæquali loco Urbinum, vern. *Vrbino*, 43.30. urbs lautiſſima. Arx urbi nunc proxima ita ædificata eſt, ut equo in turres & ad tectum ipſum poſſis ire, quemadmodum Venetiis in turre D. Marci Conclavia ibi 373. ampla & magnifica, Bibliotheca etiam decorem addidit.

CAP. XXIX.

Flaminia.

Extenditur ſecundùm mare ſuperius ab Iſauro ad Ariminum. Sic dicitur à viâ, quam Flaminius Conſul in his partibus munivit, nunc Romanula, *La Romagne*, appellatur ob ejus fidelitatem erga Romanos Pont. continetque præter Flaminiam, Æmiliæ partem.

Iſaurus oritur juxta arcẽ Cotili, mœnia Piſauri adluit, & ponte lapideo Picenum cũ Flaminia ſociat. Oſtium ſępè arenà ita cõpletur, ut vix exiguas recipiat naviculas. Ab Iſauro mõte, modico ſpatio, in colle ſuperbum viſitur Palatium,

Poggio Imperiale dictum, quod Fridericus III. Imperator primum fundamento lapidem posuerit. Post aliquot millia spectantur sub aquis mœnia demersæ urbis Concæ, è regione ostii fluminis Concæ, moxque se conspiciendum præbet oppidum antiquæ notæ Ariminum, nunc *Rimino*, 43. 53. rerum omnium copiâ abundans, nunc portus arenis oppletur. Est lapis in foro, ex quo concionem habuisse Cæsar dicitur, cùm exercitum ex Gallis victorem reduceret. Nomen urbi ab amne, quo alluitur, à quo eodem parùm recedit Sanctus Leo, civitas Episcopalis imposita prærupto monti. Extra Ariminum pons est in Arimino amne, ab Augusto cœptus, ab Tiberio cōfectus, viam Flaminiam Æmiliæ, urbemque suburbiis conjungens, marmore totus constat, latus pedes 15. longus 200. ab utroque latere spondis marmoreis opere Dorico pulcherrimè laboratis munitus. Ad fluminis ejusdem dextram Verrunum eminet Principum Malatestarum domicilium. Hinc viam Æmiliam interrumpit Plusa fl. qui sub Bellaria non ignobili Palatio Malatestarum, in mare se condit cum torrente Butrico qui Lonzanum oppidum rigat, & amne Pisatella quondam Rubiconis nomine satis celebrato; quippe post translatos ab Æsi amne terminos, Italiæ limes fuit. Cis Rubiconem militibus Ducibusque à bello redeuntibus, arma ferre licitum non fuit absque S. P. Q. R. authoritate, qui secus fecisset, hostis Reip. judicabatur. Cervia, olim Phycocles, oppidum est, cujus incolæ majori ex parte sunt Salarii artifices. Cæsenna civitas ad-

modum

modum frequens eſt. Arx urbi imminet, gaudet hoſpitali admodum divite, & Bibliothecâ inſtructiſſimâ, in cujus veſtibulo legitur hoc Symbolum Malateſtarum, Elephas Indus non curat culicem. Ager Suburbicarius Sarſinæ vino abundat & oleâ. Poſt Sapis oſtium nemus habes vaſtiſſimum pinis miræ altitudinis conſitum. Extra Pinetum ſequitur Caudiani amnis, nunc Paludis oſtium & turris Phareia. Hîc olim collocata claſſis 250. navium ab Auguſto ad tutelam maris ſuperi, oppidumque poſtea conſtructum à claſſe dictum Claſſis, quod nunc tam planè interiit, ut præter ſumptuoſum D. Apollinaris fanum, nulla ædificiorum veſtigia ſuperſint. Quin & ipſius portus facies ita periit, ut ampliſſimi in eo horti ſint pleni arboribus, de quibus non vela, ſed poma dependent: cernuntur veſtigia Cæſareę. Intus in Æmilia via, quam torrens interluit Aveſa, videbantur fora Popilii Truentinorum & Britannorum. Bedeſis fluvius, nunc dictus Ronco, ab oppido Ronco ad eum ſito, Portilium creat Ravennatem, ipſamque urbem ſitam in lat. 44. 8. ex una parte cingit, ex altera verò Montonus fl. Piceni aliquando caput fuit, imò Occidentalis Imperii ſedes ſub Honorio & Gothis, quibus ejectis, ibidem ab Narſete Exarchorum magiſtratus eſt conſtitutus, qui ad Leonem III. perduravit, quando Ariſtulphus Ravennam cepit; poſteà verò Pipinus Francorum Rex, totum Exarchatum dedit Pont. quo tempore, oppida locaq; inſignia permulta continebat, puta Ravennam, Cęſaream, Ariminum, Ceſenam, forum Livii, forũ

Popilii, Faventiam, Forum Cornelii, Bononiam, agrum Mutinensem, Regium Lepidi, Parmam, Placentiam, & adhuc alia. Mira in ea urbe antiquitatis monimenta, ante cladem ipsi à Ludovico XII. Francorum Rege illatam, anno 1512. Adhuc superest ædes pulcherrima D. Virginis formâ rotundâ.

CAP. XXX.

Padus.

PAdus oritur in lat. 44. 15. ab imis radicibus Vesuli montis, inter juga Alpium superantissimi, in finibus Ligurum Vagiennorum, nunc Marchionatu Saluciarum: fons diebus æstivis velut interquiescens videtur arere: hinc delabens primùm magno strepitu resonat: mox in planitiem effusus ad forum Vilii, cuniculo ita se condit, ut exigua supra terram vestigia relinquat: rursum post alterum milliare ad Paracolum exoritur: unde pergens Salucias, rigat, Pedemontii, Montisferrati, Placentiæ, Mediolani, Mantuæ & Ferrariæ Ducatus permeans, 30. flumina, & plures immensos lacus admittit, & uno continuoque fluit alveo ad Ferrariam oppidum dictum olim Forum Allieni & Trigabuli, ubi cum tanta aquarum mole urgeretur, ut jam gravis terræ agereretur in profundum, nisi in septem divisus alveos, per ostia Padi totidem, non jam fluvios, sed maria septem largius vomeret in Hadriaticum. Primum ostium illud fuit, quod per Ravennam, mediante fossa Asconis influe-

influebat in portum Messanicum, qui tutissimâ statione præcipuam Romanorum classem, quæ constabat 250. navibus, recipiebat; cujus tenue adhuc est vestigium inter Padum & Ravennam, spatio 12. mil passuum, vulgò dicitur *Il canal di Sancto Alberto*, quia initium ejus, est apud S. Alberti vicum Padi Animonisque confluentibus appositum, alio nomine, *Il canal del Navillo*, hoc est, fossa navicularis. Proximum inde ostium magnitudinem portus habet, qui Vaterni dicitur, quo Claudius Cæsar è Britannia triumphans, prægrandi illa domo verius, quàm nave intravit Hadriam: hoc, ante Eridanum ostium dictum est, & aliis Spineticum ab urbe Spina, quę fuit juxta. Tertium, inde ostium Caprasiæ, nunc *Verniense*, à vico ejus nominis haud procul sito. Dein Sagis, nunc *Porto di magna vacca*, à diversorio publico, juxta sito, nomine magna vacca. Alvei Sagis & Caprasiarum magna ex parte jam aboliti sunt, quod Padi maximus impetus in Philistinam fossam eruperit, stagnis Comaclensibus ea loca inundantibus. Sequitur posteà Volane, quod ante Olane & fossa Caronaria vocabatur. Septimum atque ultimum fossiones Philistinæ, & alio nomine Tartarum, quia propriũ erat Tartari amnis ostiũ, ductâ fossâ à vico Stellata ad vicum usque Fornaci, quæ hodie Padi nomen obtinet, quia præcipuus omniumque maximus est alveus, unde & cognominatur *Il Po grande*. Quæ omnia mirum quantum sint jam mutata, stagnis, quæ ab oppido Comacla nomen sortiuntur pleraque occupantibus: hæc porrò

omnia ostia conjungebantur fossa in transversum acta, quæ à Ravenna ad Spineticum alveum dicebatur fossa Asconis, hinc ad Caprasias fossa Augusti, posteaque ad fossiones Philistinas fossa Neronaana, Græcis dictus Eridanus, pœnâ Phaëthontis illustratus, quam tamen pœnam Vistulæ Borusiorum convenire docent alii propter succinum, qui in Vistula reperitur, non in Pado.

CAP. XXXI.
Marchionatus Saluciarum & Pedemontium.

SAluciæ Principatum à Duce Sabaudiæ per civiles Galliæ motus occupatam, armis recepit Henricus Magnus anno 1600. mox tamen convenit inter ipsos, ut Saluciæ tractus, Bresſanâ Sebusianorum Cisalpinâ Provinciâ, rependeretur. Sicque Pedemontio hic Marchionatus adcrevit. Ejus præcipuæ urbes sunt Saluciæ, vern. *Saluzzo,* 44.12. olim Salignæ & Carmagnola fundata ex ruinis Augustæ Vagiennorum, qui has partes olim obtinebant. Mox incipit Pedemontium, quo nomine nunc intelligitur quidquid Sabaudiæ Dux possidet in Italia. Celebriora oppida secundùm Padi alveũ, aut non multùm ab eo remota, sunt Cariniacum, vern. *Carignano.* 44.24. ubi arx feraci loco sita. Turino 44.30. olim Augusta, caput Taurinorum, nunc sedes Ducum, Pentagonâ arce munita est, & vivario ornata amplissimo. Secundùm Chisonem Pignavolum naturâ & arte munitissimum in agro vinetis cultissimo, & Briquerascum in faucibus Babianæ vallis. Ad

Ad Duriam Susa 44. 28. olim Segusium; in valle Salassa eo sita loco, ubi se partes via findit in ambas, quarum una per Alpes Brigantionem ducit; altera per Sabaudiam Lugdunum. Avillana in eadem est valle. Secundùm alium Duriam Augusta Prætoria, hodie *Aosta*, caput vallis, quæ ab ea nomen sortitur. Eporea, hodie Inurea, urbs sita in ipsis faucibus Salassorum vallis inter duo altissima juga in edito vertice condita. Ad Sestitem, vern. *Sexia*, Vercellæ. Fossanum, vern. *Fossano* 44.8. in colle situm ad ripam Sturæ, Mondovi populosissima omnium urbium Pedemontii insidens colli super fl. Ellam, qui duobus abhinc milliar. in Tanarum influit, cui apposita est Asta, muro valida & ædificiis culta.

CAP. XXXII.

Mons Ferratus.

EX septem Marchionatibus in his partibus institutis ab Othone II. Primus fuit Mons Ferratus, quem Palæologa gens tenuit ad an. 1534. quo Mantuæ Princeps Palæologorum legitimus hæres à Carolo V. declaratus est. In Ducatum postea erectus fuit an. 1575. Ipsa autem regio mons est perpetuis expansus jugis, totus amœnus, fructifer & colonis frequens, lævam Tenarus, dextram Padus alluit. In hujus ripa occurrunt *Ponte di stura*, cum arce Casale D. Evasii 44. 38. ubi sedes Marchionum, civitatis jure donata an. 1473. arx, ut fama est, totius Italiæ munitissima, à *Colalto*, *Spinola*, & *Leganesio*, viris egregia

militiæ fama cum totis Hiſpaniæ viribus iterum, ac ſæpiùs obſeſſa eſt. Valentia Forum-Fulvii, Baſſignara ad oſtium Tanari Pado ſe miſcentis. Inter Padum & Tanarum S. Salvatore arx munita. Ad Tanari ripam Burgetum, & Alba Pompeja urbs Marchionum Montis-ferrati, quæ amplitudine ſuperat Caſalem, agro ſita fœcundiſſimo. Haud procul Alba ſunt aquæ Statgellorum, oppidum amni Borgiæ appoſitum propter Thermas publicas olim frequens, nunc ſolo clarum Epiſcopatu.

CAP. XXXIII.

Ducatus Mediolanenſis.

MEliorem Lombardiæ partem occupat hic Ducatus, tam citra quàm ultra Padum. Nomen ipſi à Mediolano urbe celebri condita à Gallis inſubribus, Romanis acquiſita per M. Marcellum Coſ. ſuis poſtea legibus vivere permiſſa, à Gothis, & aliis ſæpiùs labefactata, Caroli Magni auſpiciis reſtituta Gallis, inde ad Germanos Imperatores devoluta, quorum aliqui ferream coronam, & Imperii ſolennia in Ambroſiana æde acceperunt. Cives ſibi pervicaciùs rebellantes, Fridericus Ænobarbus contudit, illorum urbe penitùs everſa an. 1182. deinde Otho Vicecomitis titulo eam regit an. 1272. Galeatius Ducis titulo decoratus an. 1395. Galli Reges jus ſibi in eam vindicant, jam ab an. 1464. quod mortuo Philippo Maria, ultimo Mediolanenſium Regulo ſine liberis, cum Principatus hære-

dita-

ditario jure devenisset ad Carolum Aurelianum Regulum, filium Valentinæ sororis Philippi, tamen Sforcia, qui Blancam Philippi filiam nothum uxorem duxerat Principatum occupavit. Urbes præcipuæ trans Padum sunt Alexandria à Palea 44. 24. cognominata urbs posita ad ostiū Bormiæ in Tanarum loco planè amœno. Dertona, vern. *Tortona*, ubi castellum cum forti præsidio. Cis Padum sunt Novaria, vern. *Novara*, 44. 51. in modico sita colle, arce & Episcopatu clara, Parmensium Duci tradita à Cæsare socero anno 1556. Sicut & Placentia ad fl. Novariam. Ab ea paucis millibus distat Mortara lautum oppidum ad limitem Pedemontii. Ticinum urbs aggere, & arce tuta in agro sita summæ ubertatis; proximè amnem Ticinum, ad quem commissæ pugnæ Romanos inter & Pœnos sub introitum Hannibalis. Oritur verò ex summo Alpium jugo, qui D. Gothardi mons cognominatur, transitque per Verbanum lacum, vern. *Lago Maggiore*, cujus longitudo est 50. mil. Ad fl. Lamber situm est Mediolanum, vern. *Milano* 45. 55. urbs vallo, fossis, arce & armis instructissima, ambitu suo 8. m. p. complectens ad 230. millia capitum hic numerantur, tantaq; est artium & opificiorum varietas, ut jactetur Mediolano destructo Italiam instrui posse. Ædes sacra, quam Domum vocant, creditur excitata ex ruinis templi Herculis, cujus adhuc extant 16. columnæ striatæ & prætaltæ. Ad Adduam, vernacul. *Adda*, reperitur Pizzghitone arx ad fines Mantuanæ, Placentinæ & Venetorum ditionis. Lauda urbs dives & munita. Trezzo clavis

clavis hujus Ducatûs. Comum, vern. *Come*, 45. 27. antiqua Romanorum colonia, urbs nobilis & opulenta ad fines Helvetiorum munita, appoſita lacui Lario, ſeu Comenſi, qui à Como ad ripam Clavēnenſem patet per mil. p. 50. Addua verò fl. fontem habet in excelſo Rhæticarum Alpium jugo monte Bailo per Tellinam vallem 50. m. p. lapſus lacum ingreditur Larium, qui ſicut & Bennacus tempeſtates imitatur marinas. Sunt denique ſecundùm Padum Valenza 44. 30. antiquum oppidum cum arce valida ad limitem Montisferrati, Cremona vicus olim à Gallis Cenomanis conditus, quem poſtea Romani traductâ coloniâ cinxerunt muro, eſtque nunc pulchra & nobilis civitas arce & valido munita præſidio. Ipſi ab Septentrionibus eſt Brixia, vulgò Breſcia, caput gentis ſuæ, quam Mela amnis præcurrit.

Cap. XXXIV.

Vallis Telina.

RHæti præfecturas octo cis Alpes in vallibus obtinent, quas Maira & Addua fluvii percurrunt, priuſquam in Larium lacum influant. Plurium vicus eſt ingens ad utramque Mairæ ripam poſitus, ubi lapis cavatur tornaturque in vaſa coquendis cibis idonea, & contra venenum ſalutaria, quod in illis ad ignem ebulliens diſſipatur, ideoque magnâ copiâ, per Italiam diſtrahuntur. Plurium vicini pagi conveniunt, ubi jus dicit Pręfectus, quem poteſtatem vocant, ibidem à Rhætis ſummo cum Imperio conſtitutus.

Sequi-

Sequitur Clavena oppidum & Comitatus, cujus Præfectus, seu Commissarius, post Sondriensem summâ pollet auctoritate. Tertium ordine locum obtinet, sed dignitate primarium. Volturena Provincia, quam hodie Vallem Telinam nominamus, Plinio Vennonetes dicebantur: abundat vini præstantissimi copiâ. Tribuitur in plures præfecturas, quarum prima Bormio, 2. Tirano, 3. Telinum oppidum in edito, & munito loco situm. 4. Sondrio celeberrimum totis vallis oppidum, cujus Gubernator causis capitalib⁹ & bellicis muneribus per omnem vallis ditionem præest. 5 præfectura est Morbeniensis. 6. Trahona. Larius lacus, ab ave sic dicitur ibidem loci frequente, quam Græci Larum vocant, Latini Fulicam. Comensis verò ab urbe Como nomen accepit, cujus conditores Cœnomani, cives ambo Plinii fuerunt. Accessione autem Coloniæ Græcæ ex Como Novocomum factum est amœnissimo loco situm. Lacus patet à Septentrione in Austrum, per 60. m. p. undique coronatus montibus. Et juga quidem castanearum nemoribus, latera vinetis & olivetis consita sunt. Ad radices sylvæ ferarum plenissimæ, stagnantes aquas piscibus refertissimas ambiunt.

CAP. XXXV.

Ducatus Parmæ & Placentiæ.

FArnesiorum potentia, sub Paulo III. Pont. Max. adolevit, qui Petro Aloisio Novariam urbem à Cæsare Carolo V. impetravit, & Octavium

vium Petri filium Nepotem suum Margaritæ Austriæ junxit, Cæsaris filiæ, quæ Alexandro Mediceo Florentiæ Duci priùs nupserat. Camertium autem Principatum cum Nepe ditione & Ducatus insignibus beneficiario jure concessit. Anno autem 1544. Parmam & Placentiam Petro Aloisio attribuit cum pensione 8. mil. aureorum; Camertium autem cæteraque Octavio donata Ecclesiæ restituit. Rem gravissimè tulit Cæsar, qui eas civitates ad Mediolanos pertinere contendebat. Præter hæc possidet Ducatum Castrensem & Rossilionem aliaque castella Romæ vicina, nec non in regno Neapolitano aliquot oppida, ex quibus omnibus ad ducenta scutatorum aureorum millia potest colligere. Parma amnis, qui ex Apennino ortus, supra Belvederium excipit Luinum amnem, & viam Æmiliam, se & suburbia dividit ab urbe Parma, nomen dedit urbi, quæ ædificiis est splendida, situ plana, castro munitissima, Licec ornata, & quam neque hyems, neque æstas affligit. Placentia, vern. *Piacenza*, ad ostium Trebiæ in Padum, & mille passus distans à Pado sita. In lat. 44.33. Nullum est Duci cudendæ pecuniæ jus.

Cap. XXXVI.

Ducatus Mantuæ.

Cispadanæ transpadanæq; Lombardiæ partem efficit. Mantua urbs nomen dedit Ducatui. Fredericus Gonzaga ex Marchione Dux Mantuæ creatus est à Carolo V. Imperatore, anno

anno 1530 ejus posteri adhuc summæ rerum pręsunt. Urbis origo antiquissima. Situs in medio paludum, quas egressus è lacu Benaco, Mincius, vernac. *Menzo*, effundit: unde nec nisi pontibus; & illis quidem eximiis aditur. Ampla est, ornata ædificiis, arce, Curiâ & artificioso magnificâ horologio. Curiæ cryptam multis antiquariæ rei monumentis Francisci conjux Isabella exornavit, in quibus Cupidines excellentis operis, cornu monocerotis, gemmæ, vasa aurea, multiplicia recondita servabantur, priusquam à Germanis occuparetur. Extra urbem amœniores Ducum secessus sunt Tea & Marmirolum. In toto autem suo Ducatu pręter urbem non habet, nisi plura municipia, inter quæ eminet vicus, & Marchionatus Gonzaga trans Padum ad Crustulum. Idem Dux Monferratum etiam possidet, de quo supra. Uterque verò hic Ducatus quotannis illi reddit sexcenta millia coronatorum, à Cæsare quicquid habet ditionũ, fiduciario jure habet, sicut & reliqui ex eadem familia minores natu Principes *di Stiuere Bozelo* Sabioneta, *Novolara*, & *Guastalla*, quorum omnium oppida vix distant minutis octodecim Mantua. Supra Mantuam ad erumpentem ex Benaco lacu Mincium fluvium. fuit olim Ardelica, nunc *Peschiera*, firmum ditionis Venetæ propugnaculum pentagonum, Scaligerorum opus, qui Veronæ domini cũ essent, oppidum extruxerunt, & ponte lacum straverunt. Oppidum Garda in Orientali parte lacus situm est. Unde hodiernum nomen traxit, cum Benacus antiquis

quis diceretur. Ambitus ejus centum circiter colligit millia. Sirmio Catulli patria, oppidum in peninſula ſitum, Scaligerorũ olim amęnus ſeceſſus. Salodium nobile oppidum. Quâ Tuſculanus amnis in lacum effunditur, Benaci oppidi apparent veſtigia. In extremo lacu Riva nobile caſtrum, & in oppoſita ripa Turdulum. Mincius oritur ex Alpibus Tridentinis, & evolvitur in Padum 13. lapide infra Mantuam.

Cap. XXXVII.

Ducatus Mutinæ.

Mutinæ Regiique Ducatus præter has duas civitates Modena 44.17. & Regio Carpenſe domicilium continet, Fugnanum & bonam partem Vallis Graffignanæ circa ſuperiorem partem amnis ſerici, qui propter Lucam mari illabitur. Hæc ab Imperatore clientelari jure tenentur omnia. Caſtellum præterea Borſelli fiduciario jure à Duce Mantuæ, cui eo nomine par calcarium præſtat. Dux è naturali propagine Ateſtinæ familiæ deſcendit: diu quidem illa Ferrarienſem obtinuit Ducatum, donec an. 1598. cum maſculus hæres deficeret, eum Clemens VIII. Eccleſiæ ditioni, unde avulſus erat, reſtituit. Mutina tamen & Regium, quæ à Ducibus Ferrarienſibus erant acquiſita, familiæ hujus veluti Stolones remanſerunt, antiqui dominatus reliquiæ, octo vel decem milliaribus circumſcriptæ. Duci porrò quotannis reddunt circiter 300. millia coronatorum. Mutina, urbs lauta & ſplendida ad Feſſæ Panari commer-

mercium extructa ab veteris Mutinæ vestigiis nonnihil recedit. In foribus Ecclesiæ Cathedralis insignes sunt Adami & Evæ statuæ ex marmore. Regium Lepidi ad Ripam Seciæ solo gaudet valdè fertili & amœno, putatur conditum à M. Æmilio Lepido, circa annum ante natum Jesum 188.

Cap. XXXVIII.

Mirandula.


Mirandulæ Comites ex filia Constantii genus ducere aliqui volunt. Alii verò à Pico cive Mutinensi clarissimo viro, qui circa annum 1110. floruit. Constat Franciscum Picum circa annum 1310. à Ludovico IV. Cæsare Vicarium ea in urbe constitutum, ejusque posteros Concordiæ Comites à Frederico III. creatos. Oppidum Mirandula situm est in medio camporũ æquore, locus frumenti vinique supra modum fertilis est. Ultra Mirandulam altero lapide in dextra Seciæ ripa Castellum visitur Concordia. Ex Picis, celeberrimi & eruditione præstantissimi fuerunt Joannes Picus & Joannes Franciscus Nepos.

Cap. XXXIX.

Ferraria.

FErraria Ducatus caput, donatione Mathildis sub annum 1195. facta, sub Ecclesiæ Romanæ dominatu aliquandiu mansit. Eum postea Marchiones

chiones Ateſtini à *Pontifice* Romano conceſſum, uſque ad annum 1598. tenuerunt, quando legitimæ prolis defectu, Clementis VIII. *Pont. Max.* opera, ſedi Apoſtolicæ reſtitutus eſt. *Padi* ripæ in lat. 44.35, aſſidet urbs, duplici arce munita, populo frequens, ædificiis culta, licet anno 1570. intra biduum gravi terræ motu concuſſa propè funditus vaſtata ſit. *Planiciem* habet circumfuſam quidem, ſed ſterilem & cœlo graviore propter paludes utitur. *Paucis* minutis ſupra Ferrariam *Padus* excipit Rhenum amnem, adcolis *Reno*, Bononiam ad duo mil. paſſ. ab occaſu præterfluens. Hujus amnis laudantur calami ſagittis aptiſſimi, quod plurima inſit medulla, pondusque volucre. In eodem amne ad confluentes Rheni & Labinii, inſula eſt, quæ duobus paſſ. mil. Bononia diſtat, in qua Cæſar Octavius, & Antonius, Lepiduſque bello depoſito, Triumviratus pactum inierunt, & Provinciarum *Populi* Romani partitione factâ, locum nobilitarunt. Bononia, vernac. *Bologna*, 44.12. navis onerariæ ſpeciem habet, potens nobilitate, ædibus magnifica, porticibus frequens, Academiâ illuſtris à Theodoſio inſtituta. Circuitus urbis 7. milliarum eſt. Turrim habet aſinellam, cujus ad faſtigium 448. gradus evehunt. Regitur civitas ab Legato Pontificio.



CAP.

Cap. XL.

Athesis fl. Tirolum, Tridentum, Verona, Patavium.

Athesis, adcolis, *Adese*, flumen post Padum totius Italiæ maximum, saxis asperum, gurgitibus vorticosum, & impetu ferox, oritur in latit. 46. 34. ex Alpibus, & Tirolum primò solus, alia deinde celebriora oppida Tridentum & Veronam præterfluit, junctus Garciæ, qui ex agro Brixiensi manat. Et quamvis ab ipso fonte ingentes larices, abietesque cum asseribus Athesis deferat, ob rapiditatem tamen Veronæ tantùm navigari incipit: unde post 32. millia diviso alveo, hinc Tartarum amnem adsciscit, paludes petẽs. Inde verò ad fossiones portum haud ignobilem mari illabitur. Brixia, vernac. *Brixen*, 46. 53. opulenta civitas incolarum nobilitate insignis, ad radices Alpium sita, Venetis restituta est à Francisco I. Galliarum Rege, anno 1517. Comitatus Tirolensis anno 1360. domui Austriacæ adjunctus fuit. Principi 300. millia aureorũ nummum, quotannis pendit, nomen accepit ab arce Tiroli. Princeps tamen residet Oeniponti ad Isarum. Nullæ ditiores in Europa argenti fodinæ. Tridentum, vern. *Trento*, 45. 53. Concilio Oecumenico clarum, Ducibus Austriæ & ex parte suo Episcopo paret: arcem habet sic cõspicuam, ut domum auream possis dicere. Cives omnes Teutonicè loquũtur & Italicè. Vaccas pro mulis & equis clitellariis adhibẽt. Ab

urbe

urbe Tridentina miliari 3. Mons Mansberi in longum 12. mille passus excurrit, trium lat. patet, in quo 350. Parœchiales Ecclesiæ, castra 32. numerantur. Salis duntaxat, & aromatum minimè ferax, reliqua omnia affatim suppeditat.

Verona ditionis Venetæ inter pulcherrimas totius Europæ, & munitissimas civitates annumeranda, 90000. aureos nummos Reip. pendit, & à duobus Patriciis gubernatur. Ad Venetos rediit anno 1517. In Veronensi tractu, Limacum arx singularis Venetorum fines adversus Mantuanos defendit. Brenta ex triplici lacu profluens 10. ferè à Tridento lapide nascitur, Patavii onerarias excipit, nec longè à mœnibus venienti ex oppido Vicentino Barchilioni commiscetur, qui variis sectus alveis per lacunas in æstuaria fertur, partim veneta, partim ad portum seu fossam Clodianam, ubi frequentes salinæ. Conspiciendam se præbet altius Vicentia, vern. *Vicenza*, sita in lat 45.28. ad radicis collis. Palatium in ea visitur magnificum, & post unius arcûs jactum, saxum solidum aræ majoris stupendæ longitudinis: Non usque adeò elegans est & magna, sed populosa. Colligunt ex ea Veneti quotannis 36000. aureos. Succedit Patavium, vern. *Padaua*, 45.20. flos & decus urbium, literarum asylum, cujus agrum fertilitatis sumen natura esse voluit. Antenor olim condidit, Veneti propugnaculis ornaverunt anno 1518. Palatium ibi Henrici Imperatoris opus nullis fultum columnis, plumbo tectum, in quo jus dicitur, domorum quatuor mil. 9. pass. mil. Pomœrium circumscribit. Ibi mons

mons pietatis institutus 18. aureorum millia sorte superat, ubi datis fidejussoribus infra 30. solidos gratis datur, supra, quinque tantùm pro centenario exigitur. Quod superest, in pauperes annuatim dividitur, sorte semper manente. Habent Medici suum ibi hortum simplicium formâ sphæricâ, amplum, irriguum, ad Venetos pervenit circa annum 1404. Iter Patavio Venetias secundo amne unâ nocte peragitur.

CAP. XLI.

Venetorum Respublica.

CUm Attila Aquileiam solo æquavit, & Mediolano Ticino, aliisque vastatis oppidis Romam peteret: ferunt circa annum 450. Venetiarum civitatem ex illa Barbarorum incursione originem accepisse, Italis plerisque maximè Forojuliensibus & Patavinis ex urbium suarum incendiis, ad æstuaria recessum habentibus: & verò in hanc diem Forojulium vocant Patriam. Sensim posteà adolevit Resp. per 230. & amplius annos sub Tribunitia potestate, tandemque anno Christi 607. Paulutius Anafestus Dux & caput Reip. constitutus est. Nunc dominium Venetum in Italia complectitur Marchiam Tarvisinam, Forum Julium, Istriam & Lombardiæ transpadanæ partem. Possidet præterea in maritimis Catharum & Ladram arces maximi momenti, nec non Corcyram & Cretam insulas, sed quæ sumptum majorem ipsi quàm censum afferunt.

Venetias inclitam urbem in recessu intimo si-

nus Adriatici in lat. 45. 23. leniter stagnantes aquę ex omni parte alluunt, haud absque maritimo æstu post senas horas recursante, affusoque ex Orientali plaga pelago. Summovetur ille quidem aggeris flexu per 35. mil. producto & quinque ostiis interrupto, quibus admittitur. Ex iis autem æstuariis 450. majores minoresque Euripi totam urbem intercursantes variis flexibus ac Mæandris 60. circiter modicas insulas ita ambiunt & distinguunt, ut pedibus ad arbitrium, vel navigio in omnem partem adire liceat: tanta est pontium frequentia & cimbarum, quas gondolas vocant, præsto ubique copia.

Visenda illic plurima, sed imprimis D. Marci Basilica, cujus ornamenta, vel ex uno pavimento licet conjicere. Est enim ex varii generis marmore opus tessallatum. In thesauro Coronæ Regiæ 12. & thoraces totidem ex auro solidi, adamantes, pyropi, uniones absque numero Monocerotis tria cornua, Ducalis infula plurimis quidem & magni pretii gemmis intexta est; sed qui apicem tenet carbunculus pretio non æstimatur. Centum quindecim turres eminent; quæ D. Marci, 40. pedes lata ducentos & 50. in altum assurgit. Numerantur fora 53. fontes publici 148. statuæ marmoreæ 164. æreæ 23. Equi ænei 9. portæ æneæ 10. Navis Bucentaurus in armamentario nautico. Vicies mille sunt familiæ sive foci Incolarum numerus trecentorum circiter millium censetur. Octavo ab urbe Veneta milliari ad amnem Musonum, oppidum se pandit Mestrium, olim quàm nunc opulentius

fluvius

fluvius inde Silis in conspectum venit, ad cujus ostia visuntur vestigia Altini urbis antiquæ. Silin verò, vern. *Sile*, ascendenti Tarvisium, vernac. *Trevigio*, occurrit urbs ædificiis splendida opibusque potens; fontibus irrigua editiore patet loco, circumfusa camporum spatiosa planitie: Totilas Rex Gothorum hîc natus. Post Gothos sedem posuerunt Langbardorum Marchiones totique regioni nomen inditum Marchiæ Trevisinæ. Plavis, hodie *La Piaue*, inde sequitur amnis, in primis Italiæ magnus, oppidum rigat San-Salvadore, vicum olim dictum Duplavilim, Fortunati Poëtæ patriam. Objecta visitur faucibus ejus insula Æquilia & oppidum Jesolo, ubi oppida olim Æquilium, & Heraclia à Hunnis cremata, quæ vix se produnt vestigiis. Posteà in excelsis montibus eminet Feltro 46. urbs Episcopalis, altiusque juxta montes, parvum sed nitidum conspicitur aliud oppidum Cividad du Bellino.

Ad Liquentiam, vernac. *Livenza*, venio fluvium, & qui ipsi commiscetur Mutecam, cujus ripæ assidet Opitergium, vern. *Oderso*, cujus incolæ suis in navibus mortem sibi afferre maluerunt, quàm Pompejo deditionem facere. Juxta Moteci scaturiginem Conegianum jacet oppidum, frequens & dives. Ad Liquentiæ ripam, Salice prædives oppidum & splendidis ornatum ædificiis, ulteriusque in montibus Seravallis, celebris armorum bellicorum officina. In illis partibus tam civilis quàm Ecclesiasticus dominatus penes Episcopum Cenetensem reperitur. Ad

amnem Romatinum, nunc Limenem, qui Markam inter Tarvisinam & Forum Julium limitem statuit, Concordiæ rudera monstrantur in æde S. Stephani paucissimisque tuguriis. Superius habes castellum Sextium, vern. *Sesto.*

Cap. XLII.

Forum Iulii.

CArni, Inalpina gens Celtici generis, Venetis contermini, extenduntur secundùm mare ab ostio Tilavempti, ad ostium Formionis amnis. Dicti posteà sunt Forojulienses, vern. *Friuli,* à Forojulio oppido, seu potius foro negotiationis, quod Julius Cæsar hîc instituit, quando & Coloniam illuc traduxit. Commendant regionem cœli salubritas, soli irrigua amœnitas, varia & multiplex fructuum copia, generosum vinum, pecoris & pascuorum opulentia, sylvæ ad materiem & venationem idoneæ, metallorum & lapidis pretiosi montes feraces, præter portus quamplurimos. Tilavemptus Venetorum & Carnorum limes, dictus Italis *Tigliamento*, fontes habet in Carnicis alpibus, urbes alluit Julium Carnicum, 46. 30. claram olim urbem & præcipuam Norici, cujus exigua restant vestigia cum vulgari vocabulo Zuglio. Inde labitur Osopsum, vern. *Opso*, 46. 12. castellum in nativo præcipiti, eminentique saxo circumjectis campis conspicuo, in quo cisterna, quæ aquæ dolia capit ter mille. Sequuntur posteà Spilinbergum, 46. 6. naturâ loci opereque munitissimum, & in proximo,

mo, difficilique monte oppidum nobile S. Danielis. Belgrado 45.50. Madrisio, nec non Tisana 45.45. oppidum dives & frequens, infra quod post 12. mille passus evolvitur in Adriaticum. Proximus ipsi est Anassus fl cum portu, vulgò nunc dictus Stella, cujus margini in lat. 45.47. appositum haud ignobile Palatiolum, vern. *Palazzolo*, per paludes seu stagna marina pergens, amnem admittit Gelinam, ad cujus sinistram ripam in insula situm est oppidum Maranum, junctis verò aquis ostium petunt, quod vulgò dicitur *Porto di Lignano*, in ora sive stagni, sive sinus Aquileiensis est oppidum Marianum, vern. *Marano*, 45.44. frequens & dives, nec non munitum arce firmissimâ. Proximè hinc sequitur fluvius atque portus Æssa, ad quem interfectus Imperator Constantinus à Ducibus Constantis fratris, qui & eundem in ejus alveum projecerunt. Inter Alsam & Aquileiam lacus fuit, in quo positũ calceamentum Maximini Imperatoris, fortè ut ex eo, cujus esset staturæ, posteri agnoscerent, certè Jul. Capitolinus ait fuisse eum octo pedum, & propè semis.

Propè Aliam fuit Aquileia urbs, Italis *Aquilegia*, 45.48. emporium nobile inter Italicas Illyricasque gentes, quasi medium à Romanis conditum & munitum contra habitantes supra Barbaros, fuit sita loco amœno, templis verò theatro aliis operibus sic ornata, ut altera Roma diceretur: hîc litem, quæ inter Herodem & filios intercesserat, Augustus composuit. Ejus Episcopus Metropolita fuit cùm Venetiæ tùm Istriæ, ad

tempora Pauli Patriarchæ, qui Longobardorum barbariem metuens ex Aquileia, ad Gradum Insulam confugit, secumque omnem suæ thesaurum Ecclesiæ deportavit. Ab Attila Hunnorum Rege per totum triennium obsessa, capta & eversa est circa annum Christi 452. obtruncatis 37. hominum millibus, reliquis Gradum fuga elapsis. Patriarchæ dicti sunt, postea Gradenses ad annum Christi 1050. quo authoritate Leonis IX. Summi Pontificis, Gradensis Patriarchatus Venetias translatus est. De situ illius summa est difficultas: nam etsi hodie adhuc extet, colonis infrequens, & ad solitudinem propè redacta ad amniculum dictum Amforam, vix duobus passuum millibus dissita à mari, certum tamen, ut constat ex Strabone, lib. 5. & aliis, adverso ad eam Natisone amne navigatum olim à mari per 60. amplius stadia, & patuisse hoc emporium, etiam Illyricis gentibus Istrum adcolentibus, qui Aquileiam adferebant mancipia, pecora, pelles: vinum verò oleum & maritimas merces avehebant, partim adverso Natisone, partim curribus per Ocram, quæ pars est Alpium humillima, ad Nauportum itinere haud amplius quadringentorum stadiorum: Nauportum enim fluvius præfluit Nauportus etiam dictus, navigabilis, qui ex Illyrico delabitur, & in Savum confluit, ad quem sita est Segestica in planitie, emporium aliud celebre, ex quo per Savum, qui exit in Danubium, in remotissimas gentes transmittebantur merces. Nec video etiam commodiorem viam, quâ Argonautæ ex Ponto

Euxino,

Euxino, per Istrum potuerint transmittere in sinum Adriaticum non procul Tergeste: humeris enim travectam Argo navim diligentiores tradunt: hæc cùm sint certissima apud autores, maximè Strabonem lib. 3. & 5. & Plinium lib. 3. cap. 18. hocque illud fuerit iter usitatissimum Romanis è Pannonia in Italiam; dicendum necessario, Natisonem mutasse alveum, & effusum in Sontium, hodie flumen celebre, quod ab ea vix bis mille passibus removetur.

Ab Aquileia 8. mille passus ad Septentrionem abest Palma, 45. 55. oppidum novum totius Reipub. Venetæ maximè munitum, jam ab anno 1593. à Palma verò minutis 10. recedit Udenum, vern. *Vdine*, 46. 4. urbs ampla, dives, munita, & Præfecti regionis sedes, juncta amni Torno duplici fossa. Ad Aquileiam nos conferamus iterum. Ejus æstuario prætenduntur insulæ duæ & viginti, quarum præcipua Gradus, vernac. *Grado*, 45. 38. quæ civitatem habet cognominem ab Aquileiensibus ædificatam, unde & eversa Aquileia Aquileiæ novæ, appellationem tulit: superius monui, quomodo ab ea Venetias traductus sit Patriarchatus, nunc admodum est infrequens. Sequitur post Aquileiam & Gradum, Sontius amnis, quem Itali dicunt *Il Lizonzo*, ad quem Odovacer victus à Theoderico, & cum tota gente fugatus: celeberrimus propè est inter omnes Italiæ fluvios, quod circa dexteram ejus ripam militaris erat via Romana, quæ ducebat ad Alpium Juliarum in Pannoniam transitum per Nauportum oppidum coloniamq; Hemonam,

quæ nunc eſt id oppidum, quod vulgò Germanis incolis vocatur *Laubach*, Italis Lubiana, à quo eadem via, hodieq; cognominatur, *La via,* ſive *La Strada di Lubiana.* Hac viâ ſecundùm amnem Sontium proceditur ad undecimum, hoc eſt lapidem, ubi nunc propugnaculum oppidumque celebre Gradiſca, 45.58. viſitur, contra Turcorum incurſiones ab Venetis extructum.

Eidem etiam apponitur Goritia, 46.3. Plinio dicta Noreia Tauriſcorum oppidum, à quo Norici nomen acceperunt, & apud quod Cn. Carbo inani conatu cum Cimbris conflixit, nunc caput eſt Palatinatus Geritiæ, qui pertinet ad Archiduces Auſtriæ. Poſt 10. circiter minuta, ab oppido Goritia Sontis amnem admittit frigidum, à cujus trajectu, poſt quindecim millia, ſummus eſt Alpis Juliæ tranſitus, in quo inſignis Pirus arbor poſita, quæ cognomen loco dedit ad Pirum. Eidem Sontio pariter miſcetur amnis Natiſo, qui in latitudine 46. 6. urbem rigat Forum Julium, vern. *Cuidal de Friuli,* hoc eſt, civitas & caput Foro Julii, & alio nomine, *Cuidal d'Auſtria,* quod eam inſtauravit Roſimunda Auſtria, Luitpraudi Regis vidua, ſita eſt in faucibus Italiæ, loco naturâ munito, ubi Ponte fluvius trajicitur. Sed ad oram maritimam revertamur. Proximè à Sontio flumine, non longè ab ora maris habes nobile diveſq; oppidum, *Monte Falcone,* à Theodorico Gothorum Rege conditum. Succedit Timavus amnis, qui in vico incolis dicto, *S. Canzain*, à D. Cantiani Fano, ex montis excelſi radicibus per complures fontes magno cum ſtrepitu

pitu erumpit, moxque cuniculo subterraneo conditur, per 24. millia ad vicum, cui vulgaris appellatio *S.Giovanni de Cherso*, ubi compluribus iterum ingentibusque eructatur fontibus septem, salsis omnibus uno dempto, qui post mille passus omnes uno ostio abeunt in mare ad radices montis, cui insidet Castellum Duinum. Habes postea Pucinum, vernac. *Profeco*, castellum & montem celebrem propter vinum, cui Livia Augusti acceptos referebat annos 70. & quo usi sæpius Imperatores, quod suavitate præstaret & robore. Succedit in intimo sinu, incumbens litori Tergeste Romanorum cōlonia hodie Trieste oppidum, quod an.1609. rediit ad Austrios. Post sex millia passuum à Tergeste miscetur mari *Formio* amnis, noviſſimꝰ inter Carnos Histriosq; terminus, qui hodie in inferiore sui parte vocatur ab Italis Risono; in superiori verò dicitur à Germanis Albea, cujus etiam nominis oppidum ei impositum.

Cap. XLIII.

Istria.

PEninsulæ formam refert inter duos sinus Tergestinum & Carnarium, seu Fanaticum, mari cincta Hadriatico, & ab Septentrionibus Alpium jugo munita, ejus latitudo 40. ambitus 200. mille passus continet. Urbium aliquæ parent Venetis, aliæ Archiducibus Austriæ. Regio licet asperior, collibus tamen ornatur, qui vini & olei sunt feraces, pascuis abundant, & frumento. Emi-

net mons,qui major dicitur,herbarum simpliciũ benignus *a* genitor, in cujus vertice ebullit fons uberrimus. Salem etiam Istria abundè præbet, piscibus abundat,materiem habet navibus fabricandis opportunam. Incolarum tamen exiguæ sunt opes, Venetis omnem negotiationem trahentibus. Senis,ut dixi, ultra Tergestam millibus amnis est Formio antiquus Italiæ terminus, qui influit in mare inter Mugilam & Justinopolim, hodie Gabo d'Istria,urbem Venetam fundatam in colle à Justino Imperatore in Ægidis insula, quæ in longitudine mille passus non excedit,& quæ teli jactu à continente divisa pontibus jungitur, in medio castellum est, quod vocant Leonium. Succedunt in ora,primum 5. ferè lapide, Castellum insula continenti ponte lapideo nexum. Deinde Piranum,ad collem montis : mox Salvorium & Vinacum in scopulo marinis undis circumfuso, nec longè Civitas nova, olim Æmonia : Post Quietum fl.cujus origo vix 20.m.p.distat à mari,civitas est Æmonia. Parentium urbs,vernac. *Parenzo*, insula continetur, mœnibus turribusque egregiè defenditur, portu maximis excipiendis navibus opportuno. Sequitur mox oppidum Urserium, vern. *Orser*, superato Lamo, Rovinium occurrit oppidum in insula, cujus ambitus 1000.passuum, portus habet duos. Conspiciendam se præbet in alto difficilique monte urbs Episcopalis Pola, dicta etiam Pietas Julia, ubi multa videntur antiquitatum monumenta. Arsia fl. est terminus Italiæ, effluit ex Cossiaceno lacu exiguo & radicibus mõ-

tis

tis majoris, desinitq; in Carnarium sinum ostio, lato passibus mille, navigatur ab mari onerariis ad sex millia, dein spacio millium 4. modica tantùm fert navigia.

a *Vide Cassiod.l.12.Var.& Vergerium.*

Cap. XLIV.

Illyrium.

IPsi nomen ab Illyrio, sive Cadmi, sive Polyphemi Siculi filio. Reges habuit plures. Caput gentis fuit Scodra ad Drilonem amnem sita in lat. 41. 30. quæ deleta est per Anicium Proprætorem, qui & Regem Gentium cum filiis duxit in triumphum anno urbis conditæ 587. & redegit in formam Provinciæ Illyrium. Ex quo autẽ Romano subjectum est imperio, reperio tribus modis apud autores sumi hoc nomen Illyrii. Primò pro ea parte Europæ, quæ à Brigantino lacu fertur secundùm Danubium ad Pontum Euxinum & Danubii ostia, cui Constantinus etiam addidit Græciam, sicq; Provincias 18. continebat. Deinde postquam partium fuit Romanum Imperium in Orientale & Occidentale, Illyrii pars Orientalis retinuit suum Præfectum Prætorio, Occidentalis verò transiit in Vicariatum & Diœcesim Illyrici, cui suberant utrumque Noricum, utraque Pannonia, Savia & Valeria, sub dispositione Præfecti Prætorio Italiæ. Tertiò Illyrii nomen sumitur pro ea tantùm regione, quę mari supero incumbit, hoc est, pro Liburnia & Dalmatia. Porrò Illyrici omnes sem-

per bellicosi, & sub Imperatoribus Romanis, hinc eductæ sunt fortissimæ legiones: pensitabat verò hæc regio in triginta quæque arvi jugera solidum, ob vestem, seu clamydem militi debitam, vinum ad eorum usum, & præterea equos, quos habebat præstantissimos. Multa referunt autores in his partibus notatu dignissima. Narrat Plinius hîc *a* reperiri homines, qui solo visu fascinent, & interimant eos, quos diu fixis oculis intuentur, præterea fontem frigidum, qui accendit vestes, quæ supra eum expanduntur. *b* Ait verò Aristoteles, bis in Illyrico jumenta parere in singulos annos, & pleraque geminos, multaque pullos ternos, imò quaternos. Gallinas verò bis terve ova emittere in die.

a *Plin.l.7.cap.2.& l.2.c.103.* b *Aristot. in admirandis.*

Cap. XLV.

Illyridis Maritima.

Illyricum maritimum patet secundùm Adriaticum Sinum ab Arsia usque ad Drinum fluv. Regio est aprica & frugifera; quibusdam tamen locis rupibus aspera, de ea, quæ ad Pannonias, & Danubium excurrit, dicemus suo loco. Maritima ora piscium optimorum copia affluit; & optimos habet portus propter insulas, quas in ea ora millenis plures recenset Plinius, cum ora Italiæ sit importuosa. Illius Provinciæ sunt Liburnia & Dalmatia. Liburnia inter Istriam & Dalmatiam media, dicitur hodie Croatia, pertinetque

ad

ad Archiduces Austrios, qui munitissimas arces habent ad amnes Kulp & Savum, in quibus Segesta, vern. *Sisech*, & Carlostadium adversus Turcos. In ora Adriatici, Sinus phanaticus infamis est propter tempestates & crebra naufragia. Illic celeberrimæ naves Liburnæ, quibus illius oræ latrunculi olim piraticam exercebant. Augustus hanc oram innumeris civitatibus cultam primus afflixit, deinde Gothi, ultimò Turcæ. Hodie tamen satis populosa est cum insulis adjacentibus. Urbes præcipuæ Fanum S. Viti, vern. *Fiume*, 45. 17. ad amnem ejusdem nominis, qui Istriam separat à Croatia. Fuit olim caput Croatiæ Senia, nunc Zeng Uskokorum Venetis infensissimorum receptaculum in plano sita ad mare, quod à Borea horridis obnoxium est tempestatibus. Jadera Romanorum colonia in peninsula Liburnorum Metropolis & munita, pro qua bellum diuturnum inter Venetos & Pannonios, nunc *Zara-vechia*, optimum habet portum humili in Chersoneso. Sebenicum opp. in Scardonico sinu flumini Titio imposita in conspectu irrumpentis freti ad radicem montis, ubi est arx: fertiles habet agros, sed Turcorum incursionibus apertos. Tragurium *Trau*, à continenti parvo Euripo separatur. Spalatum, vern. *Spalatro*, ubi Diocletiani Palatium. Salona, vern. *Spalato*, sedes olim præfecti thesaurorum, fabrica omnium armorum, & sedes procuratoris, qui præerat Baphio, in quo serica & purpura Principis tingebatur. Salona Dalmatarum navale parum incolis frequentatur ob Turcas vicinos. Ex Epidauri rui-

nis crevit Ragusium, *Ragouse*, Turcis *Dobronika*, urbs clara & arce S. Laurentii munita. Emporio & Rep. nobilis est, multas optimasque habet naves; Othomannis tributum pendit 14. millium aureorum, ejus ora oleis & vitibus egregiè consita. In continenti vix quicquam dominationis obtinet præter stagnum *Stagnio*, & Tribulium *Tribigua*, urbem Episcopalem. Meledra & Dandren ditionis sunt Epidaurensium, magnumque recipiunt emolumentum ex Sardiniis, quas illic expiscantur. Castellum novum in humili colle juxta Sinum Rizonicum situm Turcæ Hispanis eripuerunt. Catharo Venetorum urbs egregiè munita adversus Turcas ex omni parte imminentes. Scodra, vern. *Scutari*, Turcis *Scanderia*, civitas nobilis, nunc Turcæ paret. Est autem in arduo & præcipiti saxo ædificata & lacui ad Orientem imminet, qui 130. mil. in ambitu patet, & penè undique montibus ambitur. Territorium, quod est inter hunc Scutari lacum & mare, vocatur Craina, id est, Regio Saxis & montibus impedita. Budua ultima ditionis Venetæ à Turcis attrita, nunc restituta utcunque. Antibarium *Antivari*, quia opponitur Bario Apulo, scopulo affixa Italiæ & Venetorum terror. Ulcinium *Dulcagno*, quondam Albania, urbs ampla, nunc deserta, ex quo eam Selinus occupavit.

Sequitur Drilo fluvius, vern. *Le Drin*, qui in Macedonia ortus Lychnidum alluit urbem, quæ Romanis pugnantibus adversus Perseum fuit receptaculo; & Albanopolim oppidum, à quo Albaniæ nomen inditum, miscetur verò mari ad

Sinum

Sinum Phrizicum. *Post* quem Lissus est, vern. *Alesio*, urbs, in qua anno Christi 1443. obiit Scanderbegus, tres & sexaginta natus annos, qui Turcorum manibus elapsus paternâ Epiri ditione recuperatâ ingruentes persæpè cum infinitis millibus Turcorum parvâ manu superavit, summoque quoad vixit iis terrori fuit.

Præcipuæ insulæ ad oram Illyrici sunt Cherso & Osero cum oppidis cognominibus, olim junctæ fuerunt, nunc opera Venetorum divisæ. Incolæ non excedunt 5 millia. Vinum in eis colligitur, abundant nemoribus & animalibus domesticis. Absyrtides Strabonis putatur, ubi Medea fratrem interfecit. Veglia, olim Curicta, decies mille incolas numerat, qui Illyricâ soli nunc utuntur linguâ, amœna est, fertilis, vini, lignorum & equorum, frumenti abundè est. Urbem habet ejusdem nominis & portum commodum, sed Sciroco subjectum. Deinceps Arba, amœno gaudet situ, sed importuosa est, vinum mittit optimum, sal, & ficus & pecudum magnam alit copiam. Incolæ 3000. Pago, olim Gissa, incolas habet 1500. Ibi sunt Salinæ, sed lignorum inopiam patiuntur. Lezina, olim Pharos, patria Demetrii Pharii Regis Illyriorum, urbem habet cum optimo portu & magnæ classis capaci, vino, fructibus & piscibus abundat, frumenti inops. Curzola, olim Corcyra Melana, Episcopalis urbs, quæ abundat vino, caret frumento. Incolæ fabricandis navibus operam adjiciunt, quod abundet lignis.

GEO-



GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

LIBER DECIMUS.

GRAECIA.

CAP. I.

ILluditne oculis umbra, cùm Græciam descripturus, calamum sumo? sentit enim verò sentit, quantùm Deo, levitate & sanitate suâ provocato, sit pondus. Nunc ab omnibus despectum jacet cadaver regionis, quæ externa omnia spernebat, & nihil suum non mirabatur. Nunc horret vepribus & senticetis, penè deserta, quam tot olim populi, quot urbes habitabant. Ubi Musarum parens domusque Pieria. Gens prius omni disciplinarum genere exculta in tantis versatur ignorantiæ tenebris, ut iis egeat, quos appellabat Barbaros, qui eam excolant, ipsaque literarum elementa, & avorum facta, dictaque edoceant. Ubi sunt primi illi Argonautæ, qui navigandi peritiâ admirabiles, obtinuerunt aurifodinas, quibus Colchis nobilitabatur? Ubi Themistocles ille rerum maritimarum cognitione nobilis, qui 380 navibus, mille trecentas Persarum devicit? nunc Græcis, ne vel unam triremem, aut magnæ molis cataphractam navem permittitur ædificare. Quę Ale-

Alexandro,quæ Pyrrho domitoribus orbis gloriabatur,nunc mundi fabula, habet reliquum nihil, quod non ſit vel Turcorum jugo, vel Venetorum ſervituti ſubjectum. Ingemiſcamus tamen dolori regionis deſolatæ, parentis vetulæ deoſculemur rugas, & antiquitatis ſepulchra veneremur.

CAP. II.

Græciæ nomen & Termini.

ADrilone amne & monte Scadro in lat.grad. 42.Hellas incipit,à Romanis Græcia appellata,ſtirpis author fuit Deucalion, qui erat Theſſaliæ Rex,quando in Græcia tertium contigit diluvium,circa annum ante Chriſtum 1529. *a* Ipſi fuerunt duo filii, Hellen & Amphictyon. Hic pulſo Cranao Athenis regnavit.Ab Hellene Græci *Hellines* vocati, ipſaque ſive regio, ſive urbs *Hellas* dicta. *b* Hellen ex Orſeide filios tres genuit, Æolum,Dorum & Xuthum patrem Jovis, à quibus duxerunt originem Æoles, Dores & Jones.Attici ſe indigenas gloriabantur.Primigeniæ ipſis ac ſinceræ linguæ,tantùm duæ fuerunt, Dorica & Attica, *c* ex quarum corruptela ortæ Æolica & Jonica.

Complectitur tota regio partes omninò 5. præcipuas, Macedoniam, Epirum, Theſſaliam, Achajam,& Peloponneſum. Montibus cingitur undique & mari, Adriatico, quâ Albaniam Macedoniæ Provinciam rigat; Jonio,quâ Epirum & Achajæ partem Occiduam; Græco,quâ Pelopōneſum

nesum alluit: Ægeo ab Oriente, ubi insulæ plures, quæ procul eas despicientibus *aiygas*, hoc est, Capras repræsentant: cujus pars est æquor Myrtoum, sic dictum à Myrto, exigua insula non procul à Carysto Euboeæ oppido sita.

a *Vide Apollod. lib.* 1. *Diod.* 4. *Sti.* 8. b *Conon apud Phot. lib.* 27. c *Strabo lib.* 8.

Cap. III.

Præcipua Græciæ Regna.

Antiquissima Europæ Regna fuerunt in his partibus constituta. Primùm quod sciam circa annum ante Christi æram 2164 posuit Ægyalus in Peloponneso, à quo dicta fuit Ægyaliæ huic successêre Reges numero 26. inter quos secundus memoratur Europs, à quō fortassis tanquam à Regno illius antiquissimo invenit nomen Europa: Sicyon verò decimus nonus, à quo & urbs regni caput, Corinthiaco sinui proxima, & regio Sicyonia & totū Regnum dictum est Sicyoniorum, quod mille propemodum annis perseveravit, ad Zeuxippum, post cujus mortem, cùm Sacerdotes aliquot Remp. administrassent, Agamemnon Rex Argivorum Micenæorum, Sicyoniam rem ad Mycenæos transtulit.

Secundum memoratur Argivorū, quod Rex Inachus Phoronei pater, Argis in eodem Pelopōneso fundavit, circa annum ante Christi ortum 1858. huic successit Phoroneus, qui rudes adhuc & sparsos homines oppidis legibusque munivit; sub quo Eleusine in Attica regnabat: Ogyges, cujus

jus tempore secundum ibi diluvium accidit, annis ante Christum 1795. Post Noëmiticum 532. ante Deucalionem 248. post annos verò 546. Perseus Rex 15. sedem illius regni Mycenas, quam ille urbem condiderat, transtulit, circa annum ante Christum 1312. ubi per annos 209. Regnum tenuerunt Persei posteri, & Pelopidæ Atreus & Thyestes patricidiis & stupris nominatissimi, hic uxorem fratris polluens, ille epulandos filios proponens, unde postea mors celeberrimi illius Agamemnonis Mycenarum & Argivorum Regis, qui omnium Græcorum consensu Imperator delectus, ad expeditionem Trojanam profectus est. Tertii regni fundamenta jecit circa annum 1558. ante Christi æram, Athenis Cecrops vir Ægyptius, Ægyptiacæ & Græcæ linguæ gnarus, cui succesſêre Reges numero 17. quorum postremus memoratur Codrus ille amantissimus patriæ, cui de belli eventu, cùm Pythia respondisset, quorum Dux in acie cecidisset, eos fore superiores, pastorali sumpto habitu, hostium agmen ingressus, ibique temerè jurgium ciens, ab gregario milite, quem sauciaverat, interfectus est, anno ante Christi ortum 1071. Cùm omnes ad eum annis 487. regnassent. Secuti sunt Archontes, seu Prætores perpetui numero 13. qui annos tenuerunt 316. Deinde Decennales 7. Demùm annui.

Aristomachi filii, dicti Heraclidæ, quòd è Mycenarum Regibus & posteritate Herculis essent oriundi, duo alia constituerunt regna in Peloponeso, Lacedæmonium scilicet & Corinthiacum; hi cùm

hi cum vellent movere in Achæos & Jones, & in hunc finem ædificassent classem ad Naupactum, jussi sunt ab oraculo Ducem adhibere Triocu-lum, cumque in Luscum quendam incidissent, mulo insidentem, cui nomen Oxilus, eo Duce Achæos Pelopidas Agamemnonis posteros Argis & Lacedæmone pepulerunt anno ante Christi ortum 1104. Temeni Heraclidæ Argos obtigit, Cresphonti Messenia, Aristodemi filiis Laconia; & post duos annos regna Lacedæmonium & Corinthiacum ad Periandri obitum, annis non amplius 518. seu ad annum ante Christum 584. perseveravit, partim sub regibus, partim sub Brytanibus.

Lacedæmonium verò non desiit, nisi in Agesipolide & Lycurgo circa annum primum Olympiadis 140. hoc est, ante Christi æram propè 215. postquam durasset annos propè 889. Sexto loco celebratur Achæorum Resp. quæ in Peloponneso paulatim coaluit, & Scribam unum Prætoresque duos primùm habuit, anno ultimo Olympiadis 124. seu anno ante Christum natum 281. urbis 473. Tandemque multis in unum Reipub. corpus partim allectis, partim vi coactis urbibus, Græciæ totius evasit potentissima. Verùm cum Lacedæmonios mœnibus ademptis in eandem compulissent societatem, Romani horum querelâ commoti, legatos *b* miserunt, qui Lacedæmonem, Corinthum, Argos, Heracleam, & Orchomenios Archadas ab suo corpore juberent divellere: quæ cum nollent facere, bellum ipsis denunciatum anno urbis 607. ac primùm

Præ-

Prætore Metello, duobus præliis ad Thermopylas & in Phocide superati sunt; Deinde à Mummio Consule, omnis Achaia in deditionem accepta, & ipsa Corinthus gentis caput incensa, anno urb. cond 608. ante Christum 146. & sublato Græciæ Concilio, ac tributi formâ præscriptâ, constitutum, ut Prætor juris dicundi caussâ mitteretur quotannis, quo ex tempore Græcia omnis, Achajæ nomen accepit. c

Missos facio varios Principes, qui pauco tempore in urbibus plurimis, vel regnarunt, vel tyrannidem exercuerunt, Magni enim per omnem Græciam fuerunt semper populorum motus, cùm ut quisque à valentiore sedibus suis ejectus fuerat, in alterum imbecilliorem incumberet, non secus ac ventis turbato mari fit, ut è longinquo concitati fluctus proximum quemque propellant. Similiter non morabor in recensendis regionibus, ad quas variis temporibus in Europa, Africa, & Asia fines Imperii propagarunt. Verbo dicam, celeberrimum apud eos Imperiũ fuisse Macedonum, fundatum à Carano Heraclida Argivo Phidonis fratre, ejus, qui mensuras & pondera primus invenisse dicitur, qui contractâ ex omni Peloponnesó validâ manu, in Macedoniam venit, & Regnum ibi auspicatus est, in quo Reges imperarunt omninò 40. annis 647. inter quos enituit Alexander, qui Syriam, Iberiam, Albaniam, Taurum, Caucasum, Armeniã, Bactriam, Mediam, Persiam, & Regiones innumeras victoriis peragravit, & dum vixit terrarum Imperio potitus est. Ultimus fuit Perseus, qui

qui anno urbis conditæ 585. captus eſt à Paulo Æmilio, qui præterea 72. urbes direptas vendidit. Tantam differentiam ſortis, duo homines præſtitêre.

Nunc Turcis paret omnis penè Græcia, ab anno 1453. quo à Muhammede 2. devicta eſt, à quibus nunc vocatur *Vrumeli*, & eſt una ex 7. Præfecturis Imperii Turcici in Europa, quæ à totidem Vezeriis adminiſtrātur. Greci tributum Imperatori quotannis pendunt in ſingula capita: & liberorum (quos vocant tributi) robuſtiſſimos: Imò parentes plerique, omnes ſponte offerunt uno tantùm reſervato, & ex iis fiunt Geneſarii Turcicę militię robur: ab hoc tamen tributo eximuntur Conſtantinopolitani, Rhodii, Bulgari, Hungari. Nunc ſeptuaginta propè numerant dialectos, eorumque lingua innumeris eſt permixta vocibus Latinis, Italicis, Arabicis, Turcicis. Veſte utuntur prolixâ cum ſuperinducto pallio: à Venetis & Turcis vix differunt in moribus, uxores ſuas à quoquam videri haud ſinunt. In annorum computatione indictiones retinent, & annum auſpicantur à 23. Septembris, nec à Chriſto nato, ſed à mundi exordio, quod volunt præceſſiſſe nativitatem Chriſti 5508. Viduæ nec veſtem, nec induſium mutant per annum à morte conjugis, vinum & ſalgamenta offeruntur iis, qui cohoneſtarunt funus. Licet ſolas exerceant artes mechanicas Græci, eorum tamen regio licet longè optima, eſt penè deſerta & inculta. Quę ſpectant ad Sacramenta Eccleſiæ & Dei cultum, hæc obſervant: Calidam infundunt calici, in memoriam

moriam calentis sanguinis Christi, consecrant in fermentato pane: Laici sub utraque specie communicant. Sacerdotes servant suas uxores. Laicis prohibentur tertiæ nuptiæ. Sacerdotes alunt barbam & capillos. Dum formant signum crucis aliqui in dextera, aut sinistra parte hærent, nec absolvunt signum crucis, qui videlicet credunt Spiritum Sanctum, à solo Patre procedere. Die Mercurii & Veneris utuntur solo pane, herbis & oleo. Calogeri, seu Monachi oleum non gustant iis diebus. Jejunant præterea 1. à Sexagesima ad Pascha. 2. ab octava Pentecostes ad Festum Sanctorum Petri & Pauli. 3. ab initio Augusti ad Assumptionem. 4. à. 14. Novembris ad Natalitii Christi. Duriter omninò vivunt & labore manuum, multi inter eos ignari & subdoli, pauci sacerdotes, in magna tamen sunt in veneratione, & ex his tantùm eliguntur Patriarchæ & Episcopi.

a *Vell.* 1. *Iust.* 2. *Pausan. in Acha. p.* 252. b *Polib. Pausan. in Ach. Iust.* 34. *Flor. l.* 2. *c.* 16. *Vell.* 1. *Epit. Liv.* 52. c *Plin. lib.* 8. *Ep. ult.*

CAP. IV.

Albania.

GEns dura, originis Scythicæ, sedem hîc posuit, in hanc diem linguâ utitur, quę nec Gręca est, nec Turcica, sed quæ Slavicum quid sonat. Ex ea prodiêre homines magni animi & proceri corporis. Equites totâ Europâ laudatissimi, ad hostes fatigandos peridonei, qui militant

tant iis, qui luculentius dant ſtipendium. Sunt etiam hîc aliquando enati homines glaucâ oculorum acie, à pueritia ſtatim cani, qui noctu pluſquam interdiu cernebant. Patet Regio ſecundùm mare Adriaticum à Sinu Rhizico & monte Scadro, in lat. 41.25. Ad montes Acroceraunios in lat. 40. Imo ad os Sinus Ambracii, nunc de Larta in lat. 38.34. aliqui eam producunt. Prima urbs, quæ occurrit Scodra, vulgò Scutari, ſita in rupe, cujus radices alluit lacus dictus Scodra, ex quo fluvius Bojana erumpit. Primaria Albanopolis 41. 25. Driloni amni appoſita, ejus rudera Otomannorum furorem adhuc prædicant, ex ejus ruinis crevit Croia, olim Antigonia, in eadem penè latitudine, ſed ad amnem *Liſana* ſita, in qua Scanderbegus Otomannos irriſit. Secunda Dyrrachium, nunc *Durazzo*, 41. 28. ad oſtium amnis Argentaro civitas pulchra, ex qua Carlovitzii ex ſanguine Regum Franciæ dicti Principes Dirrachini. Epidamnos ante erat: Romani nomen mutavêre, quia velut in damnum ituris omen id viſum eſt. Eam Cicero exilii ſui tempore amiciſſimam expertus eſt. Parùm hinc abeſt oſtium Genuſi fluvii voluceris, cujus fons in montibus Cambuniis, qui Pelagoniam ambiunt, dictam Tripolim ab urbibus Azoro 40. 20. Doliche, & Pytheo. In iiſdem eminet montibus Stymbara 40. 30. urbs quâ olim uſus Perſeus, quando Gentio Illyricorum Regi bellum intulit. Eſt & Nimphæum ſaxum ignem egerens, ſub quo fontes ſunt tepido fluentes bitumine, amnis verò urbes rigat Ancyram, Corrhagium & Clodianam.

Ultra

Ultra ſunt ad Aoum fl. Apollonia 40.50. Corinthiorum Colonia, ad quam miſſus Octavius Cæſar, ut Græcas literas diſceret, & Eriboea 40. 25. Urbs fontibus irrigua in montibus ſita, ſedes præcipuus Scanderbegi. Aulon, nunc *Vallona* 40.32. Sinus multarum navium capax, quem duo caſtra muniunt, trajectus uſitatiſſimus ex Hydrunte, ſedes Sangiaci, urbs nunc præcipua hujus oræ ab Hebræis culta, cujus ager ſuburbanus vinum habet nobile, montes verò abundant ſale minerali: ab ea itinere unius diei diſſita eſt Belgrado. Quando Turcus has partes invaſit circa Chriſti æram 1440. Comneni Dyrrachium, Aulonem, aliaque oppida & inſulas obtinebant; Caſtrioti Eribæam aliaſque urbes non paucas. Tocchi Epirum, omnes ſive Reguli, ſive Deſpotæ ab Imperatore Conſtantinopoleos olim conſtituti. Inſulam Saſo, nunc *Saſeno* dictam, piratarum latibulum ſatis infidum Turcus occupat.

CAP. V.

Epirus.

EPirus terram ſolidam ſignificat, quæ mari incubens, vallatur montibus, qui nunc Chimeræ, vel Dæmonis appellatur, olim verò Acroceraunii, quod fulminibus ſæpè impetantur, & quoties ex eis elevantur nubeculæ, ſint tempeſtates maximè in mari, cùm Adriatico, tùm Jonico, utriuſque enim limes eſt. Dividitur ab Macedonia monte Pindo & fl. Celiduo, & ab Achaja flumine Acheloo. Dicta eſt olim Moloſſia, & à

Chaone Heleni fratre Chaonia, nunc verò Albania. Dividunt aliqui in Barbaram & Græcam, & vocant Barbarã, quæ ab indigenis retenta; Græcam verò quam Græci incoluerunt deductis coloniis. Quondam urbibus populisque fuit frequens, sed ab Romãnis subacta, cùm sæpius deficeret, urbes in ea evertit Paulus Æmilius 70. ex quibus 150. millia mancipiorum collegit. Plerisque in locis nemorosa, nunc est & sterilis, ad oram tamen maris fertilis & portuosa. Alit hæc Regio equas præstantissimas, quæ appellantur Epiroticæ, Boves item & canes magnitudine egregios; Reges habuit perplures ex stirpe *a* Neoptolemi filii Achillis oriundos, inter quos enituit Pyrrhus, Alexandro audaciá & strenuitate simillimus, qui Siciliam, Italiam, Macedoniam, & Spartam victoriis peragravit, & Argis pugnans occisus est à muliere, quę tegulam in caput ejus dejecit, anno ante Christum 271. Despotas similiter plures habuit è familia Tocchorum, qui originem repetebant à Totila Rege Gothorum, qui per 200. annos hîc imperant, quando ultimum eorum Leonardum Tocchi Turcus superavit. Incolarum alii Turcum colunt: alii Venetos. Navigatio à Ceraunis usque ad os Ambracii est stadiorum 1300. Oram maritimam tenuêre Chaones, Thesproti & Cassiopæi: Prima urbs, quæ occurrit in Chaonibus in ipso ostio sinus Adriatici *La Bocca del Golfo* est Oricũ portus à Colchis conditus, quibusdam nũnc *Valona* 40.24. In Chaonibus verò fuerunt Panormus & Onchimus portus magni & celebres.

bres. Corcyra insula, hodie *Corfou*, urbem habet ejusd. nominis in lat. 39.20. quæ vix milliare unũ distat à Thesprotorum continente, Archiepiscopatu & salinis illustris est, pertinetque ad Venetos, qui in occidua plaga habent Castellum S. Angeli, vernac. *S. Agnolo*, quod Turcorum impetum sæpius risit: patet in longum ad quadraginta mille passus. Abundat nunc frumento, oleo, vino, fructibus omnis generis, cerâ medicis herbis, & sale: potest armare 20. hominum millia. Permisit se Venetis jam ab anno 1382. quibus nunc pendit duodecim millia ducatorum, & 200 millia modiorum salis. Circumstantes insulæ ejusdem sunt ditionis, pleræque feraces, sed desertæ omnes ob piratas.

Ex adverso Corcyræ fuit Buthrotum Thesprotorum urbs præcipua, nunc *Butrinto* 39. 25. ditionis Venetæ, solo piscatu celebris; E regione Leucimmæ promontorii orientalis ejusdem insulæ, Sinus & portus est Glycis, id est, dulcis, in quem influunt Cocytus, ad quem sita fuit Cichyrus, quæ olim Ephira, ubi Theseus & Pyrithous conjecti in vincula à Rege Tesprotiorum, cujus uxorem Proserpinam rapere tentarant, & Acheron, qui ortus ex Acherusia palude Thesprotiæ, Pandosiam urbem alluit. Ibidem Veneti habent munitum oppidum Parga, & feraces insulas Paxu & Antipaxu, sed piratarum prædæ expositas.

Sangiacus Turcus sedem habet in oppido Epiri præcipuo, cui nomen Delvino, in Cassopæiis vix mædia leuca ab opp. Bastie.

Nihil verò Ambracio sinu mirabilius est in Epiro: fauces non multò majores, sex stadiis, circulus 300. colligit stadia, bonis ubique fuit olim aptus portubus, nunc verò sensim oblimatur, & urbs olim in ejus litore jam procul distat ab eo. Urbes assident Nicopolis, quam Augustus posuit in Cassiopæiis, monimentum victoriæ navalis, quam de Antonio & Cleopetra hîc obtinuit; hodie Prevezam vocant: in ea Paulus hyemavit, & eam, quæ ad Titum missa est, epistolam scripsit. In Sinu, Æacidarum Pyrrhique Regia Ambracia, hodie Larta, à qua Sinui nomen *Le Golphe dell' Arta*, ad ostium Arachthi fluvii, qui ex Stympha monte & Paroræis ortus, augetur in decursu centum fontibus Talari montis, & præterlapsus Dolopes & Molossos abit in sinum. Sequitur Argos ab Alchmæone conditum in Amphilochiis, periit omninò. Aetium denique in Acarnania, ubi templum Apollinis Actii, hoc est, literalis positum in tumulo, qui faucibus imminet, infraque campus cum luco & navalibus, in quibus Cæsar de præda ex hostibus capta dedicavit decem naves ab uno remotum ordine actas, ad deciremem usque, eodemque igne & naves & navalia absumpsit, ut Nicopolim illustriorem redderet, quam manubiis ornavit, & certamine quinquennali. Egressos Sinu Ambracio excipit Leucadium litus & mare instar Paludis, quod Acarnaniam rigat, *Le Despotat D' Acarnanie*; in ea maximè clara sunt Leucas & fl. Achelous: Oppidum Leucas fuit quondam in Peninsula, priusquam opere accolarũ abscinderetur, & fieret insula quam nunc dicimus *S. Maure*, à Turcis & Ju-

dæis

dæis habitata. Ad Leucadam petra fuit candida, unde huic insulæ, seu Chersoneso nomen, ex qua præcipites ruebant mulieres in amoribus suis minus felices. Achelous omnium Græciæ fluminum celeberrimus, sive quod primus post diluvium erupisse è terra fertur, sive quod Achelous quidam primus vini mixtionem cum aqua, in Græcia invenerit, sive denique quod in eo herba zaclon reperitur, quam si triveris, & in vinum conjeceris, fiet aqua, amittetque vim omnem vinum, tantum odorem retinebit: ut monet Plutarchus. Reperitur in ejus ripa lapis Galactites, qui si teratur, reddit succum album, & intra os receptus, memoriam bonam perimit. In eodem piscis est dictus aper, qui vocalis est, & grunnitus emittit: è Pindo fluit & Dodonam præterluit, oraculum omnium, quæ apud Græcos fuerunt vetustissimum in luco querneo, in quo aliquando ipsæ arbores responsa dabant, alias duæ Columbæ, quarum altera Delphos, altera in Ammonis Jovis templum immigravit: aliquando viri, nunquam verò mulieres fatidicæ, ut alibi passim: fuit in Dodone fons ille gelidus, qui immersas faces extinguebat, & accendebat eas, quæ extinctæ ipsi admovebantur. Ibidem etiam fons Anapavomenon, qui meridie semper deficit, moxque increscens, ad medium noctis exuberat, & exinde sensim siccatur. Hinc Acarnaniam ab Ætolia dividens in Sinum defluit Ambracicum; ubi Echinades exiguæ quondam insulæ, nunc arenâ & limo, impetu Acheloi convecto, continenti annexæ: dicuntur *Cozzulari*. Ad eas Joan-

 nes

nes Austriacus maximam de Turcis victoriam reportavit anno 1571.

Ejusdem ditionis sunt Cephalonia, vern *Cephalonga* 37.15. quinquaginta mille passus longa, ubi portus Argostoli magnæ classis capax & Asso trigona munitio: abundat lanâ, cerâ & mannâ, sed aquarum laborat penuriâ: incolæ partim Græci, partim Itali, ex quibus expeditorum militum conscribi possunt quinque millia. Huic ad ortum proxima est Asteria, quibusdam Delos, in qua, ut ferunt, primùm post diluvium sol apparuit, natus Apollo, & inventus sol: melius tamen Delum alii constituunt in mari Ægeo.

Sequitur Ithaca Ulyssis patria, scopulis aspera, Caprarum fertilissima, in qua nullus omninò lepus vivere potest.

Ad Austrum Eurum Cephalonia. Duodecim millibus ab ea in lat. 36. 25. apparet nemorosa Zacynthios, vern. *Zante*, abundans vino, oleo, sale, cerâ, maximeque uvis Corinthiacis, ex quibus ducenta capsarum millia quotannis efferuntur. Incolæ horis utuntur inæqualibus Si piratæ exscensionem moliantur, illicò ubi ignes excitantur, tria sunt armatorum millia in procinctu, qui repugnent. Huic ad Austrum sunt insulæ duæ, Strophades dictę à conversione Calais & Zethę, qui huc usque harpyias persecuti, inde retrorsum se converterunt. Calogerii earum præcipuam colunt.

a *Iust. l.16.*

CAP.

CAP. VI.

Achaia, seu meræ Græciæ Pars Sinui Corinthiaco apposita.

MEræ Græciæ fines sunt montes Oeta & Pindus fluvius Achelous, sinus & Isthmus Corinthiacus, Sinus Saronicus, Myrthoum mare, Euripus Euboeæ, Sinus Maliacus, & in eum desinens amnis Sperchius. Ibi genitus Rex nomine Græcus, à quo dicta Græcia: Ibi Hellen filius Deucalionis, à quo Hellenis: Ibi Achæus nepos Hellenis, à quo dicta est Achaja decimo quinto sæculo ante Christum natum. Varii in ea populi transmisso Acheloo sese offerunt. Ætoli martis filii, quos nunquam Macedones, solus nobilior Fulvius domuit: secundum mare, solum asperius, interiora plana sunt & fertilia. Medios perluit fluvius Evenus, vernac. *Ladifari*, ortus in Callidromo monte, fluit per Calydonē Regiam Oeni patris Meleagri, qui aprum miræ magnitudinis in sylva Calydonia interfecit: Hinc abit Pleuronem eximium quondam Græciæ ornamentum, & inde in mare. Hinc sensim sinuatur litus ad promontoria Antirrhium & Rhium, vern. *Trapana* & *Crisa*, mille ad summum passus à se disjuncta, inter quæ ostiū sinus, qui ab oppidis circumpositis Corinthiacus, Crissæus, Patrarum, & Lepanti, seu Naupacti dicitur, cujus ambitus est 280. millium passuum, longitudo 85. altitudo verò tanta certis locis, ut bolide multorum stadiorum ejus non potuerit

deprehendi terminus, mare Alcyonium vocant aliqui.

Naupactus, vern. *Lepanthe*, Ætholiæ & Locridis terminus, ab navibus Heraclidarum ibi compactis nomen sortita. Cirrha oppidum Phocidis, in quo Apollo colebatur ad radices Parnassi, montis undique fermè præcipitis, qui in duos vertices assurgit Tithoreum Hyampeum: hîc fuit Apollinis Delphici templum, hîc fontes Castalius, Hippocrene & Aganippe, ad quos habitavêre populi dicti Pyeres, unde & Pyerides Musæ & Mons.

Oraculum ipsum ajunt fuisse cavam profundè specum, aditu non admodum lato, ex qua efferebatur spiritus furoris divini efficax, supra orificium tripodem situm sublimem, quo conscenso Pythia, ubi spiritum conceperat, carmine, solutave oratione sortes pronunciabat. Idem Parnassus reperitur interdum dictus Larnassus, quod Larnax, id est, arca Deucalionis, illuc appulisset. Ab eo versus Austrum Eurum distant montes Cithæron & Helicon, ille circiter 15. passuum millia, hic vero 30. qui inter Copais celeberrimum Bœotiæ lacum & Sinum Corinthiacum longo tractu excurrunt. *P*agæ oppidum famosum, unde Peloponnesi prosilit cervix, quæ sensim ita coarctatur, ut inter Sinus Corinthiacum & Megaricum vix quinque passuum millia intercedant. In intimo recessu Megarici post Illissum fluvium fuit Cenchreæ civitas, navale Corinthiorum ad Asianas negotiationes, & in Corinthiaco Lechæum, ad Italicas, muro duplici

stadio-

ſtadiorum 12. Corintho junctum. Inter utrumque oppidum in ipſis faucibus fuit celebre templum Neptuno poſitum, ad quod quarto quoq; anno in luco Pinuum opaco, Iſthmia celebrabantur certamina in honorem Neptuni, inſtituta à Theſeo. Perfodere Iſthmi anguſtias navigabili alveo tentavêre Demetrius Rex, Dictator Cæſar. C. Princeps, & Domitius Nero. Principes verò Græci, utrumque mare junxerant ducto hexamilo, hoc eſt, per ſex mille paſſus muro; quem ab Amurathe dirutum, denuò excitarunt Veneti anno 1543. & duplici foſsâ firmarunt intra dies 15. incumbentibus operi 30. millibus hominum, ſed irrito, ut apparuit ſemper conatu, hunc ſiquidem iterum diruit Mehemet 2. Propter Lechæum navale, ad Junonis Corinthiacæ fanum, miſcetur mari rivus Pyrenes, ortus in ſummo præcipitis montis, cujus perpendiculum eſt trium ſtadiorum, adſcenſus triginta, in quo ædificata arx Corinthiorum, dicta Acrocorinthus, unde proſpectus in utrumque mare. Ad radices montis fuit Corinthus, nunc *Coranto*, quam non tam diruit L. Mummius, quàm infame illud fanum Veneris, quod mille habebat ſacrorum famulas, Meretrices: cenſentur nunc in ea domus ter mille, quarum incolæ pendunt Turco pro ſingulis furnis ſex aſperos.

Sicyoniam & Corinthiam Nemen fluvius, nunc *Langia* diſcernit. Præter Sicyoniam labitur Aſopus apud Carneates ortus è monte Cœloſſa, cui conterminus eſt Cyllene mons altiſſimus Arcadiæ, quem aliqui dicunt aſſurgere ad 15. alii

ad 20 ſtadia, in quo merulæ candicantes, in quo fons Styx dictus, cujus aqua tam frigida, ut pota ſtatim enecet, nullum vas etiam aureum nō perforet, ſolâque mulæ ungulâ poſſit contineri, quo veneno quidam Alexandrum ab Antipatro non ſine Ariſtotelis conſilio putant peremptum.

Porrò Sicyon priùs Hellas, Ægialia & Mecone dicta, nunc verò Baſilica caput & Ducatus Chiarenzæ, olim Sicyoniorum Regia ædificata in ſolo non admodum gleba terræ fœlice, ſed obliquo & aſpero, viginti circiter ſtadiis à mari, in colle munito à natura, habuitque navale & portum; copiam tulit virorum ſicut & Corinthus, & ad res civiles tractandas idoneorum & ad artificia exercenda; maximè enim in iis pingēdi ac fingendi artes auctę ſunt. Eſt & apud Sicyonios pagus Ægium eo ſitū loco, ubi Jupiter fertur à Capra enutritus, unde poſtea nomen oppido Ægira. Ab hac urbe ad Araxum promontorium in lat. 37. quidquid terrarum adjacet, peculiari nomine Achaja nuncupatur. Ad fauces freti habes Rhium promontorium, quod & Drepanum à falcis figura dicitur, cui opponitur Antirrhium, nunc *Elſtretto Delli Caſtelli de Lepante*, hinc Poſidonis vel Neptuni fanum: Poſtea Patras, olim Aroen dicta, ubi poſt Actiacam victoriam, Auguſti juſſu veteranorum colonia traducta, & D. Andreas martyrium paſſus. Eſt & in his partibus Dima oppidum, ad quod miſſi prædones à Pompejo Magno devicti, appoſitum eſt Cauconi fluv. qui fontem habet in monte Eryſmantho.

Cap. VII.

Peloponnesus.

NObilissima hæc est totius Europæ peninsula Isthmo 40. stadiorum Græciæ annexa *a*, colligens in circuitu passuum quingenta sexaginta tria millia: & penè tantundem per 5. sinus angulosos, quibus quinque maria Jonium, Siculum, Creticum, Ægæum & Myrthoum eam allatrant, & ad instar folii Platani proscindunt. Dicebatur olim Pelasgia, deinde Peloponnesus, quasi *Nisus*, hoc est, insula Pelopis, qui ducta Hippodamia, Regnum dotale accepit. Cum simplici enim interdum reperiri scriptum, notat Eustatius.

Partes illius præcipuæ sunt Achaja, Elis, Messenia, Laconia, Argolis. Mediterranea tenet Arcadia, montibus 76. sese erigens, ex quibus flumina in omnes partes emittit, præter fontes varios singulari præditos virtute, inter quos celebrantur Clitoris, qui vini fastidium inducit: Alison, qui medetur iis, quibus rabidi canes nocuerunt, & Styx, de quo supra, Moream nunc dicimus: hanc occupavit Mehemet II. & Romam, ad Pium II. confugere cum capite D. Andreæ compulit Thomam Paleologum Peloponnesi Despotam. Continet Archiepiscopatus 5. Corinthium, Christianopolitanum, Lacedæmoniũ, Novembaciæ, Napli & Patras. Episcopatus 12. cum 32 kadilis, in quibus jus dicitur.

Achajam superius à nobis descriptam excipit,

Elis, ab Araxo promontorio 38. 46. Ad amnem Nedam 36. 28. Hujus ora maritima proventu puræ nobilis eſt, & ager Byſſo, quod genus eſt lini tenuiſſimi, coloris non rarò purpurei, ut habet Pauſanias in Eliacis lib. 1. Eſt in ora maritima Cyllene Sophiano *Chiarenza*, 36. 42. Mercurii patria, Eleorum navale præcipuum, & portus peropportunus ſolventibus è Sicilia. Deinde oſtium Penei amnis, in cujus ripa Elis, hodie *Belvedere*, ubi delubrum Jovis Olympii, forum & gymnaſium celebrantur ab antiquis, nec non Pelopis os eburneum, quod ſtatis temporibus morbo laborantibus oſtenſum, erat ſalutiferum, ut refert Plinius. Narrat verò Antigonus cap. 122. hìc mulierem ab Æthiope adultero impraegnatam, filiam peperiſſe albam, ex qua poſtea & homine Græco natus eſt filius Ætiops. Elidis terra cibis mixta efficit eos ſaporis exquiſiti, ſi credimus Theophraſto. Refert verò Ariſtoteles in admirandis ſuis, Eleos certo die in templo Bacchi tres lagenas obſignatas collocaſſe, quę poſtea reſignatæ plenæ vini reperiebantur: nemini armato per hanc urbem & regionem tranſire licebat. Ab ea urbe regioni nomen. Sequitur promontorium Chelonites, hodie Cabo Tornaſſo, 36.30. punctum verſus Occidentem Peloponneſi extremum, quod ſuum communicat nomen ſinui, in cujus ora fuit Salmone, ubi Salmoneus Rex fertur à Jove percuſſus vero fulmine, quod fabricato æneo ponte, currum deſuper agitaret ad imitanda tonitrua, & in ſubjectam urbem & cives, quibus impotenter dominabatur, faces immitteret.

ret. In hunc ſinum, juxta Lucum Dianæ Alphuſiæ evolvitur *Carbon* fl. antiquis dictus Alpheus, quod vitigines & impetiginem ſanet: fons ipſi communis cum Eurota fluvio, in Aſea Arcadiæ vico, in radicibus montis Parthenii. Strabo lib. 6. addit, quòd ſi quis coronas duas utrique fluvio ſuam conſecraverit, eaſq; in communem utriuſque fontem projecerit, eam quæ fuerit Eurotæ conſecrata, Eurotam, alteram quæ Alpheo, Alpheum reddere: poſtea augetur rivis aliquot ex Mantinea, ubi quondam Epaminondas poſt victos altero prælio Lacedæmonios ipſe occubuit; mox per plura ſtadia infra terram ſubit, rurſus erumpit & rigat Megalopolim, 36.20. patriam Polybii, quæ cùm ex ruinis multarum urbium Arcadiæ creviſſet, frequentibus colonis huc miſſis ab Epaminonda, & ipſa tandem facta eſt magna ſolitudo, cui nomen *Lundario*: hinc Piſatam petit: receptiſque Celadonte & Erimantho, aliiſque obſcurioribus fluminibus, in mare evolvitur 80. ſtadiis ab Olympia celebri propter ludos, qui ab eadem urbe dicti ſunt Olympici; primùm inſtituti *b* ab Hercule Cretenſi, uſurpati deinde, cùm à Pelope, tùm ab Atreo, ſtabiliti denique ab Iphito Elco, anno ante Romam conditam 23. ante Chriſti natalem 776. quo Coroelus *c* Elis cocus in iis coronatus. Ludis præerant Elei, qui Agonothetæ ſeu Hellanodicæ dicebantur, numero primùm duò, tùm novem, poſtea decem, aliquando 12. qui paulò ante ludicrum denunciabant *d* inducias per civitates, ut ſi quæ bellum gererent, tunc abſtinerent ab armis. Coram

ram his Athletæ producti ad Jovis fidii statuam jurabant *e* omnes se disciplinæ numeros explesse: celebrabantur verò ineunte quinto quoq; anno lunari, seu quinquagesimo mense, circa solstitium æstivum per 5. dies ab luna undecima ad quintam decimam, seu plenilunium *f*. cursu, cestibus, saltu, disco & palestrâ. Prorsus nudi Athletæ certabant, ut sic juventus exercita, veris certaminibus præluderet.

Victor, qui Olympionices dicebatur *g*, oleâ, quæ Philostephanos appellabatur coronatus, postquam fecisset sacra ad aras sex, quas singulas par deorum obtinebat, non per portas urbis, sed per ruinas murorum sublimis in curru in patriam revehebatur. Observatum sponte avolantes muscas, per id tempus nusquam hîc apparuisse, fœminas autem, leges & pudorem arcuisse ab his spectaculis narrat Apollonius cap. 10. In ludis Olympicis, cum multi milvi advolent, ut rapiant carnes, tamen sacrificia non attigisse; quòd si eas rapuissent, lugubre putabatur ostentum, ut habet Plinius l. 10. c. 10.

Ajunt verò in ipsa Elide partem Alphei absorberi à terra, atque subter mare defluere ex Græcia in fontem Arethusam apud Syracusas in Sicilia. Fidem faciunt ex aliquibus hoc loco projectis, quæ emerserunt in fonte Arethusio. In eundem sinum abit fl. Amathus, qui per Pylum labitur, patriam Nestoris, qui cum reliquis Græciæ Principibus venit ad Trojam, cum jam tertiam hominis ætatem viveret, & suâ eloquentiâ & experientiâ res Græcorum plurimùm promovit.

vit. Non silebo, quæ notarunt Pausanias & Eustat. Eleorũ equas nullos unquam generare mulos, nec asinos admittere; Fuit postea ad mare Pylus Nestoris, quibusdam dicta Arcadia, aliis verò Amathois, à fluvio, quo alluitur, flectitur deinde ora ad promontoriũ Ichthum, hodie *lardam*, ubi fuit Leprion, nunc Cajapa, quæ Arcadiæ tribuitur ab iis, qui Arcadiam ad mare promovent.

Elos à Messeniis distinguit Neda, amnis copiosus, cui pueri urbis Phialiæ, huic amni appositæ, comas suas consecrabant: è Lycæo Arcadiæ monte defluit: ejus fontem Rhea Jovem pariens, lavacrorum causâ dicitur aperuisse, ipseque Jupiter dictus Lycæus. Fuit hic cultus in fano, quod, qui sciens ingrediebatur, lapidibus illicò obruebatur. Circuitus oræ Messeniæ est stadiorum circiter 800. quo spatio continentur duo Sinus Cyparissæus ab urbe S. *Elie*, antiquis dicta Cyparissa, à frequentibus cupressis, sub qua fons Dionysias, Bacchi Thyrso elicitus: & Messenius à Messena, nunc Nisis dicti: habes postea Electam ad amnem cognominem. In medio Cyparissi in lat. 35.36. prominet caput Coryphasium, nunc *Cabo Zunehi*, à quo parùm removetur mons Ægaleus, sub quo fuit antiqua Pylus Messeniaca, & ante Pylum tres insulæ Sphagiæ, nunc *Prodono*, ubi plures apri, Atheniensium de Lacedæmoniis victoria celebris: Pylum, nunc dicunt *Navarino*, est portus amplissimus & munitus, ex quo hinc Venetos anno 1500. Turcus pepulit, & Albarinos oppidum condidit. In eadem ora, sed trans Coryphasium est *Modon*, 35.20. antiquis

quis Methonæ, nec non Æpeas Strabonis una ex urbibus Achillis ab Agamemnone oblatis in dotem filiæ. Portus est in hanc diem commodus & tutus, sedes Morabegi, seu Sangiadegi totius Moreæ; huic prætenditur *Sapienza*, insula duobus millibus à continenti remota, portu commodo instructa, & minores aliquot aliæ, omnes penè desertæ propter piratas. Sequitur postea Peloponnesi sinus alius, qui mari urgetur Cretico, qui Aneus dicitur ab oppido Asine: Coroneus à Corone, nunc *Coron*, & Messeniacus à Messene, circuitus est 80. millia millium passuum: trajectus à capite Acritas terminatur Messeniacus sinus promontoriis Acrita & Tænaro, trajectus ab uno ad aliud est triginta minutorum. Acritas extremum sonat, hodie dicitur *Cabo Zunchi*. Asine, hodie *i hancromini*, cujus incolæ ad Parnassum montem olim profecti Drynopes sunt appellati, ipsi tres insulæ Thytides dictæ prætenduntur. Decem minutis ab ea fuit Corone, hodie *Coron*, urbs sita sub Thematia monte, colonia Thebanorum, ubi Jupiter & Apollo colebantur omnium morborum averrunci. Superius fuit Ithone, nunc *Grebergin*, sub monte Minthe collocata, sic dicta ab Ithoma nutrice Jovis, celebratur propter decennalem obsidionem Lacedæmoniorum, quam refert Thucydides. Hæc tota Regio, etsi duodeviginti montes contineat, & majore sui parte deserta sit, bonæ frugis tamen, ferax est, & multa boum equorumque alit millia, & Coroneus ager abundat oleis. Panyso amni apposita fuit Messene, hodie *Mosse-*

niga,

niga 55. 54. olim Corinthi persimilis cùm ob situs opportunitatem, tùm propter Ithomam excelsum & præruptum montem, qui ipsi imminet, ut Acrocorinthus Corintho, unde tritum illud de his duabus urbibus: Qui Peloponnesum suum esse cupit utrumque cornu apprehendat, bovem obtinebit, & verò diversorum Imperiorum fuit regia, & quandiu stetit, variis causam tribuit certaminibus. Ajunt hic cultum olim inter heroas Aristomenem Messenium, qui trecentos Lacedæmonios interfecit, & cujus cor post mortem repertum est villosum. Ante eam urbem tres insulæ in imo sinu. Ad radices montis Taygetæ, non procul à fluvio panyso fuit Pheræ Sophiano, dictæ Oenusæ. *Cheramidi* & secundùm Taygetum ad litus maris Abea, seu Abæ, nunc *Calamata*, in finibus Laconiæ sitai.

Succedit postea in ora maris Leuctrum Boëtorum colonia, de qua lis magna inter Messenios & Lacedæmonios, quam refert Pausanias, nunc appellatur *Maina*, estque caput Reip. quæ urbibus constat tribus, scilicet *Magni, Vitulo, Proasti*, & 365. pagis Christianis, ritus Græci, qui antiqua in hanc diem loquuntur Græcâ linguâ, liberi vivunt, nec Turcam (qui nullâ vi unquam potuit eos subjicere propter montes) nec quemquam alium colunt tributo. Fuerunt postea secundùm litus Oetylus urbs sic dicta à filio Amphitrionis & Hyppolæ, nec non Tænari fenestræ, seu Janua. Totum hoc litus ad Tænarium promontorium ipsis paret, & unicum est naviganti-bus tutum in his partibus refugium, si tempesta-

tibus

tibus corripiantur; Regio abundat oleo, vino, frumento, carnibus, maximeque coturnicibus, quæ in hoc litore ponunt cubilia, unde nomen Coturnicum Portui. Taygetus mons ferina abundans, fœtus metallis, lapidibus pretiosis, & marmore. A radicibus Arcadicorum montium recta fertur ad Tænarum promontorium, nunc *C.de Matapam* in lat. 35 dictum, ubi quondam urbs ejusdem nominis, ad quam Arionem, quem dorso exceperat, illectus cantu Delphinus, fertur deposuisse. Fuit & fanum Neptuni in Luco sitũ, nec non antrum, per quod Cerberum ab inferis ab Hercule volunt extractum. Fuit & fons, teste Pausaniâ, qui introspicientibus præbebat aspiciẽdas naves, qui portum subibant. Miraculum abstulit fœmina, quæ vestem pollutam menstruis abluit in ea.

Dehinc inter Tænarum & Maleam, sinus Laconicus, nunc *Golpho de Colophina,* ducenta sex millia in circuitu, trajectu verò triginta novem millia colligit. Notat Strabo à Tænaro ad Phieuntem Cyrenaicæ regionis promontorium, stadia esse 3000. versus meridiem: ad Pachynum Siciliæ 1600. Stad. ad Corycum Cretæ 250. Stad.

In interiori sinus, fuit Gythium Nigro *Palæopoli,* navale tutissimum Spartæ, & statio multa effossione parata, in qua incensæ Lacedæmoniorum naves à Tolmide Atheniensi. Hinc certissimus in Cretam trajectus. Habes, deinde ostium Eurotæ, hodie *Basilipotamo,* in quo Nicanor lib. 2. de fluminibus ait, gigni lapidem Galeæ simillimum, qui ubi sentit inflari tubam,

illic

illic in ripam exilit quasi ad pugnam : quod si quis tum Athenienses nominarit , extemplo in altum demergitur. Oritur primò in Asca Megalopolitidis vico , secundò postquam diu latuit , initio Berabinatidis regionis , & præter ipsam Spartam labitur , quæ alio nomine dicta est Lacedæmon , hodie *Musithra*, totius Peloponnesi urbs clarissima , Lycurgi stabilita legibus,quæ juventutem laborib⁹, nando,currendo, esuriendo,algendo,æstuando erudiebant. Hinc abduxit Helenam Paris. Eam nunc licet adhuc sine muro 50. circiter hominum millia incolunt. Turcus Castellum Acropolim edito in colle situm obtinet. Nunc in reliquo continenti Laconiæ , deficere jam mortales dicendi sunt, si cum eo tempore conferantur , quo hæc regio centum bobus quotannis sacrificabat,quod centum costaret urbibus ; Ad lævam ostii Eurotæ fuit Helos , unde Helotæ Lacedæmoniorum servi,quorum ebrietate filios suos docebant sobrietatem. Olim ad Eurotæ ostia fiebat piscatio concharum , quæ ad tincturam purpuræ erant aptissimæ.Ibidem non longè,ante promontoriū Maleæ insula est Cythera armatæ Veneri sacra, nunc dicta *Cerigo* , Ægei maris specula duplici portu instructa,& urbe Episcopali *Capsila*, quæ in alta rupe & prærupta eminet , ad quam nullus est , nisi per callem excisum in rupe accessus : ditionis est Veneræ, vino abundat , oleo & onagris , in quorum capite reperitur lapis , plurimum utilis epilepticis, pleureticis,& puerperiis. Habet in ambitu sexaginta mille passus. Mi-

nores

nores insulæ & scopuli plures versus ortum hanc circumstant.

Caput Malea, nunc *de Malio*, æternâ nive albicat, incumbitque mari, quod & undarum mugitu, & tempestatibus penè continuis horrescit. Post, Malea Argolicus sequitur, Sinus ad Scylleum, trajectu 50. millia passuum, ambitu verò 172. millia colligens: primas partes tenent Lacones, reliqua Argivi. Laconum fuerunt templum Delium, & Epidaurus, dicta olim Limeria, ob portus commoditatem, nunc verò *Napoli de Malvasia*, ubi vinum inter Græca eximiè generosum. Turcus munitionem occupat in monte sitam. Argivorum fuerunt Cyphanta portus, Prasiæ, Temenium, secundùm quod labitur in mare Erasinus, qui è Stymphalide ortus mox subit montem & voragines obturatas, quæ Berethra nuncupant; rursum in Argeia erumpit & Argos, lustrat caput Imperii Argivorum, amnemque excipit alium, qui Mycenas lustrat Persei Regiam, nunc dictam *Agios Adrianos*, Mari verò jam proximus aquas exicipit, quas emittit Lernea Palus hydræ fabula celebris. Post Temenium sequitur Nauplia Argivorum navale sic dictum, quod frequenter navibus impleretur; nunc vocant *Napoli di Romania*, numeranturque adhuc cives in ea plusquã 50. millia. Fabulantur verò hîc olim fuisse Canathum fontem, in quem se Juno quotannis prolueret, ut virgo fieret denuò. Dicebant præterea asellum rodentem vitis pampinos docuisse ipsos vitium luxuriem resecare, ut fructus ferrent uberiores. Deinceps à

Nau-

Nauplia ſpecus ſunt, & in iis ædificati labyrinthi à Cyclopibus. Mox ſequuntur minores duo Sinus ab Aſina & Hermione urbibus dicti: in hac fuit templum Cereris & Proſerpinæ cum Aſylo. Putarunt verò hinc ad inferos viam eſſe breviſſimam, ideoque hîc à morientibus Naulum non expoſci. A promontorio, quod Scylleum, vern. *Schilli*, dicitur à Scylla Niſi filia, quæ huc appulit ejectâ fluctibus. 177. mille paſſus ad Iſthmum numeramus. Secundùm Sinum Saronium, cui nomen à nemore querno, ita Græcia antiquâ appellante quercum. Hoc ſpatio reperiuntur Troezen, nunc *Damala* vel *Pleda*, olim Regia Pitthei, & patria Theſei, quæ Athenienſium adverſus Xerxem proficiſcentium uxores & liberos perhumaniter ſuſceperunt, duobus obolis in ſingulos diſtributis puerisque factâ poteſtate, ut undecunque liberet, poma acciperent. Nemo hîc nubebat, aut ducebat, quin Hippolyto comas totondiſſet: virgines præterea Minervæ Apaturiæ zonas offerrebant. Epidaurus, hodie *Cherroneſi*, 36.43. unde Romani miſsâ triremi Æſculapium evocarunt.

Ægina oppidum, à quo dicti Æginetæ, qui hoc litus incolebant, ſicut & ſaxoſa inſula Ægina, ambitus paſſuum viginti millium, à Piræo portu diſtans millibus 12. in qua Æacus regnavit & Myrmidones, non è formicis facti homines, ſed viri inſtar formicarum operibus addicti, & in ſpeluncis hîc degentes, ad quadringenta & ſeptuaginta millia. Cenchreæ Corinthiorum verſus Orientem navale, & ab eo diſtans 45. ſtadiis

Schœ-

Schoenus portus, ubi angustissima est Isthmi pars & Neptuni Isthmii fanum celebrisque illa columna, quæ Peloponnesum separabat ab Jonia, sic enim ea regio dicebatur, antequam Megaris conderetur. Inter Schoenum & Sunium promontorium stadia 680.

a *Eustat. in Dion.* b *Pausan. in Eliac. Diod lib* 3. c *Athen. lib.* 9. *Pausan. in Eliac.* d *Thucid. lib.* 5. e *Pausan. in Eliac.* f *Pindar. & ejus schol. ad Olymp.* 5. *Tozet. ad Lycop. Pausan. in Lacon.* h *Pindari schol. in* 8. *Olymp.*

CAP. VIII.

Meræ Græciæ pars altera.

POst emensam Peloponnesi oram, maritima Helladis iterum lustremus. Post Isthmum offert se primo loco promõtorium Minor, quod Nisæ, nunc *Saline*, Megarẽsium navale efficit, distans ab urbe Megara, nunc *Megra*, 37. 26. stadiis 18. quæ longo utrinque muro connectuntur: hinc oriundus fuit Euclides quintus Geometra, de quo (quod de nullo mortalium) dixit Proclus, *nusquam deceptus est*. In foro Megarensi diu stetit Oleaster, cui viri fortes appenderant arma sua, quæ cortice ambiente ætas occultaverat. Fuit autem arbor illa fatalis excidio urbis præmonitę oraculo, cum arbor arma peperisset, quod succisæ accidit, ocreis, galeisque intus repertis, ut habet Plinius l. 16. cap 39. Regio aspera est sicut & Attica propter Oneios, hoc est, Asininos montes, quorum dorsum saxis Scironiis ad Cithæronem

nem montem & mare, quod ad Nysæum est, porrigitur, qui has partes separant à Bœotia.

Naviganti à Nisæa versus Atticam 5. exiguæ insulæ occurrunt. Inde est Salamin longa 75. stadiis, urbem habens cognominem, suo claram Ajace, & victoria, quam 180. naves Græcorum, de 1000. Persicis retulerunt. In ora montes sunt Cerata, seu Cornua, qui Megaricam dirimunt à Ducatu Atheniensi. Sequitur urbs Eleusin, nunc Lepsina, Cereris mystico delubro celebris: Matronæ siquidem, quæ in casto Isidis, aut Cereris erant, per totos sacrorum dies stramenta habebant ex herbis, ac foliis viticis Thymelææ & aliarum herbarum, quæ castitati conducere existimabantur in ipso templo, quibus incubabant. Maritus verò ejus mulieris, quæ sacris observandisque diebus non abstinebant à concubitu, cogebatur veniam petere, & magnâ mercede, ac pœnâ violatum Cadurcum redimere. Deinceps est Amphiale promontorium, quod injecto aggere, dum Xerxes conatur jungere cũ Salamina, navium jacturâ, & suorum fugâ præventus est. Ibi & duæ sunt parvæ insulæ Pharmacusæ, in quarum majore ostenditur sepulchrum Circes. Inde Piræus, hodie Piræo, ad ostia Cephisi fluminis, qui Athenas rigat, hodie *Setines*, 37. 15. & Munychiæ Peninsulæ fauces angustæ, & post eas tres portus, armamentarium & navale 400. navibus recipiendis sufficiens. Olim jungebatur *Piræus* muro 40. stadiorum cũ urbe Athenarum, & cum saxo Astu undiquaque domiciliis cincto, in cujus templo colebatur.

ebur-

eburnea Minerva Phidiæ opus rarum. Antiquæ Academiæ toto orbe celeberrimæ vix ullum nunc apparet vestigium. In Monasterium conversus est Areopagus, celebre illud Martis templum, in quo de causis capitalibus pronunciabant Judices severissimi tantâ integritate, ut noctu non interdiu judicarent, quo, non dicentes, sed quæ dicerentur observarent; Partem urbis superiorem, in qua est ara Ignoto Deo inscripta, Turcus occupat: Mediam Christiani: Infimam homines omnis generis. Pauci sanè si conferantur cum censu hujus urbis, quem instituit Demetrius, in quo cum civium numerus viginti unum millia, non excederet, reperta sunt tamen advenarum decem, & servorum quadringenta millia, ut refert Ctesicles apud Athanæum l. 6. Cephissus & Ilissus torrentes, priusquam mari misceantur, Athenarum Oliveta ita fœcundant, ut oleum urbi Constantinopolitanæ, in hanc diem sufficiant. Post Pyræum Phalerenses in proxima ora variique vici, Curiæ & insulæ minores ad Sunium promontorium, nunc *Cap. de Colombe.* Ubi Helena insula aspera & deserta, longa 60. stadia, nec non Cia huic proxima, in qua tres olim civitates. Ubi circumflexeris promontorium, offertur Marathon, ubi Miltiades, Datis Persæ copias internecione delevit. In Marathoniis campis, inquit Pausanias in Atticis, audiuntur adhuc per totam noctem equorum hinnitus, & pugnam cientium hominum species cernuntur. Qui de industria eò accedunt, ut hæc videant, mali multati discedunt; at iis, qui fortuitò, nihil mali

mali contingit. Oropus Atticæ & Bœotiæ limes, ubi oraculum Amphiarai.

Deinceps sequuntur maris angustiæ quibus separatur Eubœa insula, à continenti Bœotiæ motu terræ avulsa. Plurimæ hic olim urbes, jam tantum nomina. inter quæ memoratu digna est Aulis urbs cum portu 50. navium capace ubi Græci cum Agamemnone in Trojæ excidium conjurasunt: Ponte duum jugerum conjungitur Chalcidi Eubœæ urbi præcipuæ, quàm nunc dicimus *Negrepont*, 38. Terræ motu à Bœotiâ abrupta est hæc insula dictaq; olim Abantias ab Abantibus, qui in ea rerum potiti sunt ex Phocide digressi. Institutæ postea Respublicæ duæ Chalcidis & Eretriæ quæ postea in varias regiones dimisere colonias: reperitur etiam dicta Onche à monte hîc insolitæ magnitudinis, & Chalcis quod hîc primum officinæ ærariæ inventæ sunt. Longitudo hujus insulæ fuit stadiorum 1125. latitudo 250. Academiæ hîc olim celebres Eretriensis & Chalcidensis. Hîc mortem obiit anno ante Christi æram 447. naturæ genius Aristoteles natus tres & sexaginta annos, correptus febris æstu ex vehementiori contemplatione æstus hujus Euripi, qui alterno cursu septies die & septies nocte recurrit, eo impetu, ut navigia repugnantibus ventis rapiat. In Chalcide nullum pecori est jecur, inveniuntur & pecora quæ carent felle. Anguillæ aureis & argenteis ornatæ inauribus & mugiles mansueti. Pisces vero juxta Eubœam adeo salsi sunt, ut salsamenta vulgo existimentur. In Carysti lapidicinis collecti lapidei glomi & molles

qui ducebantur ut linum, unde conficiebantur mappæ quæ igne non absumebantur, sed tantum purgabantur, vide Strabonem lib.10.

In hunc Euripum fluvii tres præcipui Asopus, Ilmenius & Cephisus effundebantur. Ad Asopum sitæ sunt Plateæ ubi Græci Mardonium cum 300. millibus Persarum occidione occiderunt. Ad Ismenium Thebæ heptapylon dictæ à 7. portis, ubi nati Hercules, Liber pater, Pindarus, Pelopidas, & Epaminondas, nunc dicitur *Stines* estq; Metropolis Bœotiæ. Ad Cephissum Chœronea 37. 45. ad quam Philippus Macedo post acre prælium factus est Græciæ dominus, Romani copias Mithridatis debellarunt, & natus est Plutarchus Lyra Philosophiæ. Cephissus alveum sæpius mutat sicut & cæteri Græciæ fluvii, propter crebros terræ motus, urbemq; Copas à quâ dictus Copais lacus, olim submersisset nisi post aliquot dies, ad eum locum, ubi postea fuit Larymna superior, hiatus terræ factus amni subtus terram merso aperuisset alveum, qui postea mergitur Euripo ad oppidum, cui nomen Larymna inferior. Post oram Bœotiæ continenter jacet Sinus Opontinus. Opus primaria urbs nomen fecit, Cynus Opuntinorum fuit navale & monumentum Pyrrhæ; è regione Ædepsi Eubœæ, ubi calida sunt Herculis lavacra inter Opuntem & Cynum planicies fœlix; fuit postea Cnemides oppidum Locrorum.

Cap. IX.

Thessalia.

UBerem Thessaliæ planiciem dictam, nunc *Iannam* quæ tria complectitur *à* stadiorum millia, & in qua numeratæ olim urbes 75. cingunt ad instar Amphitheatri montes quatuor & triginta, quorum præcipui Pindus & Pierius Musarum domo, Olympus, Ossa & Pelion Gigantũ bello memorati: Eam verò ita separãt ab Achaia, Epiro & Macedonia, ut expediti, vix calles inveniant ad transitum; quin & ora maritima quæ à Thermopylis extenditur ad ostia Penei, editior est interiori camporum æquore: hinc tanta nascitur serpentum copia, ut nisi tollantur à Ciconiis regio sit inhabitabilis. Thessali memores beneficii caverunt sub pœna capitis, ne quis vel unam interimat. Unica est in hanc vallem via per montem Callidromũ 60. passus latam per quam traduci potest exercitus: eam propterea Latini portam, Græci Pylum, & propter fontes calidos quibus irrigua est, dixerunt Thermopylas.

Ubi à Pylis navigaveris per sinum Maliacum incides in ostia Asopi & post stadia 10. ad Sperchii, in cujus aqua Achilles comam abluit: hic recepto Acheloo labitur Heracleam inter & Lamiam, bello claram Lamiaco inter Antipatrum Macedonem & Leosthenem Atheniensem. Sequitur parva insula Myonesus ante Larissam urbem, à qua dictus Achilles Larissæus: deinde Antron quæ Protesilaum habuit dominum: supra sunt Thebæ, post Pyrrha promontorium, &

duæ exiguæ insulę, nomen uni Pyrrha; alteri Deucalion terminus Phthiotidis regionis Achilli subditæ. Hanc excipit Magnesiæ litus in quo Pagasæ, ubi Argo navis compacta. Jolcos Jasonis patria, unde & missus est ad vellus aureum. In ea urbe ludos funebres primum institutos ab Acasto tradit Plinius.

Demetrias caput Magnesiæ & Macedonum aliquando Regia & navale à Demetrio Poliorceta filio Antigoni conditum ad Nauri ostium. Ante Magnesiam sitæ plures insulæ, inter quas & radices montis Pelii maximè ad Sepiadem promontorium & Casthanæam flante subsolano multæ naves Xerxis allisæ perierunt. Dicearchus Mathematicus hunc montem ad 10. stadia assurgere ratione perpendiculi demonstravit. Secus hunc montem habitarunt, qui primi equos domare, & ex iis pugnare cœperunt, quo factum, ut à vicinis populis primùm conspecti, membra partim humana, partim equina habuisse crediti sint, iidemque dicti Centauri, quod equis insidentes, cestibus & stimulis boves ad tecta revocarent, est etiam celebris propter nuptias Pelei, & Achillis educationem per Chironem Centaurum.

Hinc longis in altum immissis lateribus aperit se Thermaicus sinus, in quo sita est Meliboea, Philoctetæ patria; apparent postea montes Ossa & Olympus gigantum fabula celebres, qui cum olim cohærerent, dicuntur terræ motu recessisse, tuncque sibi viam aperuisse in mare Peneum qui paludes quibus laborabat Thessalia, siccavit, abductis in se, quæ sine exitu stagnabant aquis, unde

etiam

etiam reperitur apud Strabonem dictus Araxes ab *arasso*, hoc est scindo; ad ostium convallis est nemorosa Tempe dicta ob amœnitatem, ab omnibus decantata, à qua deinde omnia amœna loca dicta sunt Tempe: per hanc Peneus ortus juxta Gomphos defluit quingentis stadiis, dimidio ejus spatio navigabilis: omnes oves quæ potant ex aqua ejus, fiunt nigrę: accipit in decursu amnes plurimos, & in his Euroton quem alii vocant Titaresium olei modo ipsi supernatantem, necnon Enipeum in cujus ripa Pharsalus, à quo Pharsaliæ Campi, in quibus duorum ingentium bellorum civilium procellæ detonuerunt; primum inter Cæsarem & Pompejum, alterum inter Augustum & percussores Cæsaris. Porro memineris geminū in Græcia montem fuisse dictum Olympum, unum in Peloponneso, in quo celebrabantur Ludi Olympici, apud Pisas Elidis, sitas inter Ossam & Olympum: alterum in Thessalia de quo agimus, quem autores dicunt assurrexisse ad 10. stadia ratione perpendiculi ejusq; verticem ventis & pluviis superiorem quasi literę cineribus inscriptæ in summo ejus, integræ perseverassent in annos plures: verum falsitatis arguuntur à pluribus qui contrarium se expertos profitentur apud Raphaelem Aversa: in opere suo Philosophico de montibus. Lauro consitus est, & buxo caretq; omni lupo. In Ossa fuerunt Lapitharum domicilium, multi leones, & locus dictus Scalæ Alexandri. In his etiam partibus Suidas & Tzetzes aiunt habitasse Polydamantem Scotusæum Pancratistem omnium mortalium maximè procerum & fortissimum,

qui adhuc juvenis Leonem in monte Olympo occidit, Taurum ungula tenens non dimisit, nisi relicta ungula in manu. Currum agitatum ab auriga, equisq; pernicibus impulsis altera manu retinuit immotum. In spelunca autem, fornice collapso, fugientibus reliquis, stetit putans posse se cohibere ruinam, saxorum tamen pondere obtritus periit.

a *Plin. l. 4. Strab. l. 9.*

CAP. X.
Macedonia.

HÆc est illa Macedonia populis 150. inclyta, quæ reges numeravit 40. inter quos maximè illustres Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Asiæ, quorum virtus id assecuta est, ne quis toto orbe locus sit, qui eos ignoret: parte ejus occidua quæ extenditur secundum mare Adriaticum à montibus Acrocerauniis ad Drilonem amnem, superius descripta à nobis sub nomine Albaniæ, alteram nunc percurramus calamo, quæ mari Ægæo apposita, patet à Peneo amne ad Strimonem, vel si mavis ad Nessum fl. In ora est Dium, urbs statuarum multitudine ornata, parum distans à monte Pimpla, in cujus radicibus fons Musis sacer, ad quem Thraces mulieres dicuntur lacerasse Orpheum, quod ab earum amore homines avocaret; vicesimo autem hinc, versus montem Pieriũ stadio collecta membra à Musis reposita in urnâ super columnam.

In urbe Pydna Alexandri mater Olympias venit in potestatem Cassandri. In planicie vero

proxima

proxima Perſeus ingenti pugna ab Æmilio Paulo ſuperatus eſt. Ab ea ſtadiis 40. diſtat Methone in cujus obſidione Philippus Macedo damnatus eſt altero oculo, ictus ſagitta ab Aſtere oppidano emiſſa nominibus Aſteris & Philippi qui petebatur, inſcripta.

Non longè ab oſtio Axii fuit Pella nunc *Jeniza* urbs quam Philippus auxit, Alexander verò ſibi Regiam conſtituit. Hîc videbatur tumulus Euripidis, & alebantur ſerpentes cicures, qui fabulæ de Alexandro nato ex ſerpente potuerunt locum dare.

Axius vero nunc *Vardari* fluviorum Macedoniæ maximus, in Scadro monte ortus Pæoniam Pelagoniamq; præterfluit, Mygdoniam ſeparat ab Emathia admiſſis fluviis Erigono, qui Ædeſſam, ſive Ægæam hodie *Vodena*, caput Æmathiæ, perlabitur urbem, in qua mos ſepelire Reges, & Chidoro nunc *Granea*, qui ab exercitu Xerxis potante, dicitur defeciſſe, tandemque evolvitur in ſinum, qui Thermaicus appellatur, ab aquis & oppido Therme, quod poſtea auctum magnitudine & ornatu, Theſſalonice dictum eſt in gratiam uxoris Caſſandri, vel ut volunt alii à Philippo, qui cum ad eum Theſſalos deviciſſet Theſſalonicam dixit. Extrema ejusdem ſinus occupavit Olynthus Macedoniæ urbs maxima à Philippo capta proditione Amynthæ.

Proximo ſinui Toronaico nomen dedit urbs Torone, ſequenti Singitico Singus, hodie *Golfo d' Aiomana*: & *Golfo de Conteſſa*. In

flexu habes Acanthum urbem autoritate & opibus pollentem. Hinc mons Athos dictus ab Atho gigante excurrit in mare per 75. passuum millia, colligens in ambitu, 150. millia, junctus continenti Isthmo mille quingentorum passuum, quem Xerxes Persarum Rex vindicaturus injuriam quam allisa classe sibi persuadebat accepisse ab hoc monte, opera Classiariorum, abscidit, & effosso Euripo capace duarum triremium insulam fecit; tantæ est altitudinis, ut per 300. Stadia umbram projiciat ad forum urbis Myrrhinæ in insula Lemno. Multi qui hunc montem incolunt ad centum & quadraginta annos vitam producunt. Est & civitas ejusdem nominis super eodem monte sita, Italis *monte Sancto*, Incolis *Agion oros* quod eum colant soli Caloierii, seu D. Basilii Monachi in viginti quatuor Monasteriis distributi.

Post Isthmum fuit Stagyra Aristotelis & Hipparchi natalibus inclyta, sinui apposita quem dicimus *Golfo de Monte Sancto*, majores Strymonium à Strymone fluvio, propter olores & onocrotalos celebri, ortus in Emo, funditur in 7. lacus, deinde cursum dirigit per Amphipolim Atheniensium coloniam, quæ cæteras ejus regionis urbes rerum copia, magnitudine & populi frequentia superavit; ab ea stadiis 25. distabat Eione ejus navale.

Ab eo 15. circiter millibus distat urbs Philippi, quam Amyntæ filius suo nomine appellavit & munivit, tùm quod adversus Thraces bello gerẽdo apta erat, & proxima faucibus Pangæi montis, quibus iter est in Thraciam, necnon ad fodinas auri

auri & argenti, quæ annua reddebant talenta mille. Imo Aristoteles in suis admirandis ait ramenta hujus auri dejecta, crescere, aurumq; manifesto produci. Apparent adhuc parietinæ celebris muri & turris in his partibus excitati, quo Macedonia separabatur à Thracia. Saniacus regionis degit Cavalæ 2. millibus ab antiqua Philippi in urbe totius regionis hujus munitissima.

Cap. XI.

Thracia antiqua.

GRæciæ proxima est Thracia à Strimone fl. patens secundum mare Ægæum, Propoatidem, Pontum & Istrum ab ostio ad confluentiam Savi, Almatarum, Macedonumq; montana, ab ortu & Ponto ad occasum & Illyricos penitus immissa; pars ejus nunc dicitur Romania à præcipua urbe quam Constantinus novam Romam jussit appellari. Stephanus dictam vult Thraciam à Nympha incantatrice, Titanis filia ex qua Saturnus Dolongum filium suscepit. Existimant alii à *Trachy*, hoc est, aspero ipsi nomen inditum à Græcis, quod tunc esset regio, nec cælo læta nec solo; & nisi qua mari propior est, infæcunda, frigida & eorum, quæ feruntur, maligne admodum patiens, rarò pomiferam arborem, vitem frequentius tolerabat, sed nec ejus quidem fructus maturescebat, nisi ubi frigora objectu frondium cultores arcuerant. Sale carebant & mancipia pro sale distrahebant, unde sale empti nullius precii nominati sunt homines. Interior montes attollit,

Hæmi excelſitas ſex mille paſſibus ſubitur, ex ſummo vertice Euxinum & Adriam oſtentat, vaſtis jugis procumbit in pontum, ejus devexa in Iſtrum, Moeſi, Getæ, Sarmatæ & Scytæ accolebant. *Poſt* cum maximè ſublimes Rhodope, & Orbelus in quibus canere ſolitus Orpheus in ſacris Liberi patris & cætu Mænadum, perpetua nive pleriq; vertices candicant, validiſſimas Europæ habebat gentes in Strategias, hoc eſt, præfecturas 50. diviſas aliis aliisq; præditas & nominibus, & moribus, liberos ſuos ab infantia indurabant ad labores corporum: magnitudine cæteros homines antecedebant, punctos habere vultus, cæruleos oculos, trucem viſum, terrificum vocis ſonum, annoſam ętatem, apud eos glorioſum indicabatur. Ipſis fuit diu vini uſus ignotus, licet ubi ſuper ignes quędam ſemina injeciſſent, non abſimilis ebrietati hilaritas conſurgeret; cõſtat poſtea uſos Brito, hoc eſt certa potione, quàm Athenæus ait confectum ex hordeo & frugibus. Agricolæ contemnebantur, quod eorum aliqui ita erant ſtupidi, ut ultra quatuor numerare, vel numerata retinere non poſſent. Ad mortem omnes erant paratiſſimi. Alii redituras putabant obeuntium animas; Alii etſi non redeant non extingui tamen, ſed ad Zamolxim, hoc eſt Martem Deum ſuum ad beatiora tranſire; alii emori quidem, ſed id eſſe operæ pretium magis quàm vivere: itaq; lugentur apud quosdam puerperia, funera contra feſta ſunt. E pluribus nuptis ea cui contigerit ex ſententia parentum defuncti ſuper corpus viri interfici, & cum eo ſepeliri, votum eximium habet.

habet. Si cœlum tonat vibratis in altum ſagittis unum ſe Zamolxim Deum agnoſcere profitebantur: ſi populus Regem volebat habere, virum deligebat inveteratæ clementiæ, annis gravem & cui non eſſent liberi, ne Regnum fieret hæreditarium, & 40. rectores ei aſſignabat ne ſolus judicaret: paucos habuerunt, qui continua ſerie ſibi ſuccederent, forte nullos qui toti Thraciæ imperarent. Diſcordes inter ſe duo Reguli arbitrium delegerunt Philippum Macedonem, qui hac ratione magnam Thracię partem occupavit, totam obtinuit Alexander filius. Duo alii ſimilitet Romanos evocarunt, qui diſſenſiones eorum ita compoſuerunt, ut conſumptis belli Ducibus, Sabinus de omnibus ſub Tiberio Cæſare triumphaverit circa annum Chriſti 27. Demumq; ſub Claudio Thracia Romani Imperii facta eſt Provincia circa annum Chriſti 48. nec citò, nec impunè ſubacta. Rerum gerendarum præſtantia nihilo ſunt inferiores majoribus, qui hodie habitant.

Cap. XII.

Imperii Conſtantinopolitani initium, progreſſus & finis.

DIviſo, ut monuimus ſupra, Romanorum Imperio, variiſque ſimultatibus exortis inter Licinium & Conſtantinum Imperatores, Licinius circa Hadrianopolim maxima accepta clade à Conſtantino, Byſantium ſe recepit, iterumq; navali pugna victus, demũ noviſſimo ad

Chalcedonem prælio debellatus sequenti anno, qui fuit æræ Christianæ 325. cùm novas res moliretur, peremptus est Thessalonice. Constantinus hostili perfunctus metu, Byzantium instauravit, & ut antiquæ Romæ par esset, sedem Imperii constituit, eam dedicavit 5. Idus Maias anno 330. legemq; tulit lapideæ columnæ incisam, ut nova Roma appellaretur. Varia deinde fuit hujus Imperii facies ad annum Christi 1204. quo diffidentibus inter se Imperatore Isacio Angelo, & Alexio filio, multisq; Regni vices alternantibus, de communi consilio fœderati Principes Latini, capta Constantinopoli primum dixere Imperatorem Balduinum Flandrensem Comitem. Hæc dum Latini agunt in urbe, Theodorus Lascaris à Græcis Imperator creatus, Nicææ in Bithinia sedem constituit, qui Sultanum Turcorum, sua manu peremit, mortuusq; est anno 1222. recuperataq; à Græcis Constantinopolis anno Christi 1261. Verum grassantibus ubiq; Barbaris, aliisq; super accisis Provinciis, demum anno 1453. Constantinopolis octavo anno Constantini octavi, sævæ Turcorum tyrannidi subjecta est; sicq; quod in Occidentis Imperio accidit, ut ab Augusto ceptum, desineret in Augustulo: hoc in Oriente factum est, ut quod in Constantino Magno ceperat, perinde in Constantinello desineret.

CAP. XIII.

Turcici Imperij initia & progressus.

A Scythis, qui Caucasios montes inter Pontum Euxinum & mare Caspium habitabant

orti

orti existimantur hi populi,quos exteri vocarunt Turcos, quod diu obscuri in silvis & montibus ferina victitassent, Turcum enim sive Turcam significare hominem,qui agrestiorem victus rationem sequitur,dicunt viri docti,sequuti Chalcondylem libro primo. Primum cogniti sunt Europæis circa annum Christi 625. quando inde progressi Heraclio imperante, portis Caspiis Persidem populati sunt,& Romanis contra Chosroen auxilio fuerunt. Posteà de Perside cum Saracenis eam occupantibus, magna contentione decertarunt; ac demùm eos inde expulerunt, cùm priùs Mahometicam ab illis superstitionem hausissent circa annum 1042. Inde in Syriam, Cappadociã, & minoris Asiæ Provincias infudere sese, unde septem extitere Principatus, è quibus extinctis reliquis,unius Othomani seu Osmanis posteri rerum potiti sunt,à quo in Turcorum deinde Principibus Othomanorum nomen resedit. Hic animi magnitudine præstans evocatus à Græcorum regulis, ipsos summa vi Græcos adortus, cùm alia plurima oppida,tùm Prusam sedẽ antiquam Regum Bithiniæ ad deditionem coegit, Regniq; sui sedem constituit,anno Christi 1300. ubi etiam mortuus est anno Regni 28. ætatis 69. Christi 1328 & sepultus,multiq; ab eo Sultani etiam post captam Constantinopolim. Othomanus moriens ,cùm liberis careret,Regni habenas tradidit Urchani filio,qui primus ei fuerat à Consiliis: hic Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam,Cariam, cæterasq; ad Hellespontum & Euxinum regiones ditioni subjecit suæ, dum Cantacuze-

nus & Palæologi odiis certabant. Amurathes copias in Europam traduxit, Callipolim, Hadrianopolim, ac circumjectas provincias occupavit Bajazetes ejus filius longè ferocissimus, Mysiam, Bulgariam, Macedoniam, Thessaliam, Atticam Turcicæ ditionis fecit & Constantinopolim pluribus obsedit annis. Amurathes secundus ex Asia transportatis per Hellespontum copiis Thessalonicam cœpit, contra Hungaros movit & Joannem Hunniadem ducem fortissimum & Christianos ann. 1440. Urarnensi prælio profligavit. Fuit eidem cum Scanderbego rege bellicosissimo acre certamen, cujus dum regni caput Crojam obsidet, ex mœrore decessit anno Christi 1451. Muhamedes secundus duo Christianorum Imperia evertit. Primò Constantinopolim obsedit obtinuitq; anno 1458. Maji 29. Feria 3. Deinde Colchidem obtinuit & Trapezuntinum Imperium quod capta à Latinis Constantinopoli Isaacius Comnenus ante annos circiter 250. fundaverat, extinxit abducto Constantinopolim Davide Comneno & ibidem interempto. Ad hæc regna 12. urbes supra 200. expugnasse dicitur. Idem ab Tauruno quam Belgradum vocant Joannis Hunniadis virtute pulsus, Corinthum, Lemnon, Mitylenam, Euboeam Venetis eripuit. Genuensibus Theodosiam, seu Capham, Rhodum frustra tentavit, Hydruntum in Italia cepit: obiit an. 1481. Baiazethes II. Venetis Naupactum, Metonam, Dyrrachium ademit. Selimus Mammalucos, sive Circassos in Ægypto debellavit, eorumq; Sultanum Tommambaisum apud Cairum suspendio necavit anno 1517.

Cap. XIV.
Chorographia Thraciæ.

NEstus amnis *Pangæi* Orbeliæ montis ima ambiens Nicopolim alluit, & ibidem Jatrū fluviolum admittit: ad Mesti ostium fuit Tinda Diomedis equorum stabulis dirum, qui immanibus equis vorandos solitus objectare advenas, iisdem ab Hercule objectus. Est in proximo urbs Abdera quam ejus soror suo nomine appellavit, quæ postea Democritum Physicum tulit: nunc diciturAsperosa. Circa hanc urbem & limitem, qui Diomedis vocatur, equi-pasti Dyctamno inflammantur rabie. Ultra ad ortum Bistonia urbs, & lacus Bistonis, in quem multi fluvioli cadunt, mox fl.Sehœnos & ripæ ejus adjacens Maronia: Deinde Serrium promontorium, ex quo canentem Orpheum secuta narrantur nemora. Hinc mare excipit Hebrum ante Rhombum qui nunc *Marisa*, ortū in Rhodope: initio Jente fluit, urbes alluit Philippopolim ante *a* Trimontium Philippi Cæsaris opus: Hadrianopolim, *Andrinople*, Ænos nunc Traianopolim, Doriscum campum, ubi Xerxes copias suas numeravit. Æneum Græcis *Eno* Turcis *Ignes* oppidum liberum ab Ænæa profugo conditum, de quibus mox iterum dicam: In mare Ægæum è regione Samothraciæ insulæ se exonerans auri ramenta interdum emittit, maximè, cum auctus nivibus fertur concitatius. Secundum eum celebris est via quæ Belgrado ducit Constantinopolim. Ubi enim quis transmisit montem *Dervent*, seu Catenam mundi quæ

Hungariam

Hungariam ſeparat à Romania, is habet neceſſe præterire dextrorſum montem Rhodopen & audito tympanorum ſono, quibus præſidiarii milites periculum indicant, quod à prædonibus imminet, operiri viæ Duces, qui per eas montium anguſtias nulla mercede ſolent hîc attribui peregrinis verſus Poneropolim, quę fuit poſtea à conditore dicta Philippopolis, & nunc à ſitu Termontium oppidum nudum mœnibus Archiepiſcopalis dignitate celebre Chriſtianis perinde, & Turcis cultum. Hinc itur Adrianopolim urbem quæ in Imperio Turcico ſecundas tenet, opus Adriani Imperatoris, amplificatum ab Amurate, qui ex Burſia huc tranſtulit Imperii ſedem, donec expugnata eſt Conſtantinopolis. Ad collem quem urbs occupat miſcentur Hebro Tunza & Harda antiquis Bargus & Hemus. Iſtinc præterea ad celebrem vicum Capſa, & relicto Hebro recta pergunt Conſtantinopolim per Bergulas nunc *Berga ſe*, ubi Noſocomium dives à Muſtafa Baſſa fundatum. Indeque ad Chiurli, ſeu Tzurulim, ubi à parente Baiazete victus olim Selinus. Mox ad *Seliure*. Ad Pontes tandemq; Conſtantinopolim. A Doriſco incipit Herboſa planicies 120. millia hominum continere apta, ubi Xerxes copias ſuas, quia numero non poterat ſpatio menſus eſt. Ultra ſecundum maris oram progredienti objicitur oſtium fluvii Melas, ſeu Melani qui Xerxis copiis non ſuffecit à quo Melas ſinus, ſeu Niger & Cardianus, hodie *Lariſſa* nunc *Golphe d'Eno*: habes poſtea Cherſoneſum Thracicam, in qua fuerunt multa ſilentio non involvenda. Fuit in Iſthmo

in Isthmo urbs Lysimachia, sua & multorum clade celebris, Macron aliquando dicta. Hexamilũ, seu Murum longum sex mille passus quem Miltiades à Propontide, ad Melianum sinum duxit quo hanc Chersonesum à reliqua separaret Thracia. Fuit Cælos Lacedæmoniæ classis excidio signatus; fuit Cynossema, seu tumulus Helenæ in canem mutatæ & lapidibus obrutæ à Græcis, ob convicia: fuit Esseus ad caput Mastusum Ægæi maris & Hellesponti terminus. Bina jecinora leporibus inesse in hac Chersoneso, & alio translatis, unum interire refert Plin. l. 11. c. 37.

Cap. XV.

Hellespontus.

CEleberrimo huic freto quod Ægæum mare à Propontide, Asiamq; ab Europa dirimit, nomen dedit Helle puella in eo submersa. Est hic Abydo objacens Sestos Leandri amore pernobilis, nec non ponte gemino quibus sterni fretum imperavit Xerxes Persarum Rex: quorum uno vi pelagi disjuncto, ibidem trecenta Helesponto infligi verbera mandavit, compedesq; in imum vadum injici servitium Neptuno indicens: altero 664. triremibus fulto & anchoris firmato, nec non rudentibus ponderis 60. librarum in singulos cubitos exercitum traduxit, cui nullum vidit Europa æqualem. Dardanelli utrumq; dicitur castellum quibus muniuntur, hujus Euripi angustiæ, quæ nunc passus vix habent quingentos supra mille. Sestos situm est in Europæ litore, in clivo colliculi qui castello Trigono imminet; nullæ

nullæ naves ad illud appellunt quod ſtatio ſit inſida. Abydos eſt in Aſia tetragonæ figuræ, cinctum foſſa ſex pedes alta. In ſingulis caſtellis 40. tormenta ad ipſam aquæ ſuperficiem ita ſunt diſpoſita, ut oppoſitæ munitioni nullo modo obſint. Sunt præterea Baſiliſci duo quorum gravitas globi eſt lib. 1100. pulveris verò 175. lib. horum cura paucis, ſed veteranis eſt conceſſa militibus, qui præter ſtipendia quibus ab Imperatore donantur centum aureos à ſingulis Chriſtianorum navibus accipiunt quæ Conſtantinopolim quidem commeant liberrimè, modò non ſint plures quam 5. dum verò redeunt, tenentur Abydos per tres dies commorari; ut ſi urbe diſceſſerint hoſpite inſalutato, hîc detentæ præſto ſint, & in promptu adhuc in anchoris: die tertia, qui præeſt, mittit aliquos qui videant num fugitiva ſint mancipia, num furtivæ merces. Porrò milites duo in ſingulis caſtellis diu noctuq; excubitum faciunt, duo ſunt præterea Baliſtarii in procinctu, qui ſigno ab excubiis dato, laxis foribus, qui cameris in quibus diſpoſita ſunt tormenta, prætenduntur, ignem nitriato pulveri admovent, & inſertos ore patente ferreos globos catenasq; & alia obturamenta, fulminum inſtar, flammis eluctantibus horrendo fragore contorquentes, nullam non navim deprimant, ſi quæ fugam tentat. Reperitur in hoc freto piſcis Xiphias dictus cujus è roſtro, cuſpis eminet quaſi enſis, quo alios piſces conficit.

Porrigitur inde Euripus per 30. m. p. ad Callipolim opus Caligulæ ſitum in colle ex quo

gratiſſi-

gratiſſimus aſpectus in Propontidem,quo nomine intelligitur totum illud mare quod ab Helleſponti anguſtiis explicat ſe laxius ad Boſporum Thracicum,ubi iterum coït, & ſtringitur. Europæum litus illuſtrarunt Periſtaſi, ubi adhuc Eccleſia D. Georgio ſacra, unde Propontidi nomen Brachium S. Georgii, quanquam uſitatius dicatur Marmora à marmoribus eximiis,quæ ab inſula Cyzico in urbem transferuntur, & in qua urbs mœnibus, arce, & turribus marmoreis cum primis Aſiæ urbibus comparanda.Heraclea Amphitheatro olim celebris, quod inter 7. orbis miracula connumeratum eſt, nunc ſola ſtatione carinis fida.Eſt & macron Teichon, ubi veſtigia Alvei & Muri quem Anaſtaſius voluit ducere à Danubio in Propontidem, ut Barbarorum incurſiones ſiſteret. Ad Selymbriam *Selieuree*, ex Bulgaria, Andrianopoli, & Thracia, advehuntur merces omnis generis quæ hinc navigiis evehuntur Conſtantinopolim. Poſtea devenitur ad duos pontes ſublicios ad quorum primum Legati exterorum Principum ſubſiſtere usque jubentur, dum adveniſſe eos Imperator noverit. Porrò hoc mari nullum eſt magis piſcoſum quod ex ipſo Oceano & mari Mediterraneo huc ſe piſces conferant illecti aquis dulcibus quas ingentia flumina in pontum emittunt, indeq; redeunt ut hyemem exigant in Oceani profundioris tepore. Ipſa verò Aſiæ litora dum ſua luce& rupibus candidis quę ſunt ad Calcedonem &Scutaretũ Pelamides territant,eosdẽ convertunt in cornuByſantii,& coguntConſtantino-

polcos

nopoleos litus & muros legere, & sese quodammodo incolis offerre ultro. Si ventus spiret à Septentrione summâ feruntur pernicitate, ipsæque naves, sine remis duas amplius leucas promoventur una hora. Et certè ex fenestris urbis, calathis ex corda appensis mulieres piscantur, hamisque piscatores sine esca Pelamides capiunt, quæ magni parti Asiæ & Europæ sufficiunt.

CAP. XVI.

Constantinopolis.

AIunt Apollinem à Byse Megarensium classis præfecto consultum de loco condendæ urbis, respondisse, ut quæreret terram cæcorum terris adversam: Bysemq; observata Bospori Thracici opportunitate ambages oraculi interpretatum de Calcedonensibus, qui quasi fuissent capiti oculis, Europæi litoris situm & commoda longè maxima non vidissent. Itaq; urbem Bysantium hîc statuisse ex adverso Calcedonis, & de suo nomine appellasse. Et verò in hanc diem nullus in orbe repertus est locus, ex quo & in quem quæcunq; rara, grata, utilia per orbem sunt dispersa, possint traduci facilius & colligi, propter amplissimos sinus maris, qui hîc confluunt, & maxima flumina, quę in eos ex remotissimis partibus Europæ, Asiæ, & Africæ evolvuntur: propter stationem navium amplissimam, altissimam & maxime tutam, propter aëris serenitatem, nec ingratam soli ubertatē: quod unum maximè hîc demiror, non urbis trigonæ amplitudinē licet ejus longitudo sit pedum 14075. latitudo 1500.
centum

centum & undecim colligat stadia in suo ambitu & colles septem amplectatur: non muri crassi, atque turriti excelsitatem, & juncturas adeo tenues, ut ex uno perpetuoq; lapide visi sint coaluisse. Non hipodromi amplitudinem & marmora, non S. Sophiæ *Asarota*, & musivum opus, quorum omnium ruinas, qui vident, mirantur eos & qui construxerunt, & qui deleverunt: non 7. turres ad sinum cornu appellatum hac arte ædificatas, ut si quis vocem in prima emittat, eandem omnes fideliter repetant. Non Bibliothecam, quæ continebat triginta tria millia voluminum, & intestinū draconis 120. pedes longum, in quo erant descripta Homeri Ilias & Odyssea literis aureis, & viri duodecim, qui gratis docebant. Hæc, inquam, non demiror, dum apud me reputo à trecentis annis supra mille. maris fuisse dominam, commune totius orbis Emporium & potentissimorum imperiorum Metropolim, nec deesse bene multas, cùm in Europa, tum in Asia quæ & amplitudine, & ædificiorum splendore & civium multitudine hanc superent; nullam verò quæ in suo situ cum hac de qua nunc agimus, sit componenda. In hoc unum mentis aciem intendebant Athenienses & Lacedæmonii cum totis viribus ad Hellespontum de maris Imperio decretarunt. In hoc Severus Imperator quando Bysantium, quæ in fide Nigri, qui tyrannidem orbis affectabat, perstantem triennali obsidione expugnavit, in hoc Constantinus, qui à fundamentis Bysantium instauravit, spoliis totius orbis locupletavit, transscripta Senatus & nobilitatis maxima

maxima parte ſedem Imperii conſtituit & edicto ſancivit, ut nova Roma diceretur, non invitus tamen permiſit, ut de ſuo nomine Conſtantinopolis appellaretur. Huc ſpectabat Turcus Bajazetes cum eam urbem plurimis annis obſedit & Muhammedes ſecundus, qui eam tandem obtinuit anno Chriſti 1453. & ſibi ſuisq; in ea regnum firmavit in hanc diem: & vero aiunt quod cum Imperator Conſtantinus ſtatuiſſet Ilium reparare inſtrumenta fabrorum Byzantium translata: & cum ipſe urbis pomœrium aratro ſignaret, viſum eſſe ignotum aliquem qui moneret quousq; procederet. Sed tempus eſt, & per alveum Conſtantinopoleos, ſeu nigri maris, ut vocant, tranſmittamus in Pontum.

Cap. XVII.

Boſporus Thraciæ, cum reliquo litore Thraciæ ad oſtium Iſtri.

FLexuoſa hujus alvei longitudo eſt mil. 20. oris latitudo vix quingentorum paſſuum: unde nec vocis humanæ commercium inter duos orbes adimit, cumq; ipſos boves ſola aquæ rapiditas prohibeat à tranſitu, propterea is locus ab antiquis dictus eſt Thraciæ Boſporus. Hunc Mandrocles Samius cum ſtraviſſet ponte, corona aurea donatus eſt à Dario, qui Suſis movens, quando pervenit Calcedonem, conſcenſa návi trajecit ad Cyaneas inſulas, ut inde frueretur aſpectu ſui exercitus, qui millibus conſtabat octingentis, dum ex Aſia hoc ponte tranſmittebat

in Eu-

in Europam leucis duabus supra Constantinopolim, ubi maximè coëunt litora, duo sunt Castella (turres dicunt nigri maris) bellicis tormentis probè munita quibus arcentur Cosaqui, ne suis vecti limbis ipsam deprædentur urbem. In Europæa turri mandantur custodiæ ii quorum fides Imperatori suspecta, maximè vero Equites Melitæ.

In ostio ponti Phanarion eminet, nocturnis ignibus turris deputata. Duobus ab ea millibus stat in vertice rupis desertæ columna è candido marmore, monimentum victoriæ quam Pompejus tulit de Mitridate. Tota ab Hellesponto longitudo ad columnam Pompeji est 239. mill. pass. Ab eadem columna ad ostium Istri, seu Danubii. 555. mil. pass. quod spatium occupat alterum latus Thraciæ in quo antiqui notant pulcherrimas urbes Dionysiopolim, Bizontem terræ hiatu raptam, Apolloniam ex qua Lucullus colossum Apollinis sublatum in Capitolio dedicavit. Heracleam, Tomos, Istropolim Milesiorum coloniam. Intus verò Geraniam, ubi Pygmæorum gens fuisse proditur à Gruibus fugata. Byzia item arx regum Thraciæ ad quam nullæ unquam hirundines apparent, quæ omnia in præsentiarum nuda sunt tantum nomina. Celebratur duntaxat in hac ora urbs Anchiali (olim Messa) propter naves & triremes classis Turcicæ, quæ ut plurimum hìc ædificantur ex trabibus quæ per pontum advehuntur magna copia ex urbe Sinople, ipsi penè opposita ad Orientem Euxini.



GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

LIBER UNDECIMUS.

DANUBIUS.

Caput I.

Danubius ingentis famæ fluvius, Orbis antiqui post Nilum maximus, nobile caput exerit secundùm antiquos, in Germaniæ jugis montis Abnobæ, qui Rauracos spectat in confiniis & limitibus Rhæticis, multis ultra Alpes millibus: secundùm verò rei veritatem in colle vix cubitos 16. eminente in humo plana, è fonte perenni, lato pedes duos, qui muro clauditur longo pedes 26. lato 18. cui imminet sepulchralis area Christianorum, ab omni monte unius horæ itinere remota in vico *Don-Eschingen* in Ducatu Wirtembergensi. Per immensas labitur gentes Danubii nomine, donec ad Illyrium perveniat, unde postea appellatur Ister à Plinio. Presius Strabo locum designat, scilicet à fonte à Cataractas, quæ sunt infra Lintzium. Ptolemæus etiam ulteriùs extendit Danubii nomen, videlicet ad Axiopolim inferioris Moësiæ urbem. Vulgus appellat hunc fluvium *Donavv*. Provincias decurrit à Romanis dictas, Vindeliciam,

Noricum,

Noricũ, Pannonias & Moësias, quas nũc vocam' Sueviam, Bavariam, Auſtriam, Hungariam, Serviam, Bulgariam, Walachiam & Moldaviam. Sexaginta amnes recipit, quorum medius fermè numerus navigabilis. Pontibus ſternitur uno & viginti à fonte ad Viennam. Infra, duobus tantùm. Gleba utriuſque ripæ horridior & crebris ſalebris interrupta, nullum, aut valdè auſterum producit vinum uſque ad Auſtriam, hinc verò ad ipſa penè oſtia longè optimum. E nigra ſylva, quæ fontibus imminet rates procerarum arborum deducuntur in Bavariam & Auſtriam ad ædificandas domos. Romani Danubii ripam Imperii ſui limitem frequentibus firmatam præſidiis tenuerunt ad annos circiter 500. à Chriſto nato, licet ſpatium omne, quod eſt medium inter Danubium & lineam quodammodò æqualiter ipſi diſtantem ſecundùm quam extenduntur montes Illyrii, Pannonii & Thracici ab Adria ad pontum uſque pertinentes, jam ab anno Domini 300. Alemanni, Marcomanni & Quadi ſenſim occuparint, & in hanc uſque diem variis ſubinde mutatis appellationibus retinuerint. In pontum vaſtis ſex fluminibus evolvitur. Primum & omnium maximè Meridianum eſt oſtium Peuces. Mox ipsâ Peuce inſula triquetra Rhodo æqualis, ſic dicta quod multas peucas, hoc eſt, latas & virides arbores ferat. Secundùm Naracu ſtoma: Tertium Colon ſtoma juxta inſulam Sarmaticam. Quartum Pſeudo-ſtoma & inſula Conopon. Poſtea Boreon ſtoma, & Pſilonſtoma, quæ ſunt languidiora cæteris: Septimum ad-

dunt Strabo, Solinus & Ammianus ingens quidem, sed palustri specie pigrum. Porrò tantam dulcis aquæ copiam in mare invehunt, ut per quadraginta passuum millia maris aqua haustu dulcis percipiatur, maximè è regione ostii Peuces, quod Strabo vocat *hieron*, hoc est, sacrum, quæ vox sæpè etiam magnitudinem sonat.

a *Strabo l.7.p.*305. b *Plin.l.4.c.*12. *Solin.*13. *Ammian.l.*22.*Munsterus l.*3. c *Strabo c.*7.

Cap. II.

Vindelicia, Alemannia, Suevia. Vallis Danubiana.

VIndeliciæ nomen à Vindelica, oppido gentis antiquissimo, ad confluentes Vindum & Licum sito. Termini *a* Brigantinus lacus, Danubius à fonte ad ostium Oeni, Oenus & Alpes. Romani secundæ Rhætię eam attribuerunt. Porrò cum languere inciperent Romanę res in Rhętia, è Boiis Marcomannis & Suevis convenit solers hominum genus ad belli pacisque munia eximium, qui bello fortiter gesto adversus Constantinum & Julianum Imperatores, Rhætiam & Sequanos obtinuerunt, Romanisque ultra Alpes fugatis eam regionem, quam nunc Suevi & superiores Germani incolunt, obtinuerunt; & Alemannorum, hoc est, fortium & nobilium hominum nomen sibi posterisque tam præclaris facinoribus pepererunt. Hinc Alemanniæ Ducatus, Sueviæ dictus postea à Suevis, qui in Italiam, Galliam & Hispaniam magnâ cum sævitiâ irruerunt,

ruerunt, quorum reliquiæ Danubii & Necari superiora occupant, & exteriora Vindeliciæ montana, qui suis etiam paruerunt aliquando Regibus, quibus in Conradino extinctis anno 1268. regnum in plures dynastias sic divulsum est, ut jam nullus sit princeps, qui ejus titulo ornetur. Domus antiquorum Sueviæ Principum fuisse perhibetur Weiblingæ, ubi arx pervetusta, sita ad amnem Rems 48. 41. qui influit in Necarum. Suevos vocat Plutarchus gentem præstantissimam Germanorum, licet Strabo dicat quosdam eorum petulantissimos. Mercaturæ nunc vacant, maximè lini, cui adeò incumbunt, ut ipsi adolescentes & viri hyemis tempore colo admoveantur. Panni genus dictum *Barchat*, cujus stamen lineum est, intextum bombycinum, hic texitur; faciunt & totum lineum, quod *Golsch* appellant, terra partim plana, partim montibus aspera, nusquam inculta.

Regio patens per 100. circiter minuta à fonte Danubii ad Ulmam, quæ propriè nomen Vallis Danubianæ usurpat, nullâ re eget, quæ sit necessaria ad victum, numerat 20. oppida, sive castella Danubio apposita, quorum præcipua Eschingen ad ipsum fontem Danubii Wartemberg & Nydingen, quæ tria pertinent ad Comites, quibus agnomen à Furstemberg oppido cū castro, quod situm est in monte, qui duobus tantum minutis versus austrum distat Monasterio Nydingē in Landgraviatu Borensi. Habes postea Tutlingen oppidum & arcē Principum Wirtebergensium; Marcktal 48. Monasterium ordinis

Præmonſtratenſis, ubi maximi cancri reperiuntur, & civitatem Ehingen: poſt quæ ſequitur Ulma, quondam Abbatis majoris Augiæ, nunc Imperii villa, ſita in lat. 48. 20. in terra plena uligine & apta ulmetis ac ripam Danubii, qui admiſſis Hylero & Blavo amnibus, hinc redditur navigabilis. Culta urbs eſt frequens civibus, & craſſo vallata aggere, ſed cui rupes imminens non parùm incommodat. Hylerus aliis Ilargus. vern. *Iler*, ortus in Rhetia Tiberii & Druſi victoriis adverſus Vindelicos nobilis alluit. Campidonum, vernac. *Kempten* 47. 25. oppidum Imperiale in Algoia regione Montoſa ſitum, in quo caſtellum Hillermont dictum quondam ſedes Ducum Sueviæ, nunc Abbatis, qui anno 1525. pecuniâ ſe in libertatem vindicavit.

Eidem apponitur Memminga Ptolemęo Druſomagum 47. 52. pagus veteris Alemanniæ, nunc Suevię urbs Imperialis, cujus cives Lineo & Goſſypino panno texendo aluntur. Infra Ulmam ſecundùm Danubium ſunt Elchingen, cujus Abbas Princeps eſt Imperii. Lipheim oppidum Ulmenſium. Lavinga 48. 32. oppidum & caſtrum Principum Bavariæ ſcholis olim & Republicâ illuſtris, Alberti Magni patria. Dilinga oppidum & caſtrum Epiſcopi Auguſtani. Werda ex caſis piſcatoriis & oppido commodo, quod ad Dilingæ, vel Kiburgi Comites pertinebat, crevit in civitatem Imperialem, ſitam ubi Bernicus, ſeu Wernicus & Danubius confluunt, unde ipſi nomen Donaverd. Bavarus ex mandato Cæſaris ulturus injuriam SS. Sacramento illatam, eam occupavit.

Mox

Mox Danubius augetur non mediocriter, excepto Licho, vern. *Lech*, qui Sueviam ſeparat à Bavaria ſuperiore, & urbes alluit Landsbergam & Vindelicam ab Auguſto Cæſare, cujus auſpiciis victa & aucta fuit, Auguſtam dictam, Rhætiæ 2. quæ Danubio Lico, Alpibus & Oeno continebatur, Metropolim, vulgò Ausbourg 48.18. emporio nobilem, Bibliothecâ percelebrem, & quæ pauperum curam unicè gerit.

a *Strab. l. 4. p. 206.* b *Blondus Dec. 2. l. 2.*

CAP. III.

Baioaria.

A Boiis Gallis, qui Vindelicam & Noricum occuparunt, ducunt originem Baioarii, qui poſtea dicti ſunt Bavari ab Avaribus Hunnorum reliquiis, qui utramque Danubii ripam obtinuerunt. A Suevis Licus eos ſeparat, Oenus ab Auſtriis. Plures numerarunt Reges. Rex Francorum Clotarius II. devicto Garibando Rege, Ducem eis conſtituit Taſſilonem, anno 589. Iterumq; Ludovicus Pius in partitione Imperii ſui, Ludovicum filium Baioariæ Regem dixit, cujus poſteri tenuerunt ſceptra, ad Arnulphum, qui Imperator creatus anno 896. periit morbo pediculari, anno 899. Regibus ſucceſſere Duces & Palatini. Plaga borealis, quam dicunt Nortgoviam à Danubio excurrit verſus Bohemiam, ſecundùm amnes Regnitium & Altimulam; ubique Silvoſa. Hujus Princeps quia fuit è Baioariorum Ducum familia, vulgò

Pfaltz-Grave, id est, Palatii Imperialis Princeps, dictus est, qui & Landgraviatum Liechtemberg ibidem constitutum possedit. Ducatus versus Austrum extenditur, occiduam partem Licho & Isaro comprehensam vocant superiorem, Orivam inter Isarum & Oenum inferiorem, utraque Alpibus subjecta est, crebris paludibus, montibus & Herciniæ sylvæ impedita partibus, ubi cervorum & suum infiniti greges, qui glande & sylvestribus pomis aluntur. Abundat & frumento circa Monachium, nec ulla Germaniæ pars cultoribus urbibus illustratur. Gens ocreis delectatur & vestitu Cyaneo.

Minutis circiter 13. ab ostio Lichi habes Neoburgum caput ducatus cognominis: urbs eminet in colle amplissimis oneribus cincta. Hujus idem Dux est, qui & Cliviæ. Sequitur Ingolstadium urbs sita in gr. 48. 45. in Palatinatu Bavariæ solo grato, & ubere, munita vallo ex cespite, illustris academia & frequens ædificiis, ab invicem ut plurimùm disjunctis propter incendia, unde & vasa ænea passim disposita in compitis, quibus aquæ in quamcumque volueris partem, derivantur. In altera ripa situm est Avensburgum. Succedunt montes, quos propter austeritatem acetiferos quis melius dixerit quàm viniferos, juxta Kelchemium siti, ad ostium Alemanni fluvii, qui apud Rysios in Suevia, oritur juxta Rotembourg, alluit Papenhemium aliaque Palatinatus loca non pauca. communiter nunc dicitur Altimola vel Altmum, hicque ille est, inter quem & Radiantiam amnem dictum Rott,

qui

qui mixtus Mœno abit in Rhenum, Magnus Carolus Imperator anno 793. curavit per duo passuum millia duci alveum trecentos pedes latum, ut ex Rheno in Danubium, & ex Ponto in Oceanum iter esset navibus pervium, quod & perfecisset, nisi bella tunc nunciata, ejus curas aliò traduxissent, & juges pluviæ in terra palustri incœptum opus evertissent, cujus ad Veissemburgense oppidum 46. ad hanc diem extant vestigia. Hinc cogitur Danubius inter duos montes altissimos, quorum solitudo & crebri fontes gratissimum Anachoretis præbent secessum. Sese postmodum effundunt per eandem ripam Labor, Nabus & Regnitius amnes, qui ex montibus Palatinatus innumeros excipiunt rivos, omnes fabricis ferri impeditos. Præcipuus est Nabus, qui ex Pinifero monte ortus labitur per regionem, quæ turget mineris ferri, maximè inter Sultzbachium & Ambergam 49.21. quę caput est Palatinatus, à qua versus occasum minutis 8. distat Monasterium Castel, in quo aulici generis universum corpus suos apud Principem conventus habuerunt sæpius ab eadem, sed versus ortum minutis 11. ad Nabum in Landgraviatu Liecthtemberg distat Pfreimbt 49. 25. Comitum sedes. Regensburgum 49. Baioariorum aliquando Regia, sita loco plano & fertili, ad ostiū Regnitii, dicta olim Colonia quartanorum, quod legio 4 Italica in ea stationem haberet, posteaque Ratisbona à Ratibus, quib⁹ cives utebantur, priusquam Henricus Bavarię Dux pontem anno 1135 ad eam posuisset 500. passus longum, spe-

ctandi sanè operis. Celebris est propter Comitia Imperii hîc frequenter habita, propter insulam hortis cultam & domibus. Nec non magistratus peculiares tutelæ pupillorum destinatos, corpore S. Dionysii Areopagitæ, quod ajunt, quiescere hîc in æde D. Emerami, vide Apologias à multis in eam rem scriptas.

Deinceps sita est ad Danubium Straubinga. Ultra progredienti occurrit ostium Isaræ amnis, vern. *Iser*, quem Antoninus vocat Isiniscum, ab Isini oppido Vindeliciæ, nunc pago inferioris Bavariæ ad Isaram fluvium, qui ex saltu Schiraito Alpium Penninarum gremio ortus superiorem Bavariam separat ab inferiore. Præcipuas urbes rigat, Monachium, vern. *München*, 48. urbem sic dictam, ut volunt aliqui, à capite Monachi reperto, dum urbis fundamenta poneret anno 1462. Henricus Bavariæ Dux. Sita est in agro vix alterius rei feraci quàm frumenti, in ea Principis sedes, Palatium, Templa, Monasteria, Bibliotheca, Horti, nihil non singulare, familiarum circiter octodecim millia complectitur. Est & eidem amni apposita Frisinga Episcopalis civitas. Est & Landshutum.

Statim ab ostio Isaræ incipit Cathena montium hinc inde dispositorum, inter quos medius labitur Danubius ad Patavium, vern. *Passau*, 48. 28. quæ urbs non una, sed triplex ad ostia Æni & Nigri cincta altis montibus penè tota ex ligno. Dux Udilo hîc fundasse dicitur Episcopatum, posteaquam incendio periit Laureacum. Episcopus Princeps Imperii urbisque Dominus castellum

ſtellum habet ſitum in rupe urbi proxima. Veriſimile juxta Patavium caſtra olim Romanos habuiſſe, dicta Batava.

Cap. IV.

Ænus, Tyrolenſis Comitatus, & Saliſburgenſis Epiſcopatus.

ÆNus, vern. *In*, è Rhætiæ 1. Alpibus delapſus, Comitatum Europæ maximum, ab arce Tyrol appoſita fl. Atheſi in lat. 46. 34. dictũ perlabitur, cujuſque præcipuam urbem rigat, Ænipontum, vern. *Inſpruck* 47. ſuorum olim Comitum, nunc Archiducum Auſtriæ ſedem, ubi Senatus & prætoria domus ſanè magnifica: hinc & ſi montium anfractib⁹ variè tortus navigabilis, oppidum perlabitur Svvatz, aliaque loca, in quibus aliquot hominum millia operam ponunt in eruendo, ære, argento, auro, & ſale è fodinis, quæ hîc ſunt ditiſſimæ. Præcipuę hujus Comitatus urbes aliæ ſunt Tridentum & Brixia, de quibus in Atheſi. Porrò Ænus poſt emenſam vallem Æninã ſubit Bavariam, urbemque ejus Oſterhofum rigat; amnes excipit plures è Norico venientes, & Vindeliciam ſeparans à Norico influit in Danubium cum vehementi undarum impetu. Inter præcipuos amnes, qui miſcentur Æno, eſt Saltzach, ſecundùm quem Julius Cæſar caſtrum poſuit, Juvanium dictum, nunc Salisburgum, quæ Metropolis eſt Bavariæ, ad eam evecta dignitatem anno 821. Epiſcopis præeſt Patavienſi, Viennenſi, Brixienſi, Tridenti-

no & aliis quinque. In ea visitur sepulchrum Philippi Theophrasti cognomento Paracelsi, qui primus autor fuit Medicinæ spagiriticæ, qui obiit anno 1541. Ad meridiem habes Alpes, quas Albin vocant incolæ, & circumposita Tauri juga, quæ ipsi dicunt *Thaurn*, per quæ nullus est locus curribus, sed clitellariis tantùm quibusdam caballis, qui per calles præruptos non sine magno gradiuntur periculo. Hîc nives æternæ, in quibus sol vermiculos producit. Frequens aucupium & ferarum venatio.

CAP. V.

Noricum Ripense & Mediterraneum.

SIc dictum volunt aliqui à civitate Noreia, quæ nunc Goritia, sita ad amnem Lizonzo in lat. 45. 55. supra Aquileiam minutis 10. Ultra Danubii ripas, cùm borealem tum Australem longè lateque olim patuit, ipsique aliquando præfuerunt Reges teste Cæsare, *a* qui ait Ariovistum Germanorum Regem, uxorem habuisse Noricā, Regis Vocionis sororem. Duplex fuit Romanorum ævo: Ripense unum, Mediterraneum aliud. Ripense extendebatur ab Æno fl. ad montem Cetium, ubi urbes præcipuę Longium *Lintz*: Lauriacum *Lorch*: Arlape *Pechlarn.* Mediterraneum verò secundùm Saltzam, ubi Juvanium, nunc Saltzeburgum: Secundùm Dravum, ubi Julium Carnicum *Willars*, & Savum, ubi Celeiæ *Cilley*. Utrumque Noricum sicut & Panno-

niæ

niæ Vicario Illyrici parebant. Poſt deſertum verò à Romanis hunc limitem Marcomanni & Quadi eas partes ita vaſtarunt, ut antiquorum oppidorum vix ulla extent monimenta. Certum partem Bavariæ & Auſtriæ, Stiriam, Carintiam, Carnorum tractum, quem Sclavini jam poſſident, & omnem agrum Salisburgenſem in veteri Norico contineri. Porrò mons Cetius Norici Ripenſis terminus & initium Panoniæ ab alpibus recta in Septentriones porrectus. Paulò ſupra Viennam deſinit dictus ab accolis mons Calvus: juga habet non admodum alta propè Danubium; imò qua ortum ſpectat, in plana demittitur, & longiſſimo tractu vinetis amœniſſimis conſitus eſt: ſummum jugum & latus occiduum denſæ ſylvæ occupant. Circa annum 464. cùm S. Severinus ſuam in monte Cetio poſuiſſet cellulam Heluros, qui Norico & Pannoniis imperabant, ad fidem convertit *b* & Regi perſuaſit, ut intra Fabianam Metropolim, nunc Vienna, duas Baſilicas à fundamentis excitaret.

a *De bello Gal. l.* 1 *ſub finem.* b *Ex hiſtor. S. Severini.*

CAP. VI.

Pannonia.

NOmen habet à pannis conſutis more patrio, ex quibus Dio teſtatur, indigenas ſibi feciſſe tunicas manuleatas. Duplex fuit, ſuperior, quæ à monte Cetio extendebatur ad Arrabonẽ amnem ſecũdùm Danubii ripam, à qua & Ripẽ-

ſis dicta,quæ nunc Auſtria,quę etiam Carinthiã, Carniolam & Stiriam complectebatur. Et inferior, quæ ab Arrabone ad oſtia Savi extenditur; cujus pars inter Danubium & Dravum poſita, dicta eſt aliquando Valeria, de nomine filiæ Diocletiani. Quæ verò à Dravo ad Alpes excurrit, & quam ſecat mediam amnis Savus, Savia. Romani, qui Pannoniorum fortitudinem experti fuerant, feroces appellarunt, & dixerunt eos neque terram, nec aërem felicem habere, majorem hîc anni partem deſævire hyemem, indigenas hordeo, & milio victitaſſe, & glandiferam eſſe regionem: ut ut ſit, ſemper eos reformidarunt Romani, intactique ad Auguſti tempora, & liberi perſtiterunt. Certè regionem & cultiſſimam eſſe, & maximè uberem nemo poteſt inficiari,qui eam viderit; incolas verò fortes, literarum amantes & laboris patientes omnes prædicant. Non alibi ab Romanis frequentiora præſidia amni Iſtro impoſita,nec plures in ſtativis milites, quod videlicet humilia ſint hîc Alpium juga, eaque potuiſſent facile Daci tranſmittere, ſi in his regionibus ſedem poſuiſſent. Devictis vero Romanis colluvies barbarorum amœnas montium convalles, & loca metallis, croco, vinoque fœcunda inſederunt, maximè Heluri, deinde Avares & Longobardi, his autem à Narſete invitatis in Italiam, Pannonias & Noricum obtinuerunt ſoli Avares, quos D. Rupertus per Giſalaricum diſcipulum ſuum, ad fidem Chriſti convertit circa annum Chriſti 636., & Epiſcopatum apud Fabianam, jam ante ducentos

centos propè annos à S.Severino fundamentum renovavit. Poſt hæc Carolus Magnus Francorum Rex factus Imperator, celebres quondam apud Romanos Rheni & Danubii limites reſtituit, collapſam in iis partibus religionem inſtauravit, pulſis Avaribus Pannonias Teutonicis gentibus colendas tradidit, conſtitutis aliquot coloniis, quarum præcipua fuit tunc Fabiana, ubi & D.Petro Baſilicam poſuit. Regni Auſtraſiæ limitem Ortivum conſtituit, Marcam amnem & has partes dixit Marcam Orientalem, ſeu *Oſtenreick*, à qua Auſtriæ nomen deducunt viri docti. Huic præfuerunt Marchiones à tempore Friderici Imperatoris, qui ex Marchia Orientali Ducatum fecit, in cujus poſſeſſionem Henricum induxit. Poſtea Rodolphus Comes, natus ex patre Alberto Comite Habſpurgenſi, Landgravio Alſatiæ, atque Vexillifero Argentinenſi, matre autem Comitiſſa Kyburgenſi, factus Romanorum Rex, filium Albertum primò adminiſtratorem Auſtriæ mox Ducem conſtituit, à quo recta linea prognati, qui in hanc diem ſunt, & dicuntur Duces Auſtriæ. Paulus Diaconus hiſt. Longob. lib. 2. c. 8. ait, Biſontes in Pannonia reperiri magnitudinis tantæ, ut in unius pelle cubare poſſint homines 15.

CAP. VII.

Archiducatus Auſtriæ. Anaſus fl.

MIrum quantum Auſtriaca domus nuptiarum fœderibus, crevit in eam poten-

tiam, quâ divino nutu meritoque gloriatur. Hoc advertens Fridericus III. Imperator, & apud se reputans, quomodo majores, Comitatus Sunggoiæ & Tyrolis, Marchionatum Stiriæ, Ducatum Carinthiæ, Regna Hungariæ & Bohemiæ, & novissimè Belgium Maximilianus filius, in unam quasi massam coegerant, & Austriorum familiæ inseruerant: quo Philippum Maximiliani filium Hispaniæ affinitati idoneum præstaret, cum titulo Archiducis Austriæ auxit *a* anno reparatæ salutis 1488 sive ut significaret inter filios Ducis, qui omnes in Germania appellantur Duces, *b* Primogenitum debere dici Archiducē; sive quod sentiret Archiduces Austriæ, quibusvis Ducibus aliis præferendos.

Patet nunc secundùm Danubiū, ab ostio Æni, ad ostium Marchæ & Maranahæ, per minuta 163. latitudo ejus duplo minor, tamen minutis 12. infra ostium Æni rupes est aquis affusa, quam Navicularii dicunt Bavariæ & Austriæ terminum. 20. minutis ab ea montes dilatant sese in planiciem, in qua Danubius explicat se duodecies latior quàm esset prius, obtinetque circiter ter mille passus, sed post 15. m. iterùm cogitur montium lateribus ad Longium seu Lentias, vernac. *Lyntz*, quondam Norici Ripensis, nunc Austriæ oppidum mediocre cinctum muro tenui in plano, quod montes ambiunt. Armamentarium Principes Austriæ posuerunt, Rodolphus Imperator castellum in tumulo. Hinc evolvitur Danubius per varias insulas, vixque postea in unum redit alveum, frequenter latus 4. mill. pass. &

quia

quia non rarò mutat alveum, propterea diffici-
lior est ejus navigatio, quod sub aquis multæ sint
arbores, quas profluens aqua nedum potuit re-
vellere. Lintzio 12. mil. absunt rupes *Spilberg*, in
quas aquæ vix 5. pedibus extantes dum offen-
dunt, magnis voluminibus resiliunt ad multum
spatium. Post tria minuta Danubius excipit A-
nasum seu Anisum, vern. *Ens*. Oritur haud pro-
cul à castello *Kalstad*, in lat. 47. 39. in profun-
dæ vallis planicie, primò tenuis, mox utrimque
illabentibus rivis auctus, asperrimis montium
angustiis premitur, donec longis sonorisque fle-
xibus eluctatus, Norici Ripensis cāpestria ingre-
ditur, sed cursu adeò citato, ut his in locis, qui-
bus interdum vadosus est, jumenta quantumvis
fortia, vix impetum sustineant.

Ad hujus usque ripam, post miserè afflictas
Pannonias Turcorum incursiones, sæpius perve-
nerunt, quod fluvii, qui sub Anisio Danubium
ingrediuntur, multis in locis vadosi sint. Lo-
ca præcipua alluit *Steinan*, *Didach*, *Ens*, & ad
pagum Lauriacum, 48. 19. vern. *Lorch*, abit in
Danubium, qui hîc ponte sternitur; fuit autem
Lauriacum Romanorum Colonia totius regio-
nis maxima, Norici Ripensis, Classisque Præsi-
dis aliquando sedes, posita in planitie edita.
Scribit Aventinus, se in Bibliotheca Paraviensi
invenisse Marcum quendam Discipulum S.
Pauli, Lauriaci & per Danubium, primam Evan-
gelii sementem jecisse, certè inter Nysseni Con-
cilii Patres, cēsetur Dominus Laureacensis Epi-
scopus. Urbe incensâ Principes Bavariæ, hinc
trans-

transtulerunt Archiepiscopatum in civitatem Pataviensem. Rursumque Carolus Magnus, ab urbe Patavia Saltzburgum.

Ultra progredienti occurrit insula, & post insulam, rupes, quæ, quod totum propè alveum occupat, sic in angustum cogit Danubium, ut primò in caput redeat, deinde contorqueatur in gyrum cœco gurgite, quo magnam partem absorbetur, vulgus foramen vocat Pilati, difficulter omninò, nec sine periculo hîc navigatur. Pervenitur postea ad ostium amnis *Erlaph*, ubi Pannoniæ urbs *Pechlarn*, dicta olim Arlape & Ara lapidea, hinc spatiatur iterum, & salutat *Augstein*, castrum montanum. *Tierstein* oppidulum & castrum; *Stein* civitatem & castrum, *Krembs* civitatem, *Hellenburg* castrum, & post minuta aliquot, varias complectitur insulas, è regione, quarum amnes minoris nominis miscent se Danubio. Tulna Austriæ, urbs antiquissima, apposita est ripæ unius ex illis. Sicut & *Tulbinq* castrum Episcopi Pataviensis ripæ alterius.

Ad Neuster villam Imperialem distantē Viennâ 4. mil. positi sunt cancelli, sive crepidines, quorum objectu aquæ possint cohiberi, ne Danubii tertius ramus, qui Viennam solus rigat, effundatur in planitiem cum duobus aliis, qui jam sibi per eam fecerunt viam. Ad ostium Viēnæ amnis sita est Vienna, vernac. *Biana*, urbs Archiducatus primaria, Ptolemæo Juliobona, antiquioribus eo Vindebona, quod hîc Vindorum & Sarmatarum sedes fuerit dicta, postea Fabiana, ab Annio Fabiano præfecto Legionis decimæ

Germa-

Germanicæ, quæ & Alauda cognominata eſt, & à qua Primævi Marchiones Auſtriæ, 5. Alaudas aureas pro inſignibus habuerunt, reperitur etiam appellata Ala Flaviana, quod Legioni 10. addita ſit Ala equitum adverſus Sarmatas. Regia fuit poſtea Helurorum, mox Avarorum ſedes aliorumque barbarorum, à quibus everſa ſæpius, à ſuis verò Principibus inſtaurata, & ſic culta, ut vix parem ipſi reperias in Germania; agro ſiquidem gaudet plano, fœcundo, amœno, vite plurima conſito, ſingulis dietis ſemper confertur aliquid pro ea munienda. Ædificiis, tẽplis, civium copiâ mirè ſplendet, Academiam hîc inſtituit Rodolphus IV. anno 1363. Turrim altam pedes 480. in ſummo templo ad S. Stephanum ajunt 60. annorum ſpatio extructam, anno demùm 1400. abſolutam. A Friderico II. Cæſare aquilam auream accepit pro inſignibus, anno Chriſti 1590. die 15. Septemb. ingenti terræ motu concuſſa eſt, ſicut & multa Moraviæ & Bohemiæ loca. Non longè à Vienna fuit Carnuntum, Romanorum colonia, eo loci, quem Auſtriaci, Trojam & Petronellam appellant, ubi multa ædificiorum adhuc apparent rudera: hinc ad Haymburgum tenue oppidum ſitum ex oppoſito oſtii Marchæ amnis in prælto monte, in cujus faſtigio arx eſt, numerantur minuta 28. Juta illud creſcit Zinziber, ab eo ad Presburgum 91. mil. eminet in rupe caſtellum *Then*, ab utroque æqualiter remotum, quod finis eſt & limes Auſtriæ.

a *Vide Mazium in topogr. Viennæ Annales, Spond. anno*

anno 1433. & 1488. b *Vide Chaſſanæum. De glor. m.part.5.Conſid.* 44.

Cap. VIII.

Moravia.

GErmanis *Marck* limes dicitur, hinc nomen fluvio, qui Germaniam ab Oriente ſeparat à Sarmatis. Hinc celebres populi, qui Germaniæ fines tutabantur dicti Marcomanni, quaſi finium incolæ: quemadmodum ab eo fluvio, qui etiam appellatur Mora, incolæ Moravi, & ipſa regio Moravia nuncupatur. Ab ævo Cæſaris ſuos Reges habuit, qui etiam Bohemiæ & Poloniæ imperarunt ad annum Chriſti 900. quo Zuantocopius Rex ab Arnulpho Imperatore victus, Bohemia, Polonia & Schleſia ſuum quæque Provincia Ducem ſibi conſtituit, ipſaque Moravia inter quatuor Imperii Marchias recenſita, donec ab Sigiſmundo Imperatore circa annum 1086. regno Bohemiæ attributa eſt, in gratiam Alberti generi ſui. Regio nemoroſa eſt, frumenti ferax, vini, croci, thuris & myrrhæ, non ex arbore deſudante, ut alibi, lectæ: ſed ex ſolo erutæ uno tantùm in loco, cui nomen Gradiſco, in quo non modo thus dictum maſculum à ſimilitudine teſtium, ſed corpus hominis integrum repertum eſt. Eam convertit ad fidem Chriſti D.Methodius circa ann. Chriſti 895. Mora amnis piſcoſiſſimus, oritur ex montibus Bohemiæ in lat. 50. 12. ambit Olomutium in lat. 49. 52. Sedem Epiſcopalem, & per regiun-

giunculam Austriæ Marckfeldensem, abit in Danubium è regione Haimburgi. Cum eo effundunt se fluvii incolæ, Svvartzha, qui Brunam præterlabitur gentis caput, & Marchionum aliquando sedem: Igla ortus è montibus Sudetis, qui mineris fœti sunt, maximè juxta Iglaviam urbem, quam & salutat: Theya denique, qui Zvvoiinam rigat, & limitem facit Moraviæ & Austriæ.

Cap. IX.

Hungaria.

HUnnorum decies centena millia egressa è Scythia circa annum Christi 372. in Pannoniam inferiorem, Regem sibi anno 428. delegerunt Attilam, qui innumera Europæ damna intulit, irati Numinis vindex. Hunnos omnes quotquot Pannonias tenuerunt. Carolus M. Imperator delevit anno 805. Arnoldum sibi cognatione junctum creavit Principem Austriæ, & Uratislao inferioris Moraviæ Principi Pannoniam secundam tradidit. Verùm Hunni iterum egressi è Scythia magno numero, circa annum 900. se asiorum reliquiis conjungentes, iterum rerum potiti, & benè meriti de Arnolfo Imperatore, ibidem firmas sedes stabilierunt sibi in hanc diem, & Hungariam de suo nomine appellarunt. Stephanus, qui postea in Divorum numerum relatus est, à Sancto Adelberto Pragensium Episcopo baptisatus, Hungaricorũ Regum primus fidem Christianam amplexus est, a totum-

totumque regnum Christo dedit nomen anno 954. D. Ladislaus Dalmatiam & Croatiam regno adjecit, alii fines regni in varias Provincias protulerunt. Propriè tamen Solida Hungaria patuit tantùm à Presburgo ad Belgradam secundùm Danubium, & omnes toto hoc spatio influentes in eum fluvios.

Regem designaturi, qui habebant jus suffragii, conveniebant armati in campis Pæsto proximis ad Comitia, ubi decernebant constituta, quibus Rex eligendus subditos regeret. Designabant & primum Palatinum, qui primus à Rege, & de ipso etiam Rege, si accusaretur, sententiam ferret: mox delectum Regem deducebant Albam regalem, ubi Strigoniensis Archiepiscopus, Primas regni, & Cancellarius perpetuus eum inungebat. Turcus Bulgariam Hungariæ regno subditam cœpit anno 1399. Ipsam deinde Hungariam invasit anno 1438. Tota dividitur in 60. Comitatus, ex quibus Imperator, qui nunc Rex est Hungariæ, 25. occupat. Transilvaniæ Princeps 8. Turcus 27. sed longè majores cæteris, & qui regni totius in tres partes divisi, constituunt duas. Præter Mahumeti perfidiam, tot jam erroribus deformata est Hungaria, ut Hæreseon, quibus Dei Ecclesia uspiam fuit infecta, hinc abesse nulla videatur. Antiqua regni insignia sunt quatuor ductus, totidem præcipuorum fluminum, Danubii, Savi, Dravi, & Tibisci imaginem referentes: dividitur à Transilvania Moremaruso: à *Polonia* & *Moravia* Carpato monte: Marca fl. à Marcomanorum Campis.

pis. Equites levis armaturæ, quos dicunt Hussaros, robur militiæ constituunt, & Tartarorum more belligerant: ipsis arma sunt lancea, sagaris sive gladius Persicus ad lævam, sub dextro femore: verutum Ephippio alligatum, & siphunculus tormentarius, theca reconditus. Haiduci pedites, nec galeâ, nec Lorica utuntur, arma illis sclopus manuarius vel hasta, sagaris, & à cingulo pendens securis: sagum villosum, vel crudam ursi, aut lupi pellem humeris injiciunt sub mento astrictam: Cives pallia rubro, viridi, cæruleo, vel janthino colore gestant. Nobilium splendidus admodùm vestitus, mulierum verò imprimis mundus exquisitus. Omnes Scythicâ utuntur linguâ, sed quia ingratior est, plerique sciunt Latinè. Succedunt parentibus ex asse soli masculi; si desint, hæreditas tanquam caduca ad fiscum devolvitur. Ipsum verò solùm, nulli cedit virorum fortitudine, animalium fœcunditate, vini generositate, & metallorum varietate; lepores, cervi, phasiani, perdices etiam plebeis cibus est non rarus. Bovum capita circiter 80000. per solam Viennam transmittit quotannis in Germaniam. Terra semen, quod ipsi creditur, in melius frumenti genus commutat intra annos tres, tanta scilicet est agri ubertas & pinguedo.

Optimorum piscium nullibi major copia, imò vilitas. Sunt præcipuæ ad Danubium positæ urbes Posonium, vel ut aliis placet Pisonium à Pisone, cujus opera Tiberius Pannones subegit, vernaculè *Presbourg* 48. 22. situm in clivo, cujus

jus verticem obtinet munitio penè quadrata: ſuburbia ampla ſunt & munita: corona regni, quam dicunt cœlo lapſam, hîc aſſervatur in Ecclesia D. Martino ſacra. Flexum Ptolemæi eam eſſe urbem contendunt aliqui, fortè quod infra eam flectatur Danubius, & in quatuor diviſus alveos complectatur plures inſulas proceris decoras arboribus, quarum præcipua eſt Scuta 36. m. longa, 13. lata, in qua ſunt Viridaria, horti regii, areæ aucupiis ſtratæ, Piſcinæ ſalubres, & pagi circiter 300. propter lætiſſima pabula. Viam ſibi in auſtralem Danubii alveum aperiunt Leytha, & Arrabo. Leytha Auſtriæ limes excipit rivum manantem ex Neuſtadio oppido minuto 48. 50 in quo Maximilianus & natus & conditus eſt. Rigat deinde Truotzmanſdorff & Prucham arces munitas in Auſtriæ limite; ad oſtium ejus ſunt Ovar, ubi viſuntur Globi tormentarii magnæ molis, & Altemburgum oppidum Hungariæ cinctum operibus.

Arrabo, qui & Narrabo, vernac. *Rab*, ortus è montibus Stiriæ non mediocriter augetur amne Sabario, vernac. *Guns*, qui Sabariam alluit olim *P*annoniæ ſuperioris, nunc Hungariæ oppidum dictum *Zombathel* 47. 35. in quo Septimius Severus creatus Imperator, Valentinianus hybernavit, reſidebat *P*ræpoſitus Theſaurorum, & in quo repertum anno 1508. Ovidii Naſonis ſepulcrum teſtudine magnificum & Epitaphio ornatum. Excipit deinde amnem alium profluentem ex *P*eiſo lacu ampliſſimo, ſed qui in *P*aluſtria propemodum degenerat. Ad dexteram Arrabonis

rabonis fuit Papa arx & oppidum, cui imminent montes Batonii, quibus nomen à clypeis. Javarinum, vern. *Rab* 48 munitio rebus omnibus ad bellum instructissima. In ipso confluente Arrabonis, ex antiquo excitata est à Romanis, qui stativa hîc habuerunt: hanc cum expugnasset Turcus, post tres annos Vaubecurtius nobilis Gallus novam adinvenit Machinam, cujus nitriato crepitu effracta porta urbem recepit. Quatuor ab ea minutis Orientem versus est mons S. Martini, in cujus jugo insigne Monasterium, ad radicem verò oppidulum ligneo sepimento terrâ expleto præcinctum.

In lævum Danubii alveum influunt amnes Tyrna & Vaga, hîc oritur ex montibus Albiis, in quibus reperiuntur fontes, qui ferrum sic arrodunt, ut equi solea intra 24. horas absumatur, transit per Comitatus Thurocinum, & Galgocium 48. 47. arcem, ubi termæ salubres, quæ sic calent, ut non sint idoneæ balneis, nisi temperentur. In ipso angulo Scutæ insulæ Matthias I. Rex Hungariæ Comaram castrum obscurum egregiè instauravit circa annum 1474. Postea Ferdinandus Imperator anno 1550. trigonam addidit munitionem, nunc urbs est ultima earũ, quas possidet Imperator in Hungaria ad Danubium.

Hinc Danubius ripas latius explicat, sed propter æqualitatem soli minus fertur concitate. Arci Dotis proximus est collis, in quo lapidicinæ albi & rubri marmoris. Sequitur Strigonium Pannonicarum urbium penè vetustissima, quondam Archiepiscopatus dignatione clara,

sed

sed nunc tantùm à Turcis vastata, quantùm prius culta ab Hungaris, ad radices arcis fons est tepidus turri inclusus, nec magno inde intervallo, alius qui in piscinulam influit, in quo etiam mediâ hyeme coaxantes ranas audis, funditque tantum aquæ, ut quatuor rotis molaribus versandis sufficiat. Strigonium vulgò appellatur *Gran*, ab influente in Danubium, ex adverso ejus Grano amne, qui ex Albiis montibus ortus Novisolium alluit 48. 34. & admisso Ipola abit id Danubium.

a *Surius in vita* S. *Steph.*15. *Aug. Bonfin. dec.* 2. *lib. Sigeb. an.*1010.

Cap. X

Fodinæ Hungaricæ ad Granum fluv. sitæ.

NOvisolii, vernac. *Neusol*, quæ civitas est apposita ripæ sinistræ Grani fluminis, fodina est Cuprea cæteris antiquior & majoris reditus, in qua Paracelsus laboratorio exstructo multa de fodinis vitrioli, antimonii, cinabaris, cupri, argenti & auri, experimento cognovit, & hospitem suum dicitur remunerasse cupro in verum argentum mutato. Itinere aliquot horarum versus occasum distat ab ea Schemnitium, vern. *Cremnitz* 48. 27. civitas alia, ubi dives fodina aurea, quin etiam ex vitibus, claviculi & folia ex puro auro aliquando enata, puero que succrevit dens aureus. In ea urbe cuditur magna vis monetę ex auro & argento, quod huc ex omni-

ex omnibus fodinis Hungariæ afferuntur aurum & argentum. Sunt & aquæ dictæ Roſelinæ, quæ lapideo cortice proxima ſedilia lignea ſic obduxerunt, ut lapidea videantur.

Ab utroq; diſtat bidui ſpatio Voiſſa fodinà, ubi aurum ad 22. Karattos à naturâ fingitur, nullamque alterius metalli mixtionem admittit.

In Noviſolienſem ſingulis quaternis horis deſcendunt circiter 150. Metallarii cum ſuâ quiq; lampade per caminum longum ſex pedes, latum duos, profundũ quadringentos ſupra bis mille; faſcia coriacea natibus ſuppoſita & homo ferreo rudenti affixa ſuſpenſi, dum vero deſcendunt, ſaccus mineralium lapidum plenus aſcendit rotis vaſtiſſimis jumentorum vi motis. Schemnitienſes fodinæ ſcaturiginibus abundant, quarum aqua è fundo collecta, ſaccis è pellibus bubulis & ſiphonibus ſibi ſubordinatis extrahitur à viris & mulieribus qui dies noctesq; ſine lumine laborant per 4. horas, ſingulis tamen Hebdomadibus 30. aut 40. Hungaricos hoc eſt 12. vel 15. aſſes ut ſummum recipiunt pro mercede, qui ſimiliter nudi magnâ vi in imo rupes feriunt, elapſis 4. horis coguntur ſurſum aſcendere ad aërem purum, vixq; reperitur ullus qui ad 50. annum perveniat, pulmonibus ſucceſſu temporis ulceratis ab acrimonia exhalationis venenatæ, & refertæ ſpiritibus Antimonialibus, Mercurialibus, Salinis, & Arſeniacalibus, qui cerebro, cordi, & pulmonibus maxime ſunt infenſi, unde ne deficiant operarii, coguntur filios & filias conjicere

Ff in nuptias

in nuptias ante 15. annum: vixq; dici poteſt quanta ſit in eâ ætate utriusq; ſexus fœcunditas.

Eſt & alia via per cuniculos qua modo Peryſtiliis in rupe exciſis, modò gradibus, modo ſcalis, modo erecto, modo curvato corpore perſæpe rependo, per vias anguſtas magno cum labore trium, vel 4. horarum ſpatio fodina viſitatur. Ab ipſo ore Cuniculorum ad pedes 408. acre frigus ſentitur, dum per regionem maximè frigidam deſcenditur: ſentitur poſtea aura tepidior, & ubicumq; foditur poſt ſimile ſpatium, nullum amplius eſt frigus, ſed ſemper calor quantumcumq; profunde fodiatur. An verò quò magis acceditur ad terræ centrum calor ille major ſit, ſe nunquam id advertiſſe reſpondent foſſores, niſi dum fodiendo occurrunt venæ calidorum mineralium maximè vitrioli & ſulphuris, quæ in prima etiam regione teporem excitant ubivis reperiantur. Hinc calida illa fœtensq; exhalatio, quæ per puteum continuo aſcendit tam copiosè, ut advenas inſuetos terreat ipſasq; foſſorum lampades, quamvis Elychniis inſtar digiti munitas perſæpe ſuffocet. Subterraneus verò hic populus, de imminentibus aëris externi mutationibus primus cognoſcit; nam cum aër ſupernus è ſereno in nubilum debet verti, magnam ſuſtinet moleſtiam à fumo ſolito craſſiore copioſioreq; è profundioribus partibus aſcendente, qui aërem, quem ſpirant, multo craſſiorem & acriorem reddit, & ſuarum lampadum, tunc crepitantium lumen, vel minuit, vel extinguit. Similiter externus aër, qui per cuniculos ad

fundum

fundum usq; fodinæ inſtar torrentis continuo deſcendit & artificiosè introducitur in diverſa peryſtilla, ſeu loca in quib⁹ foſſores laborant, per canales ligneos & feneſtras clauſas, vel apertas, prout neceſſe eſt tunc cum ex locis in quæ introducitur aër ille externus via pateat ad puteum, exhalatio aëre levior ex omnibus illis ſeſe recipit ad puteum, ſolito citius, & magno impetu aſcendit. Si verò aëris externi præcluderetur aditus intra horæ quadrantem omnes perirent. Solitariè laborantibus interdum apparent dæmones in Æthiopū homuncionū forma, qui nugantur cum ipſis. Porrò inter deſcendendum, in locis in quibus olim laboratum, advertis quomodo venæ metallicæ inter duas tabulas procedunt, & quomodo dum ſilicibus interrumpuntur, foſſores ex inclinatione tabularum, in quam partem deflectant conjiciunt, & acu illita ad magnetem circulisq; probè diviſis, docent quo præcisè loco fodiendum, ut eam denuò reperiant. Inter varias in aurifodina cameras, una eſt ſatis ampla quæ tota ſmaragdino conſtat vitriolo, quod longè melius eſt eo qui Saphiri eſt coloris, dum vero educitur in reditu, indureſcit à frigore, ſi nondum maturum eſt.

CAP. XI.

Quæ à Grano amne ad oſtium Savi, ſecundum Danubium ſita.

ULtra Grani oſtium progredienti, poſt minuta 18. objiciuntur oculis rudera arcis Vizè-

gradæ, quæ Regum fuit aliquando domicilium. Sequitur ad Visam insulam Vaccia urbs exigua, musarum olim domicilium, nunc Martis. Deinde ager uberrimus, in quo Aquincum oppidum, ibi sub Duce Limitaneo, Valeriæ Præfectus Legionis secundæ adjutricis excubabat, & trans illud in Barbarico solo auxilia vigilum. Hîc Valentinianus contabulato celeri studio ponte, in Quados movit, & subito in cursu agros eorum vastavit. Ipsi posteà inditum nomen Budæ, vel à Budinis Scytarum gente: vel à Buda Attilæ fratre & in imperio Collega, vel ab aqua quam Sclavini vocant Buodam: nulla enim regio, quæ plures aut salubriores aquas habeat; nam infra arcem sunt termæ in quibus Reges lavabantur, sunt communes, sunt hospitales: Est ita fervens, ut in eam missum ovum elixetur celerius, quam ad luculentum ignem, huic verò fons frigidus ita contiguus, ut simul una urna possis calidam haurire, altera frigidam. Cùm autem balnea publica condere Turci arbitrentur, & viventibus gloriosum, & vita functis salutare, hic Solimanus post occupatam Budam anno 1526. sede regia & ædificiis cultissimam, amplissimum stravit marmore. Arx regia ortum spectat, sita urbs est in colle, in lat. 47. 5. *Ofen* appellant Turci, nunc præsidiarii milites censentur in ea octo mille, præter triremes triginta, quæ in sinu obverso ad Pestum stant in anchoris, quando per Danubium non discurrunt. Deinceps per m. 1 0. Belgradum usq; tacitus, maxime sub Meridiem, labitur Danubius propter æquor complanatum, ut multis

multis in locis, in quam moveatur partem vix advertas, hinc frequentes toto hoc tractu insulæ uberes, & in utraq; ripa proceræ arbores intonse, hæc spatia inambulantibus, gratissimæ. Ad 20. minutum se exhibet Colossa urbs Vetus Epis. Inter quam & Tibiscum campi sunt Cumanorum & Bachamegorum, pagis quidem infrequentes, sed pascuis supra modum fœcundi. Batha urbs sita est ad ostium Leez Wizzi, seu Larnis, qui ortus ex latere Batoniorum montium rigat Vesprimium urbem olim Episcopatu & arce nobilem à qua paucis minutis versus boream distat Palotta arx fossa duplici munita. Inde petit Albanum, seu Albam Regalem vetus oppidum palustri loco situm, dictum nunc *Stult-vveissemburg*, ubi Reges Hungariæ solebant & Coronari & Sepeliri. Deinceps per ripam dexteram in Danubium aperiunt sibi viam Dravus & Savus, Illyrii amnes inclyti; urbes præcipuæ inter utrumq; os Eiloch & Petri Waradi, & in sinistra ripa ostium Tibisci, de quibus nunc agendum.

CAPUT XII.

Dravus, Illyricum, Carinthia, Stiria.

IN Illyrico pauca olim effatu digna, aut fœlicia nomina, originem & terminos superius indicavimus. Justiniani tempore Sclavini, gens Scythica post multas strages edita hic tandem cōsedit. Posteri dicti Sclavi vernacula voce *Szlau*

quæ apud ipſos gloriam ſignificat, unde & pleraq; Illuſtrium virorum, vel urbium nomina, Stanislau, Vratislau, & his ſimilia. Regio ditis eſt admodum ſoli, bis quibusdam in locis gravidæ pecudes & quater in anno tondentur.

Hodie omnium latiſſime patet lingua Sclavonum cum à mari Adriatico ad ipſam prope Chinam & Tartaricum Oceanum in uſu ſit. Eſt matrix lingua in multas propagines diffuſa puta Illyricam, Dalmaticam, Vindicam, Boëmicam, Polonicam, Rutenticam, & alias non paucas. Ejus autem duplices ſunt Characteres, Rutenici ſive Moſcovitici, à Cyrillo inventi, totidem numero & figura pene ſimiles Græcis, adjunctis pauculis Barbaris: Item Dalmatici, quorum autor D. Hieronymus à quo Hieronymiani dicti, eadem poteſtate, totidem numero, ſed figura longe diſſimili.

Dravus è ſolitudine Alpium Noricarum è loco quem Toblium accolæ vocant, effuſus violenter, ubi ſe collegit intra margines, Carinthiam perlabitur, Stiriam, Sclavoniam, & in Raſſia miſcetur Danubio, ejus accolæ Illyrica utuntur lingua.

Ducatus Carinthiæ vern. *Kernten* Carnorum ſedem occupat à fonte Dravi ad oſtium Lavandæ fl. per minuta 100. necnon colles & valles circumpoſitas, quæ hinc inde excurrunt ad m. circiter 50. Chriſti fidem an. 790. ſuſcepit, ſubeſt in ſpiritualibus, ex parte Aquileienſi Patriarchæ, & ex parte Saltzburgenſi Archiepiſcopo. Dux illius Senator erat Imperii, & ad eum lites venatorum omnium deferebantur. Henrico Duce

ultimo

ultimo vita functo absq; prole mascula, jure feudi devoluta est Carinthia ad Imperium anno Christi 1331. & ab Ludovico Cæsare dono data Duci Austriæ Alberto II. Insidet Dravo Julium Carnicum Norici Mediterranei quondam oppidum, dictum nunc Villackum elegans & picturis ornatum, cui & circumpositis aliquod oppidis gubernatorem præficit Episcopus Bambergensis. Hinc post 34. m. augetur Dravus aquis Glanii & Willici amnium, qui confluunt ad S. Vitum, nunc Urbē Carinthiæ præcipuā à qua minutis 8. Clagenfurtum urbs munita, Ducum quondam sedes, vocata antiquitus Claudia. Inter utramq; patens etiam campus *Solfeds* in quo apparent rudera Solvensis oppidi. Est pręterea Marmor in valle ad quod Princeps de novo inaugurandus sistit se, indutus veste, pileo & baculo pastorali coram rustico è certa quadam familia, quæ Christi fidem dicitur prima suscepisse. Hic stans supra saxum media inter vaccam nigram & jumentum macre, sciscitatur à populo, utrum is quem proponunt, sit fidei Christianæ tenax, amans legum & pietatis cultor, quibus annuentibus, descendit & acceptis muneribus, monet, ut dictis facta responderant. Iisdem amnibus miscetur alius, qui rigat Frisachum, ubi multa antiquitatis vestigia Post 17. minuta Dravo miscetur Lavanda, qui Lavamundam inter & Draburgum labitur, hanc Stiriæ, illam Carinthiæ urbes, quæ aëre fruuntur læto.

Stiria vern. *Stiermach*, patet secundum Dravum inter ostia Lavandæ & Muræ, nullius rei indiga, quæ homini sit necessaria: ferri autem

& argenti mineris dives. Urbes hujus ad Dravum nominatæ ſunt *Marpurg.* *Pettau*, & trans dexteram ripam Variana caſtra, ſeu Comitatus Varaſdinenſis Ad Muram vero Muripons vern. *Pruckan der Mure*, Superioris Stiriæ urbs primaria, Grætia vern. *Grats* caput totius Stiriæ, nec non *Rachelſpurg* arx celebris oppoſita Caniziæ Turcorum quæ 30. m. ab ea verſus ortum removetur, inter utramq; ager eſt Lutembergenſis generoſo vino nobilis. Ducatus titulo ornata eſt Stiria à Friderico Cæſare in gratiam Lupoldi Ducis Auſtriæ, quando uxorem duxit filiam Ottocari Marchionis Stiriæ. Mirum quam frequentes hîc & deformes ſtrumæ.

Poſt exceptos amnes è Stiria, Dravus tanta fertur celeritate Hungariam inter & Serviam, ut intuentium oculis officiat, & turbet caput: toto hoc ſpatio vix urbs eſt alicujus nominis præter D. Elizabetham, & ad amniculos influentes in lævam ripam Sigetum, ſive *Saſvvar.* oppidum olim paludibus immerſum, nunc arx munitiſſima ſedes Sangiaci. Ab ea m. 16. abſunt Quinquecclesiæ antiquum oppidum, in quo Solimannus Sigetum oppugnans fatis conceſſit ann. 1568. Ingreditur vero Dravus Danubium juxta locum quem Ptolemæus Teutoburgum appellat, qui hodie celeberrimus vicus eſt cum baſilica munito loco ſita cui Epiſcopus Quinquecclesienſis præeſt.

Cap. XIII.

Savus & Carniola.

SAvus ex Alpibus Carnicis exortus, superioris Carinthiæ montes secans, fertur in ortum per Carniolam, ad urbem Æmoniam vern. *Laubach*, quæ ipsi insidet, & prætervectus Celeiam Romanam Coloniam, Præsidis olim hujus Provinciæ sedem, nunc Comitatum *Cilley* quietior labitur, Croatiam sejungens à Sclavonia, & Bosniam à Rascia & per Serviam superbo alveo, quos illæ regiones ipsi commiserunt fluvios secum effundit ad Belgradum in Danubium qui hinc ister appellatur.

Superiores partes Savi obtinet Carniola vern. *Krain* sedes olim Carnorum Japidum. Nunc duplex est, sicca quæ id omne complectitur quod est Labacum inter & Tergestum, quorum incolæ Histrii & Karssi dicuntur: alia verò irrigua in quâ fons Savi, *Kainburg* locus maximè munitus, & *Laubach* urbs Ducatus primaria, ubi Episcopalis Basilica, ad amnem Laubach similiter dictum cum olim Pamportus Tauriscorum, seu Nauportus, tam oppidum diceretur quàm amnis, quo unico Italicæ merces, jam ex antiquo ab Aquileia per Ocram, quæ pars est Alpium humillima, delatæ inde per Pamportum invehuntur in Savum, posteaq; in Danubium, & amnes in eum influentes. Incolæ partim Germani, partim Slavi, omnes ditionis Austriacæ. Tribus minutis à fonte Laubaci amnis, in pago

Zirknits lacus eſt, qui quotannis aquis de repente ex abdito venientibus cum ingenti copia piſcium exundat, appetente æſtate exareſcit, ſic ut quo in loco fuit piſcatus, in eo poſſis ſementem jacere, quæ poſt 20. diem poſſit ſecari, magna tamen ejus pars præter juncum gignit nihil, montibus clauditur circumquaq;, vix milliario diſtat ab arce Poſtonia.

Cap. XIV.

Croatia.

SUccedit Croatia Regio caſtellis potius quam urbibus ſparſim habitata, partim plana, partim montibus & collibus aſpera, fertilis tamen, amœna & multis locis, vitibus conſita, pecore dives & frugibus, nulliusq; rei indiga præterquam pacis: nam gens videtur nata ad bellum ipſiq; gladium verſare ad ſimphoniam utriculi voluptas non levis. Quin etiam hic videas Uskokos ad inſtar Damarum ex uno colle in alium tanta ferri velocitate ut volitare hos populos diceres. Principes Auſtriaci vix quartam ejus partem obtinent, Turci reliquum. Morlaqui Auſtriorum ſubditi ripas accolunt Colapis Liburniæ amnis vern. *Kulp*, qui ex Albio monte delabitur, & montes *de Lika* qui à Novigrado excurrunt ad Segeſtam. Hîc arces duæ magni nominis Segeſta vern. *Siſeq* ad Savum & Carloſtadium ad Colapim, ubi Armentarium inſtructiſſimum. Turcica Croatia incipit ab arce *Craſtovviez* ad Savum infra quam excipit

amnem

amnem *Vvana* , secundum quem arces habet munitas, *Vvihitz*,quam Turci totos 150. annos oppugnarunt, priusquam expugnarint. Et *Ob roaz*, à quâ ad Segestam Turci omnia redegerunt in solitudinem.

CAP. XV.

Sclavonia.

SClavonia per 200. m. porrigitur secundum borealem Savi ripam, & per 12. excurrit versus Dravum, Olivetis vinetisq; speciosa. Occiduam partem Austrii occupant,ortivam Turcus, incolæ pleriq; omnes Christum colunt liberrimè. Austrii versus montes arcem habent Kopranitzam,quæ Turcorum sistit impetum & ad Savum Zagradiam,ubi Societas JESU, collegium habet in his partibus celebre. Turcorum præcipua munitio *Possega* ad confluentes Termanum & Oribam qui postea miscentur Savo.Urbs verò celebrior, *Gradisca* ad Savum.

CAP. XVI.

Bosna.

BOsna suos Principes habuit, qui aliquando dicti reperiuntur Duces Sancti Sabæ ; alias Bosnæ Despotæ, interdum Reges Illyrici : Verùm tam Reges Hungariæ quam Turcorum Imperatores, dum sub specie tutamenti eos voluerunt sibi habere addictos,& ex lege officii, & obsequii clientares; utriq; regionem misere afflixe-

runt, tandemq; Mehemet II. Stephanum Bosnæ, Rasciæ & Serviæ Despotam ultimum, qui parentem regno exuerat, corio jussit exui, anno 1472. Incolæ originem ducunt à Bessis Bulgariæ populis, qui ab inferiori Misia pulsi, consederunt in superiori, juxta Savum, & amnem Bosnam, à quo & ipsis postea hæsit nomen. Regni caput fuit *laitza*, in edito monte sita, Castello munita inexpugnabili, inter amnes Plenam & Unerinam, qui in Savum postea labuntur, *Vanialuka*, ad eosdem amnes apposita nunc sedes est Bassæ, qui equitibus præest octingentis.

Hodie tamen *Serrail* ad Bosnam amnem urbs est Bosnæ præcipua. Vix ab eâ distat media Leuca D. Virgo Plumbensis, ubi ejusdem sacræ matris imago etiam à Turcis colitur magnâ pietate. Regio montibus aspera, mineris auri & argenti dives est, abundat etiam armentis & ovibus quæ si hic mactentur, nullius pene sunt saporis, si vero circa Athesim pascua gustaverint, illico impinguantur, & carnem habent gratissimam; hinc est quod Veneti tantam educunt multitudinem, & ad pinguia Padi traducunt prata, ut per Italiam postea distrahant.

CAP. XVII.

Mæsia, Rascia, Servia.

UBi Danubio miscetur Savus, Pannoniæ jungitur Mæsia, Cereris horreum & provincia, in quam traducta aliquando quingenta hominum millia ex Dacia. Ad pontum usq; olim excurre-

excurrebat cum Danubio. In ea fuerunt Dardani, Triballi, Mæſi proprie dicti, Thraces, pontoq; contermini Scythiæ. Triballos ſolo viſu faſcinaſſe, & occidiſſe eos, quos fixis, & iratis oculis aſpexiſſent, imò quosdam in ſingulis oculis geminas habuiſſe pupillas refert Plin. l. 7. c. 2. Romani Myſiam diviſerunt in ſuperiorem, quam amne Ciabro finit Ptolemæus, & in inferiorem. Media ætas in Serviam & Bulgariam per flu. Niſſavam. Iterumq; Serviam in Raſciam & Serviam per ipſum Savum. Raſciæ longitudo, qua maxima eſt, centum octoginta mille paſſus colligit ab ortu in occaſum, hoc eſt à Poſſega ad Semendriam. Latitudo inter Savum & Dravum excurrit. Hinc Servia ad Niſſavam patet, utriusq; tanta eſt ubertas, ut Andrinopoli, & Conſtantinopoli frumentariam ſufficiat annonam & carnes ſuppeditet, etiam Raguſii infinitam vim ceræ, lanæ, coriorum omnis generis & caſeorum, qui Hollandicis præferuntur hinc exportant; communiter ovis venit 15. aſſibus, volatile aſſe cum medio. Urbes præcipuæ ſunt *Vivar* ad Savum, qui hic excipit amnem *Drivo* ortum è montibus Macedoniæ, qui Priſdenam rigat Juſtiniani Imperatoris patriam & *Orach*, ſedem Sangiaci Serviæ. Eſt & *Sabat* ad Savum, infra quod oppidum miſcetur ipſi Bacuntius vern. *Bozuutha* amnis, qui alluit Sirmium, in quo natus Imperator Probus, fato ceſſit Claudius poſt ingentem Gothorum manum profligatam. Conſtantius Imper. Concilium habuit; & præfectus Illyrici ſedem: Hinc ager dictus

Sirmienſis inter Savum, Dravum & Danubium medius vino nobili celebris. Taurunum Pannoniæ & Imperii Occidentis ultimum oppidum dictum, vulgò Belgradum & Albam Græca, imminet oſtio Savi in Danubium in latitud. 44. 36. In tota Europa poſt Conſtantinopolim urbs nulla, cujus ſitus, agri ubertas, & aſpectus ſit gratior, cum hac componenda. Solymannus eam occupavit an. 1520. nunc ſedes eſt Caïmacani, qui vices gerit Baſſæ Budenſis in regenda Provincia, hîc ut plurimum deſerunt Danubium, & intra 8. dies feruntur equis, qui pergunt Conſtantinopolim. Ab eâ 25. m. verſus ortum diſtat Singidunum, vulgò *Semendria,* hoc eſt, urbs S. Andreæ à Turcis vaſtata an. 1439. cùm priùs ſedes fuiſſet Deſpotarum Serviæ, quorum primus Lazarus Bulco, hanc à Regibus Hungariæ obtinuerat dignitatem, ejusq; poſteri dicti erant Lazari; vel Bulqui, ad Chriſtinam Serviæ Deſpinam, quæ nupſit Stephano Deſpotæ Boſnæ, qui à Turcis occiſus eſt, vix hodie ſuperſunt urbis laceri parietes & rudera. Inde ſi navigaveris 40. mille paſſus, pervenies ad Zeverinum, ubi etiam nunc Marmorei pontis Trajani reliquiæ ſtant, 34. ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo 150. pedum præter fundamenta, lat. 60. pedes continet, diſtantq; inter ſe 170. pedibus, & fornicibus jungebantur priusquam eos demoliri juberet Adrianus Imper. maximum ſanè Architecturæ miraculum, nec ſcitur quomodo in illa gurgitum altitudine, in fluvio tam præcipiti, feroci, vorticoſo, & qui aliò derivari non

non poterat, potuerint artifices in limoso solo tantarum molium fundamenta stabilire. Pergit adhuc Danubius per Serviam centum circiter octoginta mille passus ad ostium Moranæ quondam Ciabri, qui Serviam à Bulgaria nunc separat, sicut olim superiorem Mysiam ab inferiori sejungebat. In Moranam labitur amnis Ibar, qui *Novibàzar* perluit urbem, quâ transeunt, qui difficiles transmittunt montes Sclavoniæ, ut petant Venetias, vel aliquod Hadriatici maris Emporium.

Cap. XVIII.

Bulgaria.

SErviam excipit Bulgaria, Mæsiæ pars inferior supra Thraciam extensa ab amne Nessana secundum Danubium ad ejus ostia, & pontum Euxinum. Ipsi nomen à Bulga Scytharum trans Danubium fluvio. Benigna est pascendis pecoribus, nec fruges negaret, si cultura accederet, sit licet montibus obsita multis in locis. Incolæ plurima damna intulerunt regno Constantinopolitano & Christianis, donec primùm emolliti à sorore Trebellii ipsorum Regis, quæ captiva & in aulâ Caroli Magni imbuta Christianis moribus, iisdem postea informavit patrem, tandemq; circa annum 970. Theodosiæ Imperatricis studio & diligentia, Bulgari omnes Christo dederunt nomen. Turcorum Imperator, circa annum 1396. Bulgariam, quæ ad Hungariæ regnum pertinebat, armis occupavit, repugnante

repugnante totis viribus Sigismundo Rege, qui ad regni gubernacula sedit cum conjuge annos 51. Non alibi jam sub Turcorum imperio plures sunt Christiani, sed rudes adeò ut præter jejunia, quæ observant & nomina Christiana, quæ sibi imponunt vix differant à Turcis. Præcipua apud eos urbs, *Sophia* in Mediterraneis sedes Beglierbegi Rumeliæ, in planicie in qua 350 numerantur Christianorum pagi: per eam transeunt necessario, quotquot Constantinopoli proficiscuntur in Hungariam, Venetias vel Ragusium: sita est ad amnem Iscum, qui miscetur Danubio supra Nicopolim, quæ altera urbs est Sangiaci sedes. Habes & Axiopolim à quâ Danubius ad pontum Ister appellatur, si Ptolemæo credimus. Ad oram maris Tomi nunc Tomisuar urbs in qua Theotimus olim Antistes, cujus Hieronymus in Catalogo virorum illustrium meminit, & in qua Ovidius propter amatoriæ artis spurciciem ab Augusto est relegatus, distabat haud procul ab Istropoli clarissima quondam urbe.

CAP. XIX.

Tibiscus cum ulteriori Hungaria, & Meriscus cum parte Transilvaniæ.

TIbiscus aliis Tyssia fluvius, quem totum sola sibi ulterior Hungaria vindicat, oritur in lat. 48. 30. è fonte exiguo, sub altissimis Carpati jugis, in Comitatu, quem à frigore dicimus

dicimus Maromarusium. Tantis intra tertium milliarium augetur incrementis, propter limpidissimos torrentes, qui in eum è vicinis montibus præcipitant, ut hinc patiens sit navigiorum quibus evehuntur lapides, seu frusta salis 4000. singula librarum circiter viginti. Ex illis angustiis eluctatus, ubi campestria attigit, fluit impurior, maximè post admissos amnes Zamosum, Bogrodium, Tarsam, Wizzam, Sagyvam, Chrysum, Mariscum, & Tamessam, quorum omnium aquis auctus in Danubium evolvitur, minutis 15. supra ostium Savi in eundem Danubium in lat. 45. 20. Nullus est fluvius, qui Tibiscum superet proventu piscium, sive rationem habeas diversarum specierum, sive magnitudinis, sive saporis: præcipui sunt Sturiones, Lucii, Carpiones, quorum omnium tantam largitur copiam, ut cum intra regionis limites distribui nequeant, neque evehi ad circumpositas, his porcorum greges alantur, ut ejecti in ripas aërem peste inficiant. Per eum sal omne evehitur, quod per totam postea Hungariam, Danubium, Savum & Dravum distribuitur. Qui inter Tibiscum & Danubium incolunt, idioma proprium habent ab Hungarico plane diversum, ii enim sunt ex Jazigum Metanastarum gentibus, atq; etiamnum Jaz nuncupantur.

Motu Carpates ab Vistulæ fontibus recta ad Meridiem juxta Jazigum campestria in Danubium prominet, ibiq; finit Germaniam, tum in ortum conversus per Dacos, Mœsos & gentes Scythicas pergit: fodinas habet salis, æris, argenti

argenti & auri. Magno hominum numero Germani adhabitant, à circumpositis gentibus, lingua, institutis & habitu diversi. Slavorum lingua, appellantur Tatri, hoc est, Tartari, quod versus Tartariam protendantur. Hungari vocant Tarezal nomine deducto à deraso vertice. Altissimi putantur esse circa Comitatum Liptoniensem, ubi fons Vagi amnis; nusquam enim altius se attollit, nec horridioribus jugis assurgit, unde & Nivis montes eos dicunt Germani incolæ.

In Comitatu Maromarusio, est sal nativus, qui cæditur in lapidicinis, in quibus multa interdum reperiuntur, quæ in generali eluvione mundi existimantur hic consepulta, qualia sunt, *a* robur trabi simile, carbones, & gallina incorrupta ovis incubans.

*P*ost varios fluxus, & meandros, Tibiscus Perigiensem Comitatum perluit, & in eo excipit amnem Samosum, qui ortus in jugis Daricis, ad Moldaviam vergentibus, primò fluit Orientem versus, & Gyvvlam rigat arcem Episcopalem, deinde conversus ad austrum radit pomeria civitatis Colosvariæ seu *Clausembourg*, 47.18. sita est in plano, ædificiis splendida & munita vallo: eam incolunt Saxones mixti Pannonibus, qui judicem alternis vicibus deligunt: hi Hungarum illi Saxonem. Non longe ab ea versus occasum eminent altissimæ rupes duæ, inter quas amnis labitur. Hinc abit in Septentriones ad urbem Burglos, sitam in amplissimæ vallis planicie, quæ habet utrimq; colles vitiferos, appellatur

latur verò Bistricia ab amne Bistricio, qui ortus in Ciculis è monte Carpato, hîc miscetur Samoso: ab ea, quatuor non amplius milliaribus distant aurifodinæ Roduenses. Rigat etiam Zatmariam oppidum utcunq; munitum, necnon Samos oppidum.

A flexu & ostio Samosi, abit versus occasum Tibiscus ad Toccaiam arcem natura & operibus firmam, sed inundationibus obnoxiam, propter confluentem hic Bogrodum, nec ita multo post Tarsam, cujus fons in rupibus, quæ imminent Zepusiensi Comitatui & arci, ubi aquæ, quæ ferream equi soleam consumit, intra horas 24. & fontes alii, quorum unius aqua lapidescit ad modum pumicis, unde tritum illud incolas domos inhabitare factas ex aqua: alterius, qui per hyemem fluit } æstacongelatur. Tertius letalis est animantibus, quod plurimum in eo sit aconiti. Est & alius qui crescente Luna augetur, deficiente minuitur, atque adeò in interlunio prorsus deficit, sunt præterea ad fines Eperiensium & arcis Saros, ex quibus sal excoquitur, & reperitur vitriolum, cùm nativum, tùm factitium magna copia Tarsæ conjungitur amnis Hevatus, qui Cassoviam rigat urbem cultam, & quæ adhuc multum retinet veteris splendoris. Admisso Tarsa Tibiscus flectitur in austrum, & post m. 8. excipit Wizzam amnem, qui præterluit Vinundriam dictam, nunc Agriam sedem Episcopalem, cujus obsidionē post evibratos duodecim mille globos, solvere coactus est Solimannus, & si nullis sit munita propu-

propugnaculis. Hinc Tibiſci ripa ſiniſtra, quæ Tranſilvaniæ obvertitur multis oppidulis, vicis & caſtellis cultum eſt. Sunt & quædam in Mediterraneis non ignobilia, ut Nagalæ fanum, & Echicda ad ejusdem nominis lacum, 47 24. ad Solnocum arcem, cujus munitioni imprimis confidunt Turci, Sagyna amnis & cum eo Genges & Tarna miſcentur in lat. 47. 6. Inde ſi navigaveris 30. circiter min. pervenies ad oppidum *Czongrad* ſitum in lat. 46. 38. ubi Tibiſcus excipit fluvium *Kerez*, qui ex tribus coaleſcit amnibus, qui omnes dicuntur Chryſii, quod ramenta auri & maſſulas aliquando rapiant auri in glandis magnitudine, interdum etiam libræ, nam violenter ita exundant, ut ipſos currus abducant in præceps. Habent verò quovis tempore piſces ſeleĉtiſſimos, fundulos, cephalos, carpiones, auratas, truttas & complures alios. Borealis primas Hungariæ metas, à Tranſilvanis limitibus ſejungit, ejus fontes erumpunt è Dacicis jugis in latit. 47. 20. ſupra Sebeſvar, m. 5. Inter aſperas præcipitesq; Alpes continuis anfraĉtibus, & celeri meatu decurrit per loca deſerta, quæ Valachi incolunt, ex queſtu pecorum & piſcium viĉtitantes, loca celebriora alluit *Reeff*, & *Thelegd*. Indeque abit in Varadienſem civitatem ampliſſimam ſitam in planitie, in lat. 47 nullis cinĉtam mœniis, olim tamen munitam arce, in qua conditus Ladiſaus Rex, & frater Georgius loci Epiſcopus reſidebat. Populus eſt Hungaricus Teutonicis mixtis, qui ex rebus Turcicis quæſtum faciunt, Auſtralis oritur ex alpibus, quibus imminet,

imminet Abruckbania, in decursu oppidum salutat Keresbaniam, quod Saxones & Valachi incolunt, à quibus ea loca sunt ex frequenti deprædatione minus tuta.

Zegedini in lat. 46. 20. idem Tibiscus admittit Meriscum. Straboni Marisium, Tacito Marum, Plinio Morum. E monte Carpato & Alpibus, qui Transilvaniæ Moldaviam jungunt, fluit exili primum alveo, deinde collectis aliorum rivulorum undis auctior labitur per Transilvaniam, Denuam & Lypiam: per eum Romani, quando exercitum ducebant in Getas & Dacos, devehebant *b* res necessarias ad bellum, nunc omne sal evehitur ex Transilvania, deponitur Zegedini, atq; inde per totam defertur Hungariam, indeq; per Tybiscum, Belgradum, & per Serviam deducitur. Ad fontes Marisii sedet Ciculorum pagus Marcus Zuk, quorum oppidum, & præcipuum, & amplissimum *Keekel Wasſarhel* Saxonibus *Nevvmarck*, 47. 36. ubi conventus præcipui habentur. Hinc ad *Nadglak*. Post 20. m. Marisius excipit amnem Auratum, vern. *Armas*, ortum in montibus *Abrug*, qui Thordam præterfluit civitatem, nullis quidem mœniis cinctam, amplam tamen & sitam in agro vini feraci & compascuo, ubi sedes præfecti camerarum salis, & fodinæ illæ celebres, quæ toti Hungariæ salem suppeditant. Inde si navigaveris 30. circiter minuta, devenies ad ostium *Kikellevv* amnium, quorum unus dicitur major, alter minor. Ille oritur in montanis Schiis, ubi Ciculorum pagi *Gyrgio* & *Seck*, civitatem

alluit

alluit Segesvariam, 47.26. ex parte sitam in colle edito, & Megiensem urbem in meditullio Transilvaniæ positam in agro vini, aliarumq; rerum feraci, arcibus & mœniis firmatam, à qua minutis 12. versus occasum ad ripam minoris *Kikellevv*, removetur arx *Kykellevvat*, ubi egregia vinearum promontoria, vina optima rerumque aliarum magna affluentia. Miscetur Marisio minutis 14. supra Albam Juliam, quæ dicta olim Zarmis Daciæ Regum fuit *c* Regia ad Decebalum Regem ultimum, quem Trajanus vicit & potitus est ejus thesauris sub Sargeriæ amne reconditis, appellata deinde Colonia, Ulpia, Trajana, Augusta, Dacia, & à D. Julia matre Aurelii pii Julia. Gothos hanc olim incoluisse vetustas characterum indicat, abrogato Episcopatu Isabellæ Reginæ Hungariæ sedes fuit. Porrò Sargetia amnis, nunc dictus *Ompai*, fontem habet in Alpibus, quæ hic licet excelsissimæ sint & aditu difficillimæ, urbibus tamen non carent, inter quas *Abrugbania* eminet propter fodinas auri & argenti, necnon collegium Sacerdotum. Sargetiæ apponitur Zalathma insignis tempore Trajani propter aurifodinas, ejus amplitudinem testantur rudera, lambit & rupem altissimam, in qua templum D. Michaëli sacrum, & multa antiquitatis monumenta.

Minutis 10. infra Albam Juliam sunt oppida duo *Winez* & *Borboreck*, ad quæ sal Regium ratibus instructis applicatur, ut inde in Hungariam provehatur. Ab iis non longè Zabezus Saxonibus *Brox*, civitas sita in lat. 46.38. in valle profun-

profunda, aquis munita, ædificiis ornata, in agro, frugum, vini, piſcium, & ferinæ omnis generis feraci. Hinc ſenſim flectitur in occaſum Mariſius, ubi in lat. 46.16. admittit amnem, quem emittit vallis *Hatzag*, octo milliaria extenſa, alpibus eminentiſſimis circumſepta, præſertim ab ortu & meridie, ubi ſpacioſiſſimus tranſitus in Mœſiam, quæ Tranſalpina vocatur. Vallis nomen ſortitur ab oppido *Zaczas*, quod Valachi mixti Pannonibus habitant. Ad plagam Meridionalem apparent rudera urbis ampliſſimæ: Varheli loco nomen quod ſignificat locum urbis, ſæpius Valachos hic invenias, qui inter rudera pretioſos lapides, & numiſmata aurea interdum effodiunt. Deniq; appoſita eſt Mariſio Lippa civitas, quam Sigiſmundus Princeps Tranſilvaniæ Turcis eripuit, anno 1595. Bethleemus verò Gabor Vaivoda Turco non ita pridem cum Varadino iterùm tradidit. Poſtremo Tibiſcus Danubio proximus excipit Temeſam fluvium, qui Temeſvvarienſem Beglerbegatum perluit, ipſumq; *Temeſvvar* caſtellum & oppidum in inferiori Pannonia ſitum, opere, natura, & præſidio munitum.

a *In Rep. Hungariæ pag.* 77. b *Strab. l.* 7. *p.* 303.

CAP. XX.

Dacia.

DAci ſecundum utramq; Danubii ripam à Scodro monte ad Carpathum & pontum

Euxinum longe lateq; fusi; variis subinde nominibus sunt appellati. Nam qui versus Germaniam habitabant Daci, qui versus Euxinum Getæ reperiuntur dicti. Immortales eos vocat Herodotus,quia non putabant se mori, sed ad Deum suum Zamolxim transire. Jornandes ait vocatos Gepidas & Gepandas à dictione Gothica,quod ingenio & corpore essent tardi, unde & apud comœdos mediastini & servi dicuntur sæpius Getæ & Davi. Decies centena milliaria tenuisse in circuitu,docet Eutropius. Præcipui Daciæ populi fuerunt *Mœsi* sive *Mysi*, Triballi, Dardani (hi secundum Strabonem ter in vita, nec sæpius, lavabantur, statim à partu, cum nuptias ineunt, & cum mortem obierunt) Jazyges, & Scythæ Thrasences: Ovidius in Tristibus ait, eos fuisse truces vultu, voce feros, barba & coma hispidos, semper accinctos ferro & sagittis veneno illitis, & jus ense sibi reddidisse. Eorum aliqui ab uxoribus abstinebant teste Strabone,quibusdam vix sufficiebant decem.Sacerdotes Regibus eorum semper fuerunt à consiliis,ex quo Zamolxis Geta,Pythagoræ famulus, & Getis acceptissimus promisit Regi se denunciaturum Dei voluntates, si eum in Collegam Regni admitteret.Regibus suis ita fuerunt obedientes, ut cum Boerebista jussisset suos subditos vino abstinere, & vites abscindere, ipsi illico paruerint: similiter cùm Rex Olero, quod adversus Bastarnas male pugnassent, jussisset ut capturi somnum capita ponerent loco pedum,& suis uxoribus famularentur, ipsi obtemperarint, donec

donec ignominiam præclarè factis delerunt; ducenta interdum armatorum millia habuerunt sub signis. Augustus Romanorum primus eos domuit, & quingenta eorum millia traduxit, cis Danubium, ubi dicti sunt Moësi, Trajanus verò in Provinciæ formam redegit.

CAP. XXI.

Transilvaniæ pars altera ad flumen Alutum.

DAcia temporibus Trajani Regem habuit Decebalum, qui tantâ clade editâ conflixit cum Romanis, ut Trajanus dicatur *a* non pepercisse vesti propriæ, quam in partes conscissam suis partitus est militibus; ipso tamen capto Decebalo & occupatâ Regiâ, Trajanus de Dacia triumphavit, & Dacicus cœpit appellari, ad eam expeditionem Trajanus pontem, de quo superius memini, construxerat Decebalus postea necem sibi conscivit, caput ejus Romam delatum, & Dacia in Provinciam redacta, quæ Ripensis dicta est. Colonos deinde habuit Romanos, Sarmatas, Gothos, Hunnos. Quæ nunc dicitur Transilvania, incolas habuit Ciculos, Hungaros, Teutones, Saxones, qui regnante D. Stephano eam cum parte Hungariæ occuparunt. Habet & passim Valachos, qui nullis penè legibus obsequentes furtivo pecorum & equorum abigeatu se alunt, amicti vestibus pilosis ex lana caprina contextis. Saxones sunt agriculturæ studiosi, proprio singuli utuntur idiomate, singulique suæ

ſunt hæreſi addicti, ſi excipias 30. circiter millia Catholicorum ritus Græci. Hungari & Nobiles mixti ſunt Saxonibus, veſtitu, armis & ſermone cum Ciculis convenientes. Solum ſic ferax eſt pecoris, vini, frumenti, auri & argenti, ut merito Hungariæ theſaurus dicta ſit. Sunt ſylvis boves jubati mirâ pernicitate præditi, ſunt Uri, ſunt Equi ſylveſtres, quorum juba ad terram uſque demiſſa. Paruit diu Regibus Hungariæ, qui vices ſuas committebant Præfecto, quem Hungari Vaivodam nominant, voce mutuatâ à Sarmatis, qui hic appellant Provinciæ Capitaneum. A centum verò annis, quibus affectantes Ducis titulum, ſubduxerunt ſe à Regis clientela, coacti ſunt longè gravius ſubire jugum Turcorum, quibus pendunt quotannis grave tributum: ipſique Vaivodæ conſtituuntur, vel exautorantur pro arbitrio. Et ſi verò hæ tres nationes conjunctis viribus intra ſuos limites conſcribere 90. hominum millia poſſint, & quemcunque hoſtem ex iis repellere, vix tamen poſſunt, è ſuis finibus educere plures 15. millibus.

Patet Regio ſecundùm amnes Samos, Marizam & Alutam ultra Danubium, ſylvis & montibus cincta ex omni parte, niſi qua fluminibus anguſti patent exitus, qui firmis munitionibus occluduntur. Delineata jam à nobis eâ parte, quam Samoſus & Mariſius rigant, ſupereſt ut jam de Aluta dicamus.

Fontes habet in montis Carpati radicibus, Ciculiam alluit, Tranſilvaniam & Valachiam, & per anguſtas valles ſubit Danubium haud longè

ſupra

ſupra Nicopolim in lat 44.15. Ciculia Daciæ pars ad Carpati radices ſita eſt, ubi fontes amnium Biſtrici, Samoſi, Mariſii, & Alutæ. Rempublicam conſtituit, quæ ſeptem pagis, ſeu regionibus cõſtat, nulli ſubeſt Principi, ſingulæ tantùm familiæ dant bovem Vaivodæ recens electo, vel vitâ functo, vel novâ prole aucto. Dignitates inter ſe diſtribuunt ſorte, ſi quid de republica tractandum occurrat, ſuos habent conventus in præcipuo oppido *Neumarc.* Durum omninò genus hominum, bello natum, intonsâ barbâ & promiſſo capillitio horridum in prima ſemper acie dimicat: apud eos ignobilis nemo, & ſi caprino tantùm gregi præſit. Scribunt Hebræorũ more à dextra ad ſiniſtram. Alutus rigat eorum pagos Czich, Kyſdi, oppidaque ejuſdem nominis ſita in terra aſpera in ultimo Tranſilvaniæ latere boreali, hinc abit ad D. Georgii oppidum, & poſt minuta 14 augetur alio amne, qui rigat oppidum *Neumarck* in lat. 47. 35. & *Orbay* caput pagi cognominis, pergit poſtea ad *Mergenburg*, ubi excipit Burciam amnem (à quo hæc pars Tranſilvaniæ dicitur Burcia) cujus origo in montibus, in quorum anguſtiis, quibus ſolis itur Tergoviſtum, ſita eſt arx Turtzfeſt ad tutelam Mercatorum poſita, augeturque duobus rivis, ad quorum alterum habes Coronam, Germanis *Conſtat*, Hungaris Braſſoviam 47. 7. urbem munitam, fontibus irriguam, academiâ & inſigni Bibliothecâ ornatam & Græcorum negotiatione frequentẽ, tria habet ſuburbia diſtinctis vallibus poſita, quorum unum incolunt Bul-

gari, alterum Hungari, Saxones agricolæ tertium. Lino præcipuè abundat & frumento. Ubi Alutus Transilvaniam attigit & Barcensem terram à Ciculorũ metis dirimit, inde abit Fogaras 47. arcem in palustri loco munitam, si quæ alia, ex qua anno 1541. fraude eductus Stephanus Maylat Vaivoda, & missus Constantinopolim. Commune est emporium Valaceorum, Ciculorum, Aremenorum & Grecorum, nulla urbs populosior, illâ, cives & belli & pacis artibus instructissimi. Post minuta 27. præterluit Rotethum, hoc est, rubram turrim, castrum firmissimum, in quo Cibinienses cives excubias agunt in ipso montium ostio, per quod unicum in Transilvaniam Turcis patet aditus: supra hanc turrim Alutus excipit Cibinnium amnem, qui *Hermenstatt* rigat urbem Transilvaniæ primariam, amplam, munitam paludibus, duplici muro & fossis.

CAP. XXI.

Valachia.

QUæ duæ nunc regiones Valachiæ & Moldaviæ nominibus distinguuntur, superiori ætate, uno Valachiæ vocabulo censebantur, cùm verò eam divideret mons Hemus, in majorem & minorem ætas posterior divisit. Minor inter amnes Alutam & Strethum Valachiæ nomen retinuit. Minor, quæ borealior est, & ad Rusciam & Podoliæ Niestrum excurrit, Moldavia nunc appellatur. Incolæ originem repetunt à 30. hominum

minum millibus, quos Trajanus post debellatos Getas huc misit, ut terram colerent, & necessaria sufficerent exercitibus, quos Romani hîc tenebant contra Scytas & Sarmatas, quæque suo nunc paret Principi, quem Sarmaticæ gentis vocabulo Vaivodam, hoc est, summum Ducem appellant, vel Bogdans, hoc est, donum Dei, quod idem sonat quod Græcis Theodorus, seu Dei-donum, unde & Turci regionem hanc vocant Bogdaniam. Polonis sæpius, aliquando Hungaris utraque fuit stipendiaria, nunc & Polonis & Turcis. Vaivoda Talachiæ Turco pendit quotannis 120. mille florenos. Regio verò etsi immanibus silvis umbrosa sit plerisque locis & montibus altissimis obsita, fruges tamen benignè profundit, & pascendis pecoribus sic benigna est, ut omnia penè hinc emittantur armenta & greges, qui per Hungariam, Poloniam & Germaniam distrahuntur, præter 150. naves omnis penuriæ rei annona instructissimas, quas secundo Danubio per Pontum mittunt Constantinopolim quotannis. Equos etiam habet maximè vegetos, & laboris patientissimos, maximè, si castrati sint. Incolæ omnes, licet sint pastores, aut subulci, bellicossimi tamen sunt, sed plerique habentur dubiæ fidei, ad res novas propensi, & vino dediti. Mulieres assident mensis primæ. Ritum sequuntur Græcum, & parent Archiepiscopo Constantinopolitano. Præcipuæ urbes sunt Dombroviza ad amnem cognominem in lat. 45. Tergovisko Valachiæ caput, & sedes Vaivodæ ad flumen Jalonieza 45. 46. Brackovia, seu Brasckovia

ckovia 46. 30. Episcopalis civitas ad fontes ejusdem amnis sita versus montes. Denique Bralovium, vern. *Braillovv* 44. 45. ad Danubium proximè Moldaviam.

CAP. XXII.

Moldavia, Danubii ostia; Bessarabia.


MOldavia Daciæ pars, inter amnem Strethum, Danubii flexum & ostia, oram Ponti & fluvium Niester, qui eam dirimit à Podolia, patet in longum per leucas 64. bene grandes. Ipsi nomen à fluvio Multavo, vernac. *Moldavv*. Dicitur etiam Valachia Cisalpina, ab excisione montis Hæmi, qui hic interruptus Istro, iterumque resurgens committitur monti Carpatho: habet pro insigni caput Bubali, quod his abundet. Solo est uberi, quod tamen frumentum nigrius producit: solo est uberi & incolis referto, Græci ritus. Omnes sunt vel Boëti, hoc est, nobiles bello addicti, vel Agricolæ, qui vel in solo præpingui sementem faciunt, vel è visceribus montium aurum & alia metalla eruunt, vel colunt vites, ex quibus vina colligunt eximiè generosa, & quæ igne admoto flammam concipiunt. Equos habent totius Europæ præstantissimos. Nulli hîc Causidici, lites omnes, vel amici dirimunt, vel ipse Vaivoda. Felices & beati, nisi in limitibus Polonorum & Turcorum positi, dum singuli volunt eos habere sibi addictos & clientes, omnium paterent direptionibus.

Per

Perseuerarunt tamen in obsequio, & fide Polonorum ad annum 1611. quo Turcus Constantinum Vaivodam exautoravit, quod non misisset eum in possessionem; & in ejus locum Stephanum creavit Regem, qui illicò petitus bello à Polonis, dum ex Metropoli *Yas* sita in lat. 47 38. ad amnem Pruth fuga sibi consulit, eam in cineres redegit: vix enim supèrsunt ædes 600. cum prius numerarentur plures quàm viginti mille. Nunc utrumque colit, & Turco pendit tributi nomine 58. mille aureos Italicos in singulos annos, equos 500. & falcones 300. Vaivodæ succedunt filii etiam nothi, electum Turcus mittit in possessionem traditione vexilli, gladii & militaris clavæ. Urbs præcipua & sedes Vaivodæ vocatur Ciukau ad amnem Steitum in lat. 47. 56. Arces aut munitas urbes possidet Danubio proximas Romani Wasar 45. Bralla 45. 12. & Gallacz 45. 28. & interius ad Sterthum Romani-Wivar 45. 12.

Danubio ostia quinque tribuit Eratosthenes apud Strabonem, sex Ptolemæus, septem Ovidius, nempe quia insularum, quæ sunt ad ostium aliquæ aliquando per alluvionem conjunguntur continenti, aliàs aquarum violentiâ, una in plures dividitur, & de illis cum jam alibi diximus, tantùm addo quod circum ostia accolentibus, plurimus ex piscatione quæstus est, captos pisces eviscerant, saliunt, siccant, doliisque prægrandibus indunt, & per Pannonias & Sarmatiam distrahunt. Ab Istro ad Tyram fluvium stadia 900. Inter utrumq; fuit olim Ge-

tarum solitudo, qui cum Dacis ducenta millia hominum in bello aliquando eduxerunt contra Romanos, ipseque Darius contra eos movens, in periculum venit siti cum toto exercitu pereundi, quod Regio campestris sit & aquâ carens, sintq; tantùm duo magni lacus. Hęc nunc planities Bessarabia dicitur, olim Istra Moldaviæ, Provincia ultima ad Orientem. Interiora colunt Tartari, in sedes circiter 500. divisi, qui etsi origine sint Præcopi, & eorum more equorũ carnibus victitent, cõtra Præcopenses tamẽ has partes tutantur pro Vaivoda Moldaviæ. Turcus in ora maritima arces habet tres benè munitas ab an. 1485. Kiliam dictam, olim Licostomum, ad ostium Danubii ultimum, versus Boream *Tehinie*, ad fl. Niester seu Tiras. Et inter utramque Moncastro, olim Henonassa, ubi Bassam habet, qui sub specie impensarum ad munitionem contra Cosacos necessariarum exigit quotannis plusquam 100. mille asperos: sita est ad lacum Vidovo ab Ovidio hîc exule, ut ajunt, sic dicto.



GEO-

GEOGRAPHICA ORBIS NOTITIA.

LIBER DUODECIMUS.

CAPUT I.

Pontus Euxinus.

THracico egressis Bosporo se se ingens Pontus aperit, dictus olim Inhospitalis, seu Axenus, propter Scythas accolentes ejus litora, qui naufragos immolabant Iphigeniæ, hospitum se se carnibus ingurgitabant, & eorum calvariis poculorum loco utebantur. Græci, qui omnia horrida & crudelia vocant Nigra, ob eandem caussam appellarunt mare Nigrum, non verò ob aquæ colorem, quæ extra dubium candidior est, cùm minus sit profunda quàm aqua Ægei maris. His omnibus barbaris ab Hercule devictis, posteaquam Jones condiderunt in ora hujus maris aliquot oppida, Græcorum commercio emolliti sunt dictusque tandem Pontus Euxinus, seu Hospitalis.

Maxima ejus longitudo excurrit ad mille trecenta octoginta septē millia passuū, seu Stadiorū undecim millia, ac centū: Latitudo verò ad ter mille & trecenta Stadia. Curvatur in modum

arcus Scythici: Omnisque ejus velut insularis circuitus est millium 2875. seu Stadiorum 23. millium. Omnium marium minimè altus est, si mediū excipias, quod Bathea vocat Aristoteles, existimans hac parte cum mari Caspio meatu subterraneo commisceri. Limum & arenaceos pulvillos aggerant 40. circiter flumina, quæ ex omni parte in eum evolvuntur, & undas sic temperant, ut ex ipso Oceano, se agminatim ad hunc secessum conferant pisces, cùm ut pariant, tum ut in hac aquarum suavitate fœtus educent in receptaculis cavis, quæ sunt ibi plurima, & quod pontum nulla intret bestia piscibus malefica, preter Vitulos & paucos Delphinos. Inter Pisces omnis generis frequentissimus est Pelamis. Nascitur in palude Mæotica; ubi aliquid virium cepit, grege facto erumpit per ostium, & ad litus Asianum defertur usque ad Trapezuntem, atque ibi primùm capitur: sed longè copiosior, & ad salsamentum commodior ad Sinopem justam magnitudinem assecuta: indeque tandem ad cornu Bysantii tanta copia, ut possit manibus comprehendi.

Strato apud Strabonem existimat Euxinum mare caruisse aliquando exitu, qui est ad Bysantium, sed flumina, quæ in id effunduntur, vi eum aperuisse. Non probo; brevi enim exundasset aquâ in terras circumpositas. Ovidius hîc olim exul, pontum concrescere sæpius innuit. Certè Copronymi tempore ita riguit ut glacies tunc alta fuerit triginta cubitos, cui nix superfusa ad 20. alios cubitos.

Cap. II.

Podolia.

AMne Tyrâ, Ponto & Boryſthene cingitur pars Sarmatiæ, olim culta ab Alanis, Getis, Roxolanis & Baſtarnis, dicta nunc Podolia, Poloniæ Marchionatus, conterminus Moldaviæ, Ruſſiæ, Lithuaniæ & vaſtiſſimis Tartarorũ campis. Terra non invertitur quotannis, ſed inter metendum ſegete leviter excuſſa, ſequenti anno alia ſponte creſcit & reddit centuplum, ſit licet adeò dura & petroſa, ut bis ſenos ſaltẽ boves expoſcat ad arandum, ipſum verò aratrum in agris fortè derelictum intra paucos dies propter gramen diſparet. Cavæ arbores & rupes fiſſæ, ſolvuntur melle, cervis, bubalis, & equis ſylveſtribus plenæ ſunt ſylvæ. Tota autem Regio ſparſis tantùm viculis colitur propter Tartarorum incurſiones. Multi in ea montes & lacus, Palatinus verò unicus. Duplici potiſſimum flumine irrigatur Dnieſter & Bogo.

Dnieſter antiquis dictus Tyras, à celeri curſu, oritur in monte Bieſzkod in regione Prenysli in Ruſſia, Beſſarabiam & Valachiam dividit à Ruſſia & Podolia: urbes ſalutat Biſtricen, & Lipam in Ruſſia; Zidaciou, 49.40. Haliciam. 49. 25. vern. *Haliez*, munitionem, & Achoczin in Valachia, ubi amnem recipit Smotricz, qui arduas rigat, & abruptas rupes, inter quas latet Chamienicũ, vern. *Kamienyecz* 49.8. urbs præci-

pua Podoliæ à Turcis & Tartaris ſæpius tentata, in qua Epiſcopi duo, unus Latini ritus, alter Græci, Deinde ſicut olim medius volvebatur inter Niconiam & Ophiuſam, urbes Straboni memoratas, ſic nunc inter geminam Orihoviam, vern. *Orihou*, & priuſquam infra Tehiniam munitionem Turcicam miſceatur Ponto, amnem excipit ex lacu Kutzuram, ubi divites ſalariæ officinæ, propter quas in Podoliam frequentes excurrunt hoſtiliter Tartari Biologrodenſes dicti ab arce in ipſo pene ſita oſtio, fortè ubi olim turris, quam dicebant Neoptolemi, & vicus Hermonactis. Ab oſtio Tyræ, litus in ortum ſenſim obvertitur, deinde ad Septentrionem dilatatur in ſinum ampliſſimum, in quem ſe effundit Boryſthenes. In ipſo pene oſtio antiquitus fuit Olbia celeberrimum emporium à Miletiis conditum. Nunc verò urbs *Ozakovv* 48. ſeu Voſia, à Tartaris condita in Lithuanorum ſolo, à qua circumpoſiti Tartari etiam nunc dicuntur Ozacenſes, quantumvis eam Turcus obtinet. Sicut & caſtellum è lapide ſtructum, ſed non valdè munitum: hinc ad oſtium Bogi influentis in Boryſthenem numerantur Leucæ 4. lacus Podoliæ illum effundit. Inter varia oppida, quæ rigat, eminent Braclavia, vern. *Braclavv*, 49. urbs, cujus diſtrictus ampliſſimus, & quaſi Palatinatus cum arce lignea, in qua 500. Sclopetarii, qui contra Tartaros bella gerunt continua, & Codene aliis Pritolce altiſſimis montibus & fluminibus cincta, Chriſtianorum munitio ultima, ad quam Tartari ſæpius à Polonis profligati. Porrò Bogus putatur

tatur Hypanis antiquorum, qui ex grandi palude profluit ſapore dulciſſimo, donec ad quadrageſimum milliare miſceatur ei Exampæus exiguus fonticulus, qui ſuâ amaritudine totum corrumpit fluvium. Eidem præterea miſcetur amnis alius, qui rigat radices montis, cui impoſitum Barum oppidum, conditum à Bonna Sfortiæ Ducis Mediolanenſis filia, uxore Sigiſmundi, paludibus vallatur, eſtque munitio tuta.

Cap. III.

Kozaci.

A Voce Ruthenica Cozac, quæ ſignificat militem vagum, appellantur 40. circiter Chriſtianorum millia, qui in Podolia & Valachia ſtantes ſemper in procinctu, per fines Turcorum & Tartarorum diſcurrunt perpetuò, & innumera ipſis terrâ marique creant damna. Prodiêre primi ex Cirehes inſula Boryſthenis, nunc è gente Polonorum plerique ſunt oriundi, omnes ſtirpe nobiles, ſed tenuioris fortunæ, vel qui non adeunt hæreditatem ex jure gentis fratrum poſteriores. Turci eos vocant Ruſſos, Galli *les Roux, ou Rouſſeaux.* Nunquam potuerunt ex ea inſula expelli, quod grandioribus arundinibus prætexta, majoribus navibus aditum occludat. Ipſis deeſt nihil, quantumvis nec ſerant, nec metant: Palatini dant ſtipendia, victum Provinciæ, in quibus degunt, & quas tutantur diviſi per turmas 110. equitum, præter ſervos, qui pari numero ſubſequuntur & excenſionem faciunt, ſi quæ

plaga equo Domini imponatur. Depugnant induti Læna farta Kylo Moscorum ritu, quæ lanceis resistit & jaculis, armati sclopo breviori & catapultâ graviori, nec non unius aciei recurvo gladio, quem cathenulâ aureâ pendulum habent è carpo; discurrentes autem huc illuc, & fingentes velle se ex diversis partibus congredi cum hoste, distractum in varia fundunt facile, tympano canunt ex ære, nunquam tubâ, nisi coram prętore, quem sibi constituunt, qui fidem Polono Regi spondet. In Mari Vectarios habent lembos, quos dicunt *Caics*, tectos boum tergoribus, in quibus foramina circiter 40. pro totidem hominibus, qui eas sibi pelles loris coriaceis ita applicant, ut nulla aquis pateat via, nec impediantur propterea, extantes medio corpore, vel tractare arma, vel remigio incitare navigium. Quinquageni, ut plurimùm propter litus navigant, ad suburbia propè Constantinopoleos. Quod si tempestas oriatur, vel Triremibus impares sę sentiant, ad Paludes Mæoticas se conferunt, lembos perforant, subsidunt aquis, & spiritum ducentes arundine, quam sic ori admovent, ut extremum illius aquis emineat, tam diu latent, donec sedato mari emergant, & ejectâ aquâ ex improviso, triremes adoriuntur, & eas frequenter obtinent. In accuratissimis recentiorum tabulis non reperi insulam Cirebes dictam, sed Tomakoukam sitam in Borysthene leucis 18. supra ostium Bogi, in qua Nisovii Kozacii tanquam in arce firmissima habitant.

Cap. IV.

Borysthenes.

Borysthenes Ptolemæi, quem Danastrum vocat Jornandes in Gothicis, fluvius est Europæ totius post Danubium maximus: fontes habet è duplici lacu Russiæ; uni nomen Wolock, ab urbe ipsi proxima, cui etiam imminet Monasterium Sanctissimæ Trinitatis. Alteri nomen Dnieper in sylva Wolkouski, à quo nunc Borysthenes communiter dicitur fl. Dnieper. Inter omnes Scythiæ amnes, turbidis aliis, limpidissimus fluit & tenuissimus, unde & Hipani innatat, quando auster non flat, nullum halitum emittit. Plinius ait æstatis tempore fluere cæruleum. Jucundissimus est ad potum, alit quibusdam locis lætissima pabula, magnosq; pisces, quibus & optimus sapor & nulla ossa. Inferius verò maximè ab oppido Cirkassi 49. 30. labitur inter rupes altas & præcipites, quibus sic vallatur Lithuania, ut locis tantùm decem aperiantur, in quibus armati semper excubant bene multi, vel in insulis, vel in salicetis, qui nullo negotio fundunt Tartaros, quando armis nudi volunt transmittere cum suis equis, qui non secus flumina innatant, quàm oblongi & cirrati pili canes: quod si per deserta aliquando, ultra Circassos progressi Voluniam depopulantur & Lithuanos in servitutem abducunt, redeuntibus illis cum præda, Kozaci sæpius occurrunt, qui tam abacta, quàm abigæos abigunt. Cōmuniter verò

verò dicitur Borysthenem fluere melle & lacte, quod pars superior silvis obsita sit, quæ favis turgent. Inferior vero insulis implicata sit, in quibus pascua sunt longè uberrima.

Accolæ hujus fluminis dicti omnes ab antiquis Borysthenidæ: in superiori nunc parte Moscus obtinet munitiones Wolock, Wiesmam, Drohobusch 56. 25. & *Smolensco*, 55. 23. civitatem Episcopalem amplam, muro cinctam, qui altus est decem ulnas, nec non arcem è roboribus ædificatam in silvis in confinio Livoniæ & Lithuaniæ, à Polonis, Turcis & Moscis sæpius obsidione cinctam. In medio arcis templum est scopulo superstructum Divæ Virgini sacrum.

Hinc post 12. leucas ingreditur Lithuaniam & urbem rigat Dubro Wnam 54. 55. Ubi Borysthenes sternitur ponte, cujus partem mediam, si illuxetur, reparant Lithuani, reliquum Mosci; ad eum anno 1514. Moschorum cæsa 40000. à Constantino Duce, auspiciis Sigismundi I.

Infra est Orsa ad confluentem amnis cognominis, utraque in Palatinatu Vitebskæ urbis ad Dvvinam sitæ. Sequuntur Kopis, Siclovv, Milohovv, Pichlovv, Reczycza Wiszegorod & Lubctz oppida Palatinatus, cui nomen ab urbe Mezislavv, sita ad Sosam amnem in finibus Moscoviæ, firmo semper munita præsidio.

In Borysthenem postea effundunt se flumina Berezina, Sosa & Pripetius. Hic major cæteris è lacu in regione Chelm fusus, per immensas oberrat paludes Polesiæ, & variis præterea augetur amnibus, quorum præcipui Sterus, qui ab austro fluens

fluens per Palatinatum Voliniæ, ejus urbes rigat Krzemieniec 50.18.& Luceoriam,vern.*Lusuc*,urbem Episcopalem 50. 40. Ab Septentrione verò excipit fluv. Sluscensem, qui urbem perluit *Sluczk* 53. Ducatus cognominis caput, qui patet 30.m Polon.longitudinis, totidemque latitudinis. Dux quidem Regi Poloniæ subjacet,thesauro tamen & gazâ cum potentissimis Italiæ & Germaniæ principibus contendere potest.Estque ut plurimùm idem Sluscensis Dux, Palatinatus Vilnensis, & Campiductor Lithuaniæ.

Infra ostium Pripetii deinceps situs est Palatinatus,cui nomen à Kiovia 50.23.vern.*Kiovv*,totius Russiæ olim Metropoli,cujus perimeter fuit 6.milliarium, posita in agro melle, pecore,frumento & piscibus divite,nec non clara emporio, in quo frequenter sericum viliori pretio distractum fuit,quàm Vilnæ linum,nec non aromata, quam sal. Hac siquidem pertranseunt Borysthenem, manus catervatim euntium contra vim grassatorum, quæ prius ex Indiâ, Perside, Arabiâ & Syriâ Capham appulerunt, hincque abeunt, in Poloniam, Suediam, Daniam & Germaniam cum mille plaustris & pluribus camelis aureo filo,gemmis, serico, aromatibus & similibus pretiosis mercibus onustis.

Infra Kioviam Borystheni miscentur fluvii Desma & Semus,qui SeveriensemMoscovię Ducatum, & uberrimos, si colerentur, campos rigant, & in his *Bransko* 54. oppidum vastæ vicinum sylvæ,quæ tota melle diffluit, & in qua frequens Martes & mus, quem plerique *Ponticum* melius

melius dicerent Severinum, vulgus appellat *Hermines* Eidem Desnæ apponitur *Novogrodek* 51. 30 caput hujus Ducatus , & sedes Principum priusquam Moscoviæ Ducatui subjiceretur. Semo proxima est urbs *Potivvol* 51. 48. in qua sicut & in toto hoc Principatu , totius Moscoviæ bellicosissimi propter Tartarorum Præcopensium vicinitatem.

Ultra progredienti 25 leucas occurrit Circus, vern. *Czyrkassi* 49. 30. Russis militibus strenuis habitata , deinde vasta desertaque solitudo , & campi , in quibus ad urbem Oczakou nulla habitatio propter continuas Tartarorum incursiones,nec non Cozakorum , qui ad ostium Borysthenis sex leucis supra Oczakam 47. 30 possident insulam Cirehes, ex qua oriundi,qui nomē huic militiæ dederunt primi , & in qua interdum commoratur,qui ab illis præpositus deligitur.In his solitudinibus Darius Histaspides bellum gerens adversus Scythas , siti cum exercitu penè confectus est. Hîc etiam Lysimachus à Dromicheta Getarum Rege vivus captus.

CAP. V.

Regnum Scythiæ Parvæ, seu Tartariæ minoris.

ETsi ad Thraciam & ostia Istri suos interdum dilatarint fines antiqui Scythæ, hocque nomen transierit aliquando in Sarmatas , & omnes borealis & extremæ Europæ populos cæteris ignotos, propriè tamen sola Regio, quæ inter Bory-

Borysthenem Tanaim & Pontum excurrit, dicta est Scythia Europæa, seu minor, ad differentiam majoris, quæ à Tauri verticibus per Asiam, ad Orientalem Oceanum & Oxum Bactrianorum flumen longè lateque diffunditur.

Abrahamo generis sui authore gloriantur, qui eam incolunt Pastores Scythiæ à commerciis aliarum nationum alieni, multitudine ac virib' præpotentes in armis semper expediti, semper liberi, nunquam penitus comiti ab externo Principe; imò invicti & inexpugnabiles, quod nihil habeant, cujus causâ servitutem sustineant ab exteris; inter ipsos verò omnia sint communia, demptis gladio & poculo. Plerique omnes semper vagam duxerunt vitam & Nomades fuerunt, Martem colentes pro Deo, cui pro simulachris enses & tentoria dicabant. Chersonesii, peculiari nomine dicti Georgi, hoc est, agricolæ, quod fixas haberent sedes in Chersoneso, & in proxima ipsi planicie, in quibus agriculturam exercebant. Numidæ & Roxolani supra eos habitabant suis subditi Principibus, quos semper electione accipiebant non successione, qui Tyranni dicebantur, quantumvis justè imperarent. Hamaxabitas dixit Pomponius, quod plaustris utebantur vice domorum. Fuerunt & Tauri celebres, de quibus memoratur, eos, qui in multa Principis fuerant gratia, eo vitâ functo eódem conditos tumulo; quod si è vivis primi excederent; ipse Princeps partem auriculæ sibi amputabat.

Enituit & Silurus Princeps Roxolanorum 80. filio-

filiorum parens, quos proposito fasciculo totidem hastilium, quorum singula perfacile esset confringere, simul omnia impossibile, ad concordiam morti proximus excitavit. *Persarum* Medorumque Reges ipsumque Alexandrum M. aliquando superarunt, patuitque illis iter usque in Ægyptum. Mithridates devictis Roxolanorum 40. millibus, summam quidem rerum obtinuit, sed brevissimo tempore; nam Romani superato Mithridate, *Principem*, qui Bospori Rex dictus est, eis constituentes, libertati pristinę gentem restituerunt, quæ semper dicta est Scythica, ad annum circiter 1200. quo exercitus Asianorum Scytharum, qui ab amne Tartar dicebantur Tartari, Hoccotæ Kami, hoc est, Regis ductu, magnis agminibus inundarunt Asiam, jamque *Perside* subactâ & totâ fermè Asiâ potiti, transmissis Volga & Tanaï per *Poloniam* Hungariamque populabundi, ad Austriam usque pervenerunt, ubi egregii aliquot viri è Franciscana & Dominicana familia, cum efferas barbarorum gentes mitigassent, Mago seu *Meto*, novus eorum Rex Christianis initiatus sacris, post expulsos è Scythia Europæa Russos & Lithuanos, unam gentem cum antiquis Scythis constituerunt, indeque in hanc diem omnes dicti minores Tartari, qui regnum ita stabilierunt suū, ut urbes nullas possideant, præterquam in Taurica Kersoneso, in qua sedem regni habet Kamus. In campis *Scythiæ minoris*, antiqui moris tenacissimi degunt Nomades in scenas, seu hordas distributi, herbosa loca cum suis pecoribus & vehiculis

culis levi vimine, luto, vel pecudum fimo oblitis, ſubinde mutantes. In regni limitibus Pontum; Tanaim & paludes invias habent pro vallo, & circa Boryſthenem vaſtiſſimos campos omninò deſertos. Sic colunt ſuum Principem, ut in iram Dei cadere opinentur, qui ejus detrectat mandata. Soli Mahumetanorum Tartari caput ante Principem aperiunt. Ita ſe porrò in hanc diem conſervarunt, ut nullus ſit omninò ex circumpoſitis Principibus, qui Kami amicitiam non colat, aut ejus non vereatur arma. Moldaviæ Vaivoda ad eum ſingulis annis mittit 20. mellis plauſtra, ſingula 4. bobus tranſvecta, & equas 50. Polonus 40. millia ſequinorum Hungaricorum: multa alia Moſcovitæ & Circaſſi; & licet hi Principes ea mittant nomine honorarii, illa tamen pro tributo Kamus accipit, & niſi mittantur, immiſſis exercitibus illa repetit. Ipſum Ruſſiæ Imperatorem Cholop, hoc eſt, ſuum ruſticum, ſeu ſubditum appellant, & verò Reuſſiam poſſidere per 260. annos.

Et ſi verò Turcum anno Domini 1584. Kamus agnoverit Dominum, nullo tamen tributo eum colit, quin potius ſibi in ſucceſſione Imperii, ſi deficiat Othomannorum familia, Tartarorum Kamum ſubſtituerunt Imperatores Turcici, & ad eum quotannis veſtes & pecunias mittunt, ut Turciæ fines cõtra Polonos & Moſcovitas tueatur. De ſententia & voto Ducum & Murzorum, è filiis vel fratribus unum Kamus deligit, qui tunc Galga dicitur, ipſique ſuccedit in imperio. Infra dies 20. aut ad ſummum intra menſem,

140. mille equites, imò plures poteſt educere in aciem: quando enim ſuos evocat, tenentur omnes viri ſiſtere ſe expeditos in equis, unico in ſingulis familiis relicto, qui plauſtri & gregum habeat curam, ſecumque in utre farinam habere è milio, carnes ſiccas, allia & his ſimilia, quæ ipſis ſufficiant in cibum, per 3. menſes: vix autē ullus eſt, qui loro tres quatuorve, equos non ducat ad manum pergens ād bellum, ut noctu diuque ſummâ incedentes pernicitate defeſſis ſuccedant nullo gravati onere, ſingulos ephippio, & ſcandulis pedariis è ligno inſtruunt, fręnum nullum ori injiciunt, ſed tubulum ferreum, & habenis tantùm utuntur, ut deducant manu, vel alligent, nulla induunt calcaria, ſed flagello utuntur, & certis quibuſdam vocum formulis, quibus eos vel urgent, vel in quamcunque volunt partem, convertunt. Omnes propemodum caſtrant, ut eos habeāt ad parendum manſuetiores, etſi enim parvi ſint & macilenti, ſunt tamen acres, admodum veloces, & contumaces.

Equorum velocitati par eſt hominum pernicitas, penè ſemper adſunt improviſi, urbes diripiunt, populantur agros & deſcedunt. Si hoſtium occurrat exercitus, obequitant in conſpectu ejus diviſi, eum à latere, à tergo, à fronte deni, & deni petunt; ſi terreat, vel locus ſit iniquior, diu non reſiſtunt, ſed eadem velocitate & fugiunt & inſequuntur, ſi hoſtis inſequitur etiam fugientes eminus illum telis obruunt, mox converſâ facie inſiſtunt, laceſſunt, & multiplici periculo ſic implicant,

plicant,ut penè ſemper victores & prædis onuſti redeant in patriam,& ad ſua plauſtra.

Cæterum Tartari penè omnes mediocris ſunt ſtaturæ,graciles in cingulo, inter oculos & genas pluſquam alii homines lati, barba ferè omnibus minimè creſcit, & ſuper verticem capitis in modum clericorum habent coronas,atque ab aure una, uſque ad aliam ad latitudinem trium digitorum ſimiliter omnes radunt. Plauſtris utuntur pro domibus iiſque boves tantùm jungunt; lacte acido,caſeis & carnibus victitant,ſed delectantur potiſſimum equina, inter Ephippia & dorſum equi per aliquot horas macerata. Eadem veſte utuntur cùm viri tum fœminæ, tantùm mulieres caput tegunt, viri pileo utuntur oblongo è lana. Tria apud eos ſumma crimina furtum,adulterium,& armorum geſtatio,prçterquam ſi quando longo ſe committunt itineri. Cùm verò plures ſingulis licitum ſit uxores habere,accidit non ſemel,ut plures 40. Principi viro nati ſint liberi uno & eodem anno: hoc demum peculiare gentis hujus, quod nulla, ritus à majoribus acceptos conſtantius colat: etiam in hunc diem uxor viri alicujus Principis, ornata gemmis,non dedignatur vehi plauſtro vili,quod boves trahent, nunquam verò equi. Sic Mahometis colunt deliria,ut tamen Chriſto nomen dare nullâ lege prohibeantur.

-ᴥ (*,*) ᴥ-

Cap. VI.

Scythiæ minoris Chorographia.

STatim à Borysthenis ostio ad ipsum propè litus sunt lacus quatuor, ex quibus calore solis concrescit sal. Deinceps recedunt sinus Tamyraci & Carcinitæ, olim sic dicti ab urbibus Tamyrace & Carcyne, quam duo flumina Cerros & Hipacitis, uno ostio effluentia tingebant. In ora maris insulæ sunt aliquot, quondam peninsula ad instar fasciç porrecta in mare per mille stadia, duobus lata, Achillis *Dromos*, seu cursus dicta, quod olim Achilles mare Ponticum ingressus, ibi ludicro certamine celebrasse dicatur victoctoriam, & cum ab armis quies erat, se ac suos cursu exercuisse. In toto hoc sinu nihil dignum memoriâ, apparent tantum rudera antiquarum urbium usque ad Nigropolim, quæ sita est ad amniculum, qui eidem sinui nomen suum communicat. Sequitur Chersonesus longa quinquaginta leucas, lata 20. dicta Mæotis à Mæotidis populis, qui margines ipsius habitabant, vel Taurica, quod Osiris illic bobus junctis terram colere docuisset incolas, qui inde dicti sunt Taurici & Georgii : licet enim occidua ora montibus sit aspera, procellis, & aquilonibus horrida ad Theodosiam usque , reliqua tamen prædita est campo tam fertili, ut ager non trigecuplum tantùm , sed centuplum rèddiderit sæpius; insulisque Græciæ & Constantinopoli frumenta hactenus suppeditarit, ut Sicilia Italiæ. Unde & legimus

gimus olim pependisse Mitridati, Eupatori cxxc. medimnorum millia, & talenta argenti ducenta, numeratasq; urbes 30. nunc Borealis pars Kamo patet, Australis Turco. In parte Australi, ad sinum Tamyracem de Negropoli sita Precopia, vern. *Precops*, ad isthmum collocata, non procul à fossa quæ Tauricam muniebat. Minutis ab ea 25. est Coslovia portus commodus & præfecti sedes. In medio Chersonesi ad fontes amnis Almæ est Baccasara, vern. *Baccasaray*, 47. 40. inter duos montes collocata, sedes & sepultura Kamorum, à qua minutis 35. versus ortum est Krimea *Krim*, unde toti regioni nomen Tartaris Krimski, urbs ampla à Tartaris culta, ubi moneta cuditur, & ubi illustre Kami Gynecæum. Turcus anno 1475. Theodosia seu Capha expulit Genuenses, quæ celeberrima urbs est totius Chersonesi, ambitus 4. milliariorum prædita portu tuto & capaci, estq; in hanc diem sedes Beglerbegi Turcici. In ostio Bospori, è regione Thoman arcis Turciæ in Asia, habes Kerkiam arcem, ubi olim fuit Panticapeum sedes Bosporanorum Tyrannorum, seu regulorum Bospori, quorum ultimus fuit Parysates, qui Mitridati se submisit. In tota hac Chersoneso, multi incolæ adhuc sapiunt Italicam originem & urbanitatem. Præter frumenta, hinc etiam educuntur, sal, mel, cera, strutiones, palamides, betargæ & alii pisces sale conditi magna copia. Isthmum quo tanquam radice continenti advertitur, munivit olim Asander muro ducto per 360. stadia, denis turribus in singula stadia constitutis, fossis

 & vallo,

& vallo, deinde munierunt servi, dominorum uxoribus congressi, cùm domini diuturno bello contra Thraces abessent. Mediam leucam vix nunc excedit Isthmus, à voce Scythica, quæ fossam sonat dictus *Precop*, & ab eadem urbs ipsi imminens, quæ prius dicta est Taphræ.

Secundum Mæotida, remeantibus occurrunt lætissima pabula in paludem vergentia, campi fertiles, sylvæ, & vastæ solitudines, in quibus Tartari sua pro domibus plaustra habent, & sequuntur pascua, hyeme in paludibus, æstate in campis. Venationes præterea habent in paludibus cervorum & aprorum, in campis onagrorum & caprearum. Est hîc Colos animal magnitudine inter cervum & arietem media, album, cursu quam illa velocius, quod naribus aquam in caput haurit, ibiq; per dies plures reservat, sicq; facile vivit in locis aquæ expertibus. Cæterum tota regio externis omnibus algidior, imò nec asinos alit, quod frigoris impatiens sit illud animal. Præterea constat in toto hoc tractu, qui est extra Tauricam, amariorem esse aquam, & nisi altiores putei effodiantur, aquam dulcem hauriri non posse, unde quibusdam in locis ita est frigida, ut hydrias ex quocunq; metallo conflatas disrumpat.

CAP. VII.

Tanaïs, & Palus Mæotis.

TAnaïs quibusdam dictus Scythis, à Scytharum regione quam perluit, Russis *Don* appellatus,

pellatus,oritur in Moſcovia,in lat.53.ex lacu 500. millia longo Joannis dicto, vulgò *Iuvanovo Iezièro*, ſylvis cincto undiq;. Primum recta per Tartarorum lætiſſima prata, & agros verſus ortum labitur ad locum, qui vix 40. millibus removetur à fluvio *Volgâ*, unde convertens ſe in occaſum, & auſtrum, minorem Tanaim excipit, ortum in Principatu Sevverski, & per ſaxa & montes dejectus, adeo præceps ruit, ut licet pleraq; Scythiæ ipſaq; flumina palus Mæotis hyeme congelentur; hic tamen algoris impatiens, & incitatus duobus oſtiis diſtantibus inter ſe ſtadia 60. evolvitur in paludem Mæotidem, ad oppidum Tana, commune olim Europæorum Aſianorum & Nomadum emporium, aliis pelles adferentibus, alteris veſtem,vinum, aliaque ad cicurem vitam pertinentia commutantibus. Dicitur nunc *Azoph*, eſtq; munitum arce, & Turcorum firmo præſidio. Aromata enim,gemmæ, aliæq; merces Orientis ab Indico mari ad Indum fluvium, hinc ad Oxum, inde ad mare Caſpium, hincq; rurſus ad Aſtracanum celebre oppidum, olim Tartarorum Aſtracanenſium ad Volgam ſitum,poſteà Tanam caravannis deportantur: demum Capham,unde per totam Europam Venetorum & Genuenſium navibus diſtrahuntur,non ſic tamen ut olim, quando Europæis nec dum patebat navigatio in Indiam, per bonæ Spei promontorium. Porro licet fons leucis 80. Germanicis vix diſtet ab oſtio, ſi recta incedas linea, nullus tamen 20. diebus propter flexus & mæandros eum poteſt enavigare.

Abundat optimorum piſcium varietate , & amœniſſimas habet ripas, arboribus , ad inſtar horti conſitas, ubi mira ferarum copia, verùm autumno tantum,quando pluviis augetur, poteſt ferre onerarias.Kamus Tartarorum, ut Turco gratificaretur , eiq; in mare Caſpium & Moſcoviam aperiret viam , annis ſuperioribus tentavit foſſam ducere à Tanai ad Volgam per 40.mille paſſus, verum impeditus à Moſcovitis & fuſo ejus exercitu,in quo cenſebantur 80. Tartarorum millia & 25. Turcorum , coactus eſt opus differre ad aliud tempus. Poſtea tantum opus perfeciſſe dicitur Sachaïnbeierus *Camouz*, à quo & foſſa *Camouz* dicta , extructis inſuper 17. turribus & firmo munitis præſidio, & ditioni ſuæ poſt inſignem cladem ſubjeciſſe Tartaros Nogaienſes,qui prius ipſi in Aſiana Tanais ripa, non leve negotium faceſſebant.

Ab emporio *Aſoph*, C. ſtadiis, ſita eſt Alopecia inſula, quam convenæ homines habitant, ſunt & aliæ parvæ inſulæ pone in palude; Ab oſtio Tanaïs, qui litus legunt , numerant ad boſporum 2200. ſtadia, quæ tota ora hominibus eſt frequentata,& per eam influunt in paludem varii amnes, inter quos uterq; Rhombita major & minor , necnon Vardanus ad cujus oſtium in lat. gr. 48. ſita, urbs Mapeta nunc Copa : habes poſtea promontorium necnon oppidum dictum Cimmerium, ſedes antiqua Cimmeriorum, ſive Cimbrorum. In ore verò Boſpori habitarunt Mæotæ, à quibus non ipſa modo palus dicta Mæotis,ſed præterea omnes populi

per

per novem mille ſtadia, quibus omnis ejus ora definitur, eam adhabitantes dicti Mæotæ; Temerinda vocabant Scythæ, quaſi hæc palus mater eſſet Ponti, & quod perpetuo aquarum agmine defluat in Pontum. Cæterum aqua non multum alta per totam paludem. Quin pars ejus occidua Iſthmo proxima putris lacus dicta, minoribus tantum navigiis pervia eſt propter cœnoſa vada. In litore ſunt brevia quædam ac ſcopuli, infra aquam, latentes aliqui. Fauces ita cōgelantur hyeme, ut in iis, quo loco Mitridatis Legatus Barbaros, in Æſtate navali pugnâ devicit, eosdem in glacie ſuperarit equeſtri prælio in Hyeme. Palus in Pontum effluit per Boſporum, qui longus eſt 87. mille paſſus, latus verò ubi anguſtiſſimus eſt inter Parthenium & Achilleum 20. ſtadia. Ad Achilleum vicum fuit fanum Minervæ Diſſipatoriæ à Megarenſibus ob diſſipatos hoſtes excitatum. Duæ exinde urbes Phanagoria nunc dicta Taman munitio celebris, & firmum Turcorum præſidium, ſedesq; Sangiacbegi, & in ipſo angulo Corocondame.

Cap. VIII.

Circaſſi.

DEſinente Boſporo in ore Euxini, oram quæ excurrit verſus Orientem incolebant olim Populi Coraxii dicti à monte Corax, cujus radices incolunt, qui etiam reperiuntur dicti Achæi, Zigi, Heniochi, Cercetę, Moſchi, Colchi,

aliisq; nominibus, qui omnes ad Caucasum, subditi erant Regi Bospori, in quibus oppida alicujus nominis fuerunt Hermonassa, portus Syndicus, urbs cum portu Batâ hoc est profundo Psychrus, seu frigidus amnis, Oenantia, amnis Thessyris, Corax fluvius, postea Colchi.

Dicuntur nunc omnes uno nomine Circassi quotquot à Tanaïde palude, Bosporo, & ora Ponti ad Coraxem, seu Colchidem habitant. Horum aliqui parent Kamo Præcopensi, alii Turco. Maxima pars construit Rempublicam à 5. montibus denominatam, à quibus etiam dicti sunt Christiani quinq; montium ritus Græci. Regio omnis patet, tam in longum, quàm in latum itinere dierum quinq;, estq; vel palustris, sed quæ calamum aromaticum producit magna copia, cujus radicem magni faciunt Medicorum filii, vel montibus aspera: proptereaq; aditus omnino difficilis. Habitant in mapalibus ex arundine. In iis conjuges ita decumbunt, ut caput unius sit ad pedes alterius. Solum nec vina producit, nec frumentum, sed tantum milium. Valle Cromuc nulla est cultior nec frequentior incolis. Generosi sunt & strenui in bello, omnes equites. Pleriq; suam locant operam Moschorum, Turcorum, vel Persarum Imperatori. Non pauci paupertate coacti se in servitutem tradunt aliis, quin etiam dicunt viros ante ætatis annum 60. nunquam ingredi Ecclesiam, sed quasi fures ab ea arceri, tantumq; ipsis permitti stare in equis pro foribus templi. Nulla urbs, nec vicus muro cinctus aut vallo. Loca duo sunt ad mare

alicujus

alicujus nominis, Copa ad ostium Rumbitæ, & Maurus portus, utcunq; frequens ad ostium Londiæ seu Frigidi amnis in Euxinum. Pleriq; Mamulchorum Ægypti ex hac gente olim duxerunt originem.

Cap. IX.

Moschitæ, Colchi, Mingreli.

A Fluvio Coraxe incipit Moschica regio olim tripartita, primam Colchi, alteram Iberes, tertiam Armenii inhabitabant. Colchis patebat secundum Pontum Euxinum, à Coraxe ad Phasim, subjecta Caucaso, & majore sui parte imminens mari. Regio bona, fructusq; ejus boni, melle dempto, quod plerumq; propter buxum hîc frequentem amaroris aliquid habet; rebus ad naves compingendas omnibus prædita est; multam enim materiam producit, linum copiosum, cannabin, ceram & picem. Lanificia etiam hinc evehebantur in peregrina loca. Aiunt verò aurum illuc deferri à Torrentibus, quod Barbari excipiunt alveolis perforatis & velleribus laneis, unde etiam aurei velleris extiterit fabula. Est præterea venenorum feracissima, quibus mirabiliter cuspides inungunt, quibus sauciati fœtidi admodum sunt & molesti. Regnum fuit Æetæ Regis & *M*edeæ patria, huc ferunt Jasonem cum Argonautis navigasse, *M*edeæq; artibus adjutum, aureum vellus, inde retulisse. *M*ithridates deinde istis potitus est regionibus, indeque ad rem navalem magna obtinuit subsidia, quo mortuo ditio in multos dissipata est.

Mingreliam nunc appellant regionem hanc, itinere dierum 9. extensam secundum mare, dierum vero trium in latum, alii Avogasiam dicunt. Rex illius exiguo admodum tributo colit Persarum Regem & interdum Turcum. Incolæ Christiani ritus Græci Constantinopoleos Patriarchæ addicti. Urbes præcipuæ memorantur Pezzonda antiquorum Dioscurias & Sebastianopolis , emporium antiquis memoratum ad quod 300. nationes diversarum linguarum conveniebant, ut habet Plin. l. 6. c. 5. qui addit à Romanis 130. interpretibus negotia ibi gesta, ubi concilium 300. virorum,& unde poterat educi exercitus hominum ducentorum millium : fuit etiam in his partibus Leucotheæ templum opulentissimum quod diripuerunt Pharnaces & Mithridates. Præcipuus Colchidis fluvius est Phasis in Armenia ortus ex multis scaturiginibus, fluvios postea recipit Glaucum & Hippum è vicinis profluentes montibus, deinde Sarapana Colchicum castellum præterfluunt. Sursum navigatur magnis navibus per leucas 35. minoribus vero per longum spacium usq; ad Georgiam ex qua in Colchicam seu Mingreliam labitur per angustias in quibus pontibus sternitur viginti supra centum. Imposita est Phasidi urbs ejusdem nominis Colchorum emporium ab una parte fluvio, ab altera lacu , à tertia Mari cincta, ubi ipsi prætenditur insula Satabello ; Ejus aquæ leves sunt adeò, ut mari enatent , nec ejus aquis per longum spatium misceantur: per hunc Jason subiisse dicitur Colchidem eidemque

antiquam

antiquam Oetam fuisse proximam. Amurathes 3. ducturus exercitum in Iberiam & Mediam ad ostium Phasis arcem ædificavit quam Iberi & Persæ æquarunt solo. Strabonis ævo Phasis & Euphrates erant Romani Imperii limes versus Orientem.

Caput X.

Caucasus Mons, Iberia & Albania.

MOntem utriq; superpositum mari, Euxino scilicet & Caspio, qui Isthmum ter mille stadiorum, quo ea distinguuntur, intercludit, Scythæ vocant Caucasum, hoc est, nive candidum: incolæ antiqui Caspium, recentiores Cocas.

Tantæ est altitudinis, ut ab eo astra majora visantur, Scythæq; propterea ejus accolæ siderum ortus & occasum distinctius percipientes, rei Astronomicæ peritissimi sunt. Arborum dives est omnis generis, cùm aliarum, tum ex quibus naves compinguntur, abundat & herbis veneficis, & vulturibus. Ex eo tanquam communi stirpe in omnes orbis partes varia sese distendunt Montium brachia, & Cubiti, dicti Caucasii, Tauri, Heniochi, Moschici, Coli & mille aliis nominibus: Prometheum à Jove in eo alligatum fabulantur Poëtæ, alii à Marpesia Amazonum Regina quæ hîc ad tempus demorata est, vocant cautes Marpesias. Ejus partes excelsissimæ tendunt ad Albaniam Iberiam Colchos & Heniochos, qui ab extrema Iberia ad ostia

Vardani & Cimmerium promontorium versus occasum & paludem *Mæotidem* excurrunt, dicuntur Corax & Cimmerii, montes vapidi & caliginosi in quibus ignavi domus & penetralia somni à Poëtis constituta. Ab eadem vero Iberia partim ad Eurum & partim ab Boream-Eurum Ceraunii montes qui duobus tantum, vel ad summum tribus aperiuntur locis quibus tanquam portis via est in Sarmatiam & Scythiam, unde & eas fissuras majores vocant Portas Sarmatiæ, & Pylas Albaniæ. Summa montium incolunt aliqui, alii in saltibus degunt & vivunt potissimum ferinis, frugibus silvestribus & lacte, vertices hyeme conscendere non possunt, æstate scandunt pellibus subligantes calceos aculeatos è tergore bovis crudo confectos, latos instar tympanorum propter nives & glaciem, delabuntur pelli insidentes una cum fasciculis suis, idemq; fit in montibus *Mediæ* & Armeniæ, ubi rotulas ligneas aculeatas plantis pedum subdunt. Hi omnes populi quotannis Dioscuriadem conveniunt salis causa. *Montes* deniq; Cubiti, in *Meridiem* protensi, Iberiam mediam complectuntur & Armeniæ montibus conjunguntur, qui *Moschici* appellantur.

Iberi & Albani quæ maxime Isthmum implent gentes, solum tenent felix & admodum commodum habitationi. Et quidem Iberiæ major pars probe habitatur, domibus & pagis, visunturq; in ea fora aliaq; publica ædificia. Eam cingunt montes frugiferi ad Colchidem & Armeniam usq; pertinentes. In medio eorum planicies

planicies eſt, & fluvii irrigui quorum Cyrus eſt maximus. Is in Armenia ortus ſtatim in eam incidit planiciem adſumpto etiam Arrabone è Caucaſo defluente, & aliis aquis, per anguſtum alveum in Albaniam ſe effundit. Inter hanc porro & Armeniam copioſus labens per campos, opima ferentes paſcua, receptis etiam pluribus amnibus Alazonio, Sandobane, Roetace & Chane, qui omnes ſunt navigabiles in Caſpium exit mare, Campeſtria Iberorum, homines agriculturæ & pacis ſtudioſiſſimi habitant, qui jam ab antiquo Georgii communiter appellantur. Montana plures incolunt viri bellicoſi, Scytharum & Sarmatarum more, quorum etiam finitimi ſunt & cognati: multa cogunt millia è ſuo corpore, ſi quis incidat tumultus, quin etiam in hanc diem mulieres nobiles nonſecus ac antiquæ Amazones utuntur armis. Viri barbam promittunt, & caput radunt more Tartarorum, Clerici ſoli in rotundum, alii in quadrum. Honore prævenientes aliquem caput nudant & flectunt genu. Quatuor hominum genera apud Iberos recenſet Strabo. Primum è quo Reges deligunt, ætate ſemper maximum, de Regis prioris cognatis, proxime minor natu jus dicit exercitusq; ducit. Secundum eſt ſacerdotum qui & jura cum finitimis communia procurant. Tertium eſt militum & agricolarum. Quartum eſt plebis, quæ ad uſus vitæ neceſſaria obit miniſteria. Communes eis ſunt poſſeſſiones ſecundū familias, imperat & gubernat eorum natu maximus, omnes perſeverant in fide Chriſti, qua jam

à tempore Conſtantini magni imbuti ſunt per ancillam Chriſtianam.

In Iberiam ſunt aditus omnino 4. Unus per Sarapana Colchicum caſtellum, ubi Phaſis per valles confragoſas, & rupes præruptas viam ſibi aperit. E Nomadibus autem verſus Septentrionem degentibus tridui eſt adſcenſus difficilis: poſt hunc anguſtiæ per quas fluvius labitur Aragus, itinere dierum quatuor; munit autem extrema hujus viæ murus haud facile expugnabilis. Ab Albania per Saxa principio exciſa eſt via, deinde per paludem quam fluvius è Caucaſo decidens efficit. Ab Armenia anguſtiæ ſunt ad fluvios Cyrum & Aragum qui antequam confluant urbes habent munitas ſaxis impoſitas ad 16. ſtadia inter ſe diſtantes. Cyro Harmozica imminet, Arago Seumara: his aditibus primum Pompejus, deinde Canidius ſunt uſi.

CAP. XI.

Araxes, Cyrus, Albania.

ARaxi fluvio nomen indidit ſuum Armeniorum Rex, qui furiis agitatus ob interemptum avum, in profluentem ſe abjecit. Ex iisdem montibus oritur in Armenia, Euphrates. Ex his montibus dejectus per campos Armeniæ placitus labitur & ſilens, deinde preſſus cautibus, pernix & fremens per abrupta devolvitur, interdumq; evehit undas ſuas jugeris ſpacio ſublimis & aquis pendentibus ſeipſum ſine alveo ferens, incurvus admodum arcus deſcendit,

dit, iterum fit tranquillus, & per campos tacitus, & vix fluens per Araxenum campum longe uberrimum in Caſpium effunditur mare, ad extrema Albaniæ & Armeniæ. In ſuo decurſu convalles rigat in Armenia, alias mediocriter, alias admodum uberes, in quibus præcipuæ urbes ipſi appoſitæ ævo Strabonis Atropatena, Azara & Artaxata.

Ex ejusdem Armeniæ montibus oritur fluvius, alius quibusdam dictus Cyrus, aliis Corus, nunc vero Cur, à quo Iberi etiam appellātur Curgii. Hic ubi in planicies incidit aſſumpto Arrabone è Caucaſo defluente per anguſtum alveum in Albaniam ſe effundit, & inter hanc & Armeniam copioſus labens per campos qui opimis abundant paſcuis, amnibus Alazonio, Sandobane, Roëtace & Chane receptis, qui omnes ſunt navigabiles, in Caſpium exit mare.

Cyro imminet Telphilis Georgiorum Metropolis, Zogocara Ptolemæi, in quâ Judæi ſunt aliqui & Mahumeti ſectatores, pleriq; tamen omnes Chriſtiani ritus Græci, necnon Patriarcha, qui Iberiæ Epiſcopis 18. præeſt, qui ſpeciali Privilegio, ſoli poſſunt armati & explicatis vexillis Hieroſolymorum urbem ingredi & Chriſti Domini ſepulcrum inviſere. In ea urbe, & circumpoſitis locis telæ aureæ & ſerici magna fit negotiatio, ferunt autem 12. oſtiis Cyrum exire; in mare partim cæcis, partim apertis, & tantum limi ſecum invehere, ut ad 500. Stadia illam Caſpii partem reddat inacceſſam nāvibus. Araxem è contra

aſperius proruentem , limum ulterius protrudere.

Ex Iberia in Albaniam aditus eſt per Cambyſenam Armeniæ extremum, ubi nulla eſt aqua. Habitant Albani inter Iberos & mare Caſpium. Septentrionale latus claudunt Caucaſii montes qui planiciei imminent, à qua pertinent uſq; ad mare montes Ceraunii. Auſtrinum efficit Armenia. Ipſi nomen ab Albano amne, qui è montibus Cerauniis ortus non longe à porta Albaniæ ortus, Albaniam emenſus planiciem, abit in mare Caſpium: volunt alii ſic dici, quod multi albo crine hìc enaſcantur. Omnis generis fructum etiam mitiſſimum profert, omnes plantas, adeoq; ſemper virentes, quin etiam conciſum aratro prorſus ligneo ſemel agrum, bis aut etiam ter frugem proferre & ſane primo quinquagecuplum. Vites nunquam omnino fodiuntur, quinquennio exacto demum putantur. Novellæ etiam Secundo anno fructum ferunt. Vegeta ſunt apud eos animalia, tam manſueta quam fera. Ipſi quoq; Albani forma & magnitudine aliis præſtant hominibus, moribus ſimplices, & à componendo alicui, 60. millia peditum equitumq; 22. millia olim eduxerunt in aciem, contra Pompejum, hisq; in bello auxiliantur Nomades. Summopere Albani ſenectam venerantur, pecuniasq; cum defunctis ſepeliunt: fert ea Regio Sethalia animalia ſcorpios & Phalangia. Phalangiorum alia cum riſu necant, alia cum fletu. Unus jam univerſis Albanis imperat, cum olim qui eodem loquebantur idiomate,

ſuum

ſuum habuerint Regem, Linguæ vero ipſis fuerunt aliquando 26. quod non multis inter ſe commerciis devincirentur.

Supra Albaniam perhibent ſedes fuiſſe Gargarenſibus & Amazonibus:his quidem in radicibus Caucaſiorum montium Septentrioni obverſorum,quæ Ceraunia dicuntur, illis partim in montibus,partim cis montes. Aiunt vero Amazones ita tempus exegiſſe, ut plantandi, arandi,paſcendiq; equos,operam navarent, fortiſſimas bellicam rem exercuiſſe, arcu, ſagari (quod gladii genus eſt) pelta,indutas caſſide,tegumento & ſubligaculis è pellibus ferarum: Duobus vero menſibus verno tempore cum ipſas,tum Gargarenſes aſcendiſſe in montem,qui utramq; gentem dirimit, ibiq; peractis ſacrificiis prolis procreandæ cauſa,miſcuiſſe corpora, donec ferent uterum: ſequenti anno ſi peperiſſent fęmellas,infanti dexteram adurebant mammam, ut ad quosvis uſus expedite brachium ſuo fungeretur munere,& eas enutriebant, ſi marem ad Gargarenſes deducebant.

Cum deſcenditur ad radices montium, & magis verſus Septentrionem jam loca inclinant, ſunt campi in quibus gentes variæ, quarum tres præcipuæ Troglodytæ in ſpeluncis habitantes propter frigus, Aorſi, qui maximam partem oræ maris Caſpii obtinent, negotiaq; exercent cum *Medis*, Babyloniis, & Indis,à quibus aurum excipiunt & prætioſas merces. Horum Rex Spadines aliquando ducenta equitum millia eduxit in aciem. Siraces magis ſunt ad

Septen-

Septentrionem: eduxerunt aliquando in aciem 20. equitum millia, nempe cum Pharnaces Bosporum teneret. Hos sequuntur Nomades.

CAP. XII.

Moscoviæ Imperium.

ROxolanorum antiqua sedes est, quam nunc Russi obtinent, Nigri quidem dicti qui petaso utuntur nigro Poloniæ subjecti; Albi vero alii qui albo tecti parent Moscoviæ, sive Duci, sive Imperatori: ut enim nomen Knez, hoc est, Ducis, quo ab octingentis prope annis appellatur qui eos moderatur, gratius est subditis: Ita Imperii amplitudo quæ ad ter prope mille milliaria in longum & latum per æquam planiciem excurrit. Czar, hoc est, Imperatoris nomen & majestatem ipsi conciliat.

Novogradenses memorantur primi habenas Imperii Russiæ moderandas tradidisse tribus Danis fratribus, circa annum æræ Christianæ 861. quibus varii Principes adhæc usq; tempora successere, unus ut plurimum, aliquando plures, nequaquam tamen summo jure omnes usi: nam post devastatam à Tartaris Præcopensibus Russiam anno Christi 1237. Kamum tributo coluerunt per 260. annos ad tempora Knez Joannis, Basilii filii, qui Tartaros expulit & debellatis minorum gentium Ducibus solida potitus est Russia. Moscoviæ nomen recens ab urbe amplissima Moskovv quam Knez Daniel ædificavit ad am-

ad amnem *Mosqui*, & in quam ex Wolodimiria Imperii sedem transtulit circa annum 1240. Non desunt tamen, qui hoc deducant nomen à Moschis, quos ad fontes Phasidis collocat Mela: aut à Moschita regione inter Colchidem, Iberiam & Armeniam. Anno utuntur Juliano cujus initium ducunt à primo die Septembris. Æram repetunt suam à creatione mundi, quæ secundum ipsos præcedit Nativitatem Christi annis 5509, unde talis subducendus est numerus, ab eo quo rem aliquam contigisse asserunt, quando cui respondeat ex annis Christi, volumus indagare. Mundi ævitatem definiunt annis octo mille. Horis utuntur inæqualibus, quas numerant cùm ab ortu solis, tum ab occasu. Distantiam mille passuum Geometricorum vocant Verst, harum quinq; mensuram constituunt quam dicunt Czuckas. Numeros explicant per voces Sorogk & Devvenost, quæ 40. & 90. significant, sicq; dicunt mille Sevogk, quater mille Devvenost, & his similia: Sclavorum utuntur lingua, sed corrupta & sensa animi exprimunt characteribus 43.

Nullæ apud ipsos Academiæ, tantum pueros docent legere, & scribere Evangelia, acta Apostolorum, Chronica, Homilias quorundam Doctorum, maxime D. Chrysostomi, & gesta eorum quos venerantur ut sanctos. Qui plura vellet discere, veniret in suspicionem affectatæ tyrannidis: nec enim doctiorem se in toto suo Imperio quemquam permittit Czar, qui solus habet Typographiam, Medici, aut Pharmaceutici

in toto

in toto regno nulli, præter unum, aut alterum qui adeſt *Principi.* Sunt tamen prævalidi, celeres & ſtaturæ mediocris. Oculos habent cæſios, prolixam barbam, crura brevia & ventrem extenſum, & quo magis promineat, tunicas oblongas lazurini coloris vel albi, quas geſtant ſine plicis, & cum manicis ſtrictioribus, ſuccingunt pube tenus. Ocreis utuntur rubeis & brevibus, quarum ſoleæ ſunt claviculis præmunitæ ferreis.

Bibacitatem ipſorum comprimunt leges quibus omnis potus interdicitur, qui mentem poteſt de ſuo ſtatu dimovere, & quæ gravi mulcta puniunt eos qui plus quam ter in anno reperiuntur ex ebrietate temulenti. Male audiunt ab aliquibus quod fluxæ ſint fidei, quin etiam ipſi ſæpius ſeſe non Moſcovitas eſſe, ſed advenas ſimulant, ut majorem fidem obtineant cum exteris tractantes commercia. Omnes miſerrima premuntur ſervitute, nobiles quidem à Magno Duce, à Nobilioribus plebeii, qui dominis ſuis laborant diebus ſex, ſeptimo ſibi. Qui nomina non poteſt diſſolvere, verberibus excipitur & ſervituti ſubjicitur. Fœminarum miſerrima conditio, quę magis vapulat, charior judicatur. Mortua uxore quarta, non poſſunt aliam ſuperinducere. Pater filium ſuum quater poteſt vendere. Nobilis fuſtibus male mulctaus à Duce, aut Ruſticus à Nobili, gratias habent quod dignati ſint emendare ſervos ſuos. Nemini licet è regno egredi, nedum advenæ regnum ingredi absq; literis & permiſſu Principis. Hujus vero

aula,

aula,sic frequens est, & magnifica, ut vix ullum reperias principum apud quem solemnior sit nobilitatis conventus. Pro foribus palatii excubat cohors prætorianorum militum, quæ constat millibus decem. Consuetus apud aulam Conventus est 300.Nobilium,qui omnes induti veste oblonga ex auro textili & pretiosis pellibus instructa,ipsi adstant & officiosa veneratione,aut deductione colunt.

*M*ensæ instructum curant nobiles centum, qui aureis lancibus escas inferunt, & opsonia ministrant, cum principibus viris, qui numero ducenti coram Imperatore alias ineunt mensas; tum ipsi, qui solus mensæ accumbit suæ, indutus veste ex Heteromallo crocei coloris, quæ magaritarum tot lineis distinguitur, & tanta multitudine adamantum summi pretii gravatur, ut mirum sit eum tanto parem oneri: præter sceptrum, & diadema ex auro solido & gemmato opere, frequenter utitur galero dejecti apicis, in quo è regione frontis pyropus ad instar accensæ facis flammas emittit.

Quid dicam de exercitibus ejus? Ajunt intra dies 40. posse educere in aciem,& habere in procinctu trecenta millia equitum. Hæc tamen Imperii qualiscunq; magnitudo sua tantum stat mole: nam quod omnium caput est deest robur animi, Polonorum, Suevorum,vel Tartarorum 20. aut 30. millia tantam multitudinem frequenter conjecerunt in fugam. Ipsiq; Moscovitæ nunquam committent prælium, nisi

sentiant

ſentiant ſe ſextuplo plures numero & fortiores.

Aiunt S. Andream fidem diſſeminaſſe in his partibus, certum dediſſe nomen Chriſto jam ab anno 954. ſub Olha Duciſſa & Volodomiro ejus filio. Rhuſſorum Patriarcham ab Epiſcopis & Imperatore delectum confirmat Conſtantinopoleos Patriarcha. Archiepiſcopis Novogardiæ magnæ, Suſdalienſi, & Roſtoviæ ſubſunt Epiſcopi è Monachorum ordine omnes aſſumpti, propterea; à carnibus abſtinent, & ſunt tota vita cœlibes, non item Sacerdotes, qui unius uxoris ejusq; virginis poſſunt eſſe viri, ſi eam ante Sacerdotium duxerint; eorum aliqui ante pectus gerunt pendulam è collo tabellam, in qua ſunt deſcripta Decalogi præcepta. Quadruplex obſervant jejunium ut Græci nemo hic concionatur, ſed vitæ Sanctorum leguntur, frequens apud eos uſus imaginum, tum ſolidarum, tum planæ ac jacentis picturæ, ubi enim quis domum alicujus adiit, ad officioſæ ſalutationis munus, omnia luſtrat oculis, & converſus ad imaginem, tertiò crucis ſigno munit ſe, longam vitam precatur amico, & tum demum obit munus conſalutationis, & illum benigne complectitur, idemque repetit in diſceſſu. Novis nuptis priusquam benedicat Sacerdos, ſertum ex abſinthio capiti eorum imponit. *Poppæ*, hoc eſt, Socerdotes ſoli utuntur pulla veſte, ſoli comam alunt, in ſacrificio Miſſæ utuntur lingua Moſcovitica, vino infundunt aquam tepidam, in conſecratione Hoſtiæ utuntur pane triticeo fermentato, quam hordea-

hordeaceo pani includunt, quem deinde pro benedicto pane distribuunt populo, baptisandos immergunt tertio, ore tenus, cum quis moritur, datur ei in manu carta, qua Sacerdotes testantur eum bene vixisse, putantque schedam hanc oblatam S Petro, cœlum reserare. Moscoviæ ager paludosus, ut plurimùm & arenaceus vinum negat & oleum, dives olerum lini, cannabis, pecorum & frumenti, quod tamen in hypocaustis desiccant interdum, propter asperiorem aëris temperiem, quæ fructus etiam reddit minus suaves. Pars superior sylvis obsita est, in quibus uri, alces, cervi, ursi, lupi nigerrimi, & animalia omnis generis, quorum villosæ pelles per totam Europam passim expetuntur & care veneunt.

Præcipuum tamen quæstum faciunt ex cera & melle, quorum tanta copia, ut iis cavæ arbores passim oppleantur. Memorant ante annos aliquot, rusticum fallente vestigio intra truncum arboris dilapsum, in quo tanta vis mellis, ut inde non potuerit se evellere, donec post dies aliquot adveniens ursus posteriorum pedem alterum demisit, ut mel educeret, quem arctissime utraq; manu apprehendit rusticus, & clamoribus additis non prius dimisit, quam magno nisu & conamine eductum, uterq; in diversas abiit partes summe lætus. Quibusdam in locis frigus est sic intensum, ut sputa, antequam cadant in terram congelentur, & tellus operitur nivibus per sex menses.

CAP.

Cap. XIII.

Chorographia Moscoviæ, Amnes Moskua & Occa.

DElineatis initio hujus operis borealibus partib⁹ Imperii Moscovitici, necnon fluviis, qui ex eo in Glaciale, Album & Norvagicum maria evolvuntur, superest ut partem ejus præcipuam, quæ inter Borysthenem & Riphæos montes, secundum Moscam, Occam, & Volgam, & influentes in eos amnes patet, explicemus.

*M*oskua, fluvio, urbi, Provinciæ, & amplissimo, sive Ducatui, sive Imperio nomen communicat suum: fluminis origo prope eadem, quæ Borysthenis in Provincia Tuverenci: sex milliaribus supra *M*osaïzkum incipit esse navigiorum tolerans, & post sex alia infra Moscuam, miscetur Oscæ. Illi quotannis in Epiphania Domini, & die Virginis assumptæ in cœlum, solemni ritu bene precatur totius Russiæ summus Patriarcha, idemq; singuli erga fluvios cujusq; Diœceseos præstant Episcopi. Urbs *M*osaizko fuerit licet ab Alexandro Rege Poloniæ olim vastata, nunc tamen gratissimus est magni Ducis secessus æstivo tempore, & asylum belli tempore, cùm ob munitiones quibus circumcingitur; tùm propter D. Nicolaum Mirrhæ Episcopum, quem volunt hîc sepultum, & in cujus cultum fuit semper Russorum mens præclare affecta.

Metro-

Metropolis *Moskua* vix Londino major extitit, ex quo eam Tartari Præcopenſes anno 1571. flammis pene totam deleverunt: in quatuor partes dividitur, quarum ſingulæ ſuo ſunt, vel muro cinctæ aut vallo. Privatorum ædes ligneæ: nobilium pulchræ & elegantes. Regia muro lateritio alto & craſſo, ſeparata à reliquis partibus, 2900. paſſus complectitur. Sacræ Parœcorum vel *Monachorum* ædes 4500. præ cæteris inſignes 4. S. Trinitatis, Annunciatæ Virginis, D. *Michaëlis* & S. Joannis. *Palmeorum* ramorum die, ex Virginis templo, ſingulis annis ſtata ſupplicatio inſtituitur ad S. Trinitatis in Hieruſalem. Præcedunt longo ordine Epiſcopi cum Clero & *Monachis*: pone deducuntur Equi duo, qui arborem trahunt, ex qua dependent fructus omnis generis, & in qua ſedent pueri 4. tecti alba veſte, qui *O zanna in excelſis*, cum ſenſu pietatis identidem ingeminant. Subſequuntur è nobilioribus juvenes numero 40. qui per plateas explicant togas cocco tinctas, & tapetia expandunt. Tum demùm Patriarcha inſidens aſino, quem pedes Imperator capiſtro deducit. Idem per totam *Moſcoviam* Epiſcopo, vel Curioni obſequium præſtant in ſingulis urbibus & pagis Proreges, vel è nobilitate primarii: in templo D. *Michaëlis* mandantur tumulo Czares vita functi. Ad Divi Joannis inter plures campanas, una eſt, cujus pondus librarum 66000. Ædi Sacræ Virginis, impoſitæ eminent Turres 9. ære deaurato tectæ, & crux ex auro ſolido vertici omnium altiſſimæ inſiſtens.

In ſub-

In ſuburbano ager ſabuloſus ſolis abundans leporibus. Duodecimo autem milliari verſusBoream viſitur celebre *Monaſterium Trois* , in quo 400. aluntur Religioſi, ad quos bis in anno pietatis cauſa divertere magnus Dux ſolet.

Ocka amnis piſcoſus haud longè à Tartarorum Præcopenſium finibus, in lat. 55. 50. exoriens urbes rigat Vorotiniam & Collugam, 53. 40 in hac fiunt modici crateres, aliaq; minutiora opera è ligno non pauca, quæ per totam Lithuaniam diſtrahuntur. Hinc abit Czirpachum fodinis ferri divitem: deinde augetur Tulla amne, cui appoſita urbs ejusdem nominis, operibus probe munita, quod ſit Tartarorum deſerto proxima. Mox petit Corſiram, poſt Rhezaniam caput Ducatus cognominis, agro ſitam fertili: poſt Columnam 55. ubi Moskuam excipit, & Cazigorodiam præter lapſus abit Moron; ubi amnem excipit qui Mordunam rigat, ubi cultiores pagi, ſed Mahumeti perfidia infecti: mulieres paſſis incedunt capillis, Ducem ſibi deligunt qui Moſcum agnoſcit, ſed nihil ipſi pendit tributi, niſi forte aliquod honorarium. Feras ſemper vulnerant in naſo, ut pellem habeant integram. Ex adverſa parte Cleſmam admittit fluvium, qui Suſdalienſem urbem & Ducatum, melle, frumento, & pecore abundantem rigat, necnon Volodimeriam, anno 1015. conditam ab Volodimere magno Duce, poſteaq; totius Ruſſiæ Metropolim, priusquàm Imperii ſedes Moskuam traduceretur. Curſu deinde in arctum reflexo Ocka in Volgam abit juxta Niſi Novogorodiam.

CAP. XIV.

Volga.

FLuvius Ptolemæo dictus *Rha*, Tartaris Edel, oritur in Ducatus Reſchoviæ ſylva Wolkovvskiles, in qua jacet palus Wronou, è qua exit fluvius, qui duobus milliaribus Polonicis progreſſus, influit in lacum Volgo, cui proxima Rshevva urbs primaria ejuſdem Ducatus. Emergens ex eo deinceps Volga appellatur, ac primùm regionem percurrit, in qua plures albi lepores, in quorum venatione non parum delectantur Ruſſiæ magni Duces. Inde pleno alveo ingreſſus Tvverenſem Ducatum, qui equites ſeu Boiarios 40. mille Czari ad bellum evocanti tenetur mittere: excipit ad Tvveram urbem Epiſcopalem, fluvium ejuſdem nominis ab Occidente delatum, qui Tarſach alluit urbem nominatam in finibus Ducatuum Novogardiæ & Tvveri ſitam. Hinc verſus ortum inclinans per leucas aliquot, mox in Boream labitur, & ſupra oppidum *Roſſin* amnem excipit Nerlam ortum ex lacu, cui proxima Pereslau Roſtoviæ Ducatus civitas, quæ mille colonos numerat, quorum plurimi coquendo ſali operam navant. Inde abit *Vglitz*, vel hoc nomine memorandū, quod nullibi in tota Ruſſia panis gratior excoquatur. Duabus ab eo oppido leucis pervenitur ad oſtium amnis Mologæ & *Chloppigorod*, hoc eſt, caſtellum

ſtellum ſervorum, nunc exciſum. Ajunt enimverò hîc olim contigiſſe, quod de Scytharum ſervis narrat Juſtinus: Scythis in expeditione bellicâ occupatis per octo annos, eorum conjuges tam longâ expectatione feſſas, ſervis nupſiſſe qui poſtea cùm revertentes dominos finib⁹ prohiberent, & varia eſſet victoria, dominos omiſſo ferro virgas & flagella inopinantibus intentaſſe, illicoque ſervos metu perculſos fugam capeſſiviſſe, vel ſupplicia crucibus luiſſe, mulieres verò malè ſibi conſcias, partim ferro, partim ſuſpendio vitam finiviſſe.

Rurſum Volga inflectitur verſus ortum, & ad 4. leucam ab oſtio Mologæ ingreditur Bielejezoro regionem ampliſſimam, ſic dictam à lacu Albo, qui patet in longum milliaria Polonica 12. & in latum penè totidem, ad quem arx eſt naturâ loci munita, in quam Ruſſiæ Dux ſuos conſuevit theſauros recondere: eſt enim regio difficillima aditu propter paludes & ſylvas. Ab eo ad ſagittæ jactum, alius eſt lacus, qui copiosè profert ſulphur, quod fluvius Solna (quem ſolum uterque lacus emittit, licet 30. admittant) veluti ſpumam ſupernatantem devehit. Ea munitio æquali ſpacio, hoc eſt, milliaribus centum removetur, cùm ab urbe Moskua, tum à Novogardia Magna.

Poſt 15. deinceps milliaria pervenitur Jaroslaviam urbem ex præcipuis Moſcoviæ, quæ 40. civium millia numerat, caput Provinciæ cognominis, cujus Ducatus ſecundogenitis magnorum Ruſſiæ Ducum fuit attributus ad tempora

Joan-

Joannis Basilidis, qui redituum partem admodum parvam ipsis reliquit cum titulo Knesi, hoc est, Ducis Jaroslavii. Hæc urbs jacet sita in meditullio Regni, aptissima tamen est mercimoniis, quod ex ea facile mel, cera, pisces, pecora, frumentum, & tela, quibus abundat regio circumposita, transferantur Vologdam, & per Dunam ad D. Nicolai emporium. Pars thesauri Moscovitici, etiam in ejus arce asservatur. Ibidē Volgæ infunditur amnis Cotorea, qui urbē rigat *Rostou*, caput principatus Rosthoviæ, & sedem unius Archipræsulis è tribus, qui in tota Russia soli numerantur. A Jaroslavia viginti milliaribus versus ortū Æstivalem, sita est *Castromovvgorod*, urbs cum castro ad confluentem Castromæ amnis in Volgam, quæ censetur pars Ducatus Susdaliensis. Castromam fundit lacus *Galitz*, dictus ab urbe ipsi proxima, in qua plurimi coquunt salem.

Deinceps qui sequuntur populi secundùm Volgam, & influentes in eum, Scythę omnes sunt seu Tartari, gente, habitu, victu, armis, si urbes aliquot excipias, vel munitiones, quas Russi excitarunt ad confluentes amnium, ut Tartaros sibi ex lege obsequii, & functionis clientelaris addictos contineant in officio. In his sunt Nisinovogorod, hoc est, parva Novogardia, ad ostium Occæ. in Volgam sita, in agro fertili, in elevatione Poli, 58. 10. quam cùm Sapgirei Rex Cazan vastasset anno 1521. nitori pristino eam restituit Basilius, anno 1523. & castro lapideo firmavit. Hinc 28. leucis ad Orientem eidem Volgæ prætenditur, munitio altera Vasiligorod ad ostium *Suræ*

amnis, qui urbem ejuſdem nominis rigat, & Moſcoviam ſeparat à Regno Cazan.

Inter has urbes, utramque Volgę ripam, accolunt Tartari Mahumeti addicti : Boream quidem Ceremiſſi dicti Logori à fœni ſtruibus, Auſtalem verò Ceremiſſi Nagorni vocati, hoc eſt, Montenſes, quod in collibus degant, arte ſagittandi ſic omnes periti à teneris, ut puero negetur cibus, niſi prius arcu propoſitum attigerit ſcopum.

Vaſtam deinde ſolitudinem & ſylvas, quæ inter Occam, Tanaïm, & Volgam in omnem partem latè funduntur, incolunt Mordunæ, Tartari Nomades & Vagi, durum genus, ferinâ & melle victitans, arcubus oblongis & ſagittandi peritiâ notum Præcopenſibus, quorum depopulationes ſæpius reprimunt. Horum plerique vel colunt idola, vel Mahumetis ſectantur deliria : Mulieres decoris gratiâ ungues nigro colore inficiunt, nudoque capite & paſſis crinibus incedunt. Niſi in Perſidem hinc quotannis emitterentur multa camelorum aliarumq; pecudum millia, alere ea haud poſſet terra, quæ genuit, adeò ferax eſt etiam ſine cultura.

*P*oſt oſtium *S*uræ ad Orientem ſecundùm Volgam prætenditur regnum, cui nomen communicat ſuum urbs Cazan eo ſita loco, ubi amnis Cazanka miſcetur Volgæ : Eam incolunt Ruſſorum 50 millia ab anno 1552. quo Joannes Baſilii filius eâ occupatâ Tartaros Mahumeti addictos expulit, templum lapideum poſuit Divæ Matri ſacrum, & munitionem addidit cum

præſi-

præſidio 300. Moſcovitarum, vetuitque ne deinceps in eam Tartarorum ullus pedem inferret. Floruerat diu hoc regnum, quod ejus incolæ inter omnes Tartaros penè ſoli agros colerent, eſſentque ſpectabiles animi robore, corporum candore & proceritate, quibus decorem addebant non parvum togæ inſtructę pellibus Martis; nullibi enim frequentior reperitur Martes denſi pili, nigra, flavens, crocea, odorata, omnis generis, canes feros habent amplæ naris, quos poſteaquam emiſerunt unâ hora ab occaſu ſolis, ut ſecundùm plauſtra excubent, ad ea ne armatus quidem quiſquam auderet accedere. Priuſquam verò Moſcus obtineret Cazan, ædificarat ad ripam Volgæ munitionem Suetzen, cujus nunc cives ſalis & panni aurei ſericique commercium habent cum Aſtracanis.

Ultra Volgam quidnam eſſet ambiguum aliquando fuit, nunc certum regiones eſſe montibus Riphæis ſubjectas adeò aquoſas, ut non niſi hyeme, quando concreſcunt glacie, poſſint adiri. Ex iis verò originem ducere amnes Kamam, Viſchoram & Viatkam, qui uno ſe fundunt oſtio leucis 17. infra Cazam, in Volgam ubi verſus Orientem inflectitur. Degunt autem in iis Tartari in varias hordas diſtributi, qui lucos habitant & ſylvas, qui melle victitant, & animalibus cum feris, tum domeſticis, quorum pellibus induuntur, niſi eas prò tributo pendant Moſcoviæ Czari, raro plauſtris utuntur, frequenter cratibus ligneis, quas per glaciem tres quatuorve canes deducunt, quibus etiam Rangiferos

interdum applicant. Sylvæ,dira quæque animalia & tygres ferunt summè pernices. Sol quibusdam eorum non oritur quotidie ut nobis,sed per unum aut alterum mensem extat supra, vel totidem latet infra Horizontem.Sed ut cœlum asperius est, sic est ingenium incolarum, qui statis sedibus vix se tenent, etiam demortui: sibi enim eorum aliqui arborem deligunt, ex qua functi vitâ ventilentur & dependeant, idque eis funus est eximium. Urbes omninò ipsis raræ.In his Viatka & Permski, quæ duabus Provinciis nomen communicant suum; Mansiones verò plures, in quibus vicatim habitant. Oppidum Soil Camscoy situm ad Viseram, qui in Kamam labitur, celebrius cæteris.

A flexu,seu cubitu, quâ retro abit Volga versus austrum in mare, Caspimi sunt populi ab eodem fluvio dicti. Zavolani,seu Volgari, quondam Bulgari, qui hordam Taxeti constituunt, id est, principem, seu liberam, ex qua cæterarum pleræque feruntur originem ducere, cujus Rectores Tlixi,id est,liberi homines,& Ulakan,hoc est, Magni Kami,seu Imperatores dicti, qui frequenter Russiam, Poloniam, Silesiam, Moraviam,Hungariam aliasque orbis partes victoriis peragrarunt,victique sunt tandem à Joannne Bazilidis anno 1554.Sicut & Horda Nagai dicta,quę Imperatori Russiæ hominum armatorum 20. millia tenetur sufficere,quotiescunque evocat.

Volgæ ostia obtinet regnum Astrakan, sic dictum ab urbe sita ad occiduum Volgæ ostium 28.millibus passuum à mari Caspio,hujus est ce-

leberri-

leberrimum emporium,ad quod Medi,Persę,Armeni, Tartari, Russi, Turcæ, frequentes conveniunt,Gemmas, Margaritas, Aromata & merces innumeras omnis generis convehunt, pelles verò & sal evehunt. Vix enim duabus ab Astrachamo leucis,solidi sunt nativi salis montes Busin,in quibus licet ab omni ævo multa hominum millia salem præcidant durum ad instar lapidis & pellucidum ut chrystallum ,semper tamen renascitur,nec deficit.

Parebat olim hęc urbs minoribus Tartaris,sed anno 1554. cum eam obtinuisset Joannes Basilides,eandem postea invasit Selimus, amissis,ut ajunt,in hac expeditione ducentis viginti quinque equitum millibus,ter mille Janizariis & navibus bellicis centum quinquaginta. Arcem habet munitissimam. Terra pascendis gregibus & armentis deputatur, sit licet aprica & fertilis si cultura accederet.

Volga à capite ad ostia decurrit bis mille octingenta milliaria,latus est ad Jaruslaviam mille passus, & hinc porrò magis magisque dilatat sese. Penè totus aliquando concrescit, ad ipsam etiam urbem Astrakam & ejus ostia. Piscosus est admodum & quibusdam abundans piscibus mortiferis magnæ molis,quorum ova nigriora, sed optimi saporis,quę libras 7. ponderant,& exsiccata, si ad unum vel alterum annum asserventur,non corrumpuntur. Secundùm ejus ripas frequens crescit Rhabarbarum, & Boranetz Zoophytum Agno persimile opertus lana Agnus,pro cornibus habet serta lanea , succum trahit ex

terra

terra per fruticem umbilicalem, herbam etiam vicinam depaſcit, quantum vimineum vinculum errare illum ſinit, & exſiccatur ubi herba deficit. Carnem habet exquiſiti ſaporis, & à lupis magnâ aviditate diſquiritur.

Sexaginta circiter leucis priuſquam evolvatur in mare, ab uno quaſi vertice diſciſſus figuram conficit trianguli Iſoſcelis, latera trianguli alvei ſunt duo præcipui, baſis autem maritima eſt ora, quæ leucas patet propè 50. Ita plures inſulæ proceris arboribus & uberrimis paſcuis inclytæ mari duobuſque præcipuis Volgæ alveis, ſic includuntur, ut præter eos habeat tenuiora alia oſtia numero ſeptuaginta.

FINIS.

